Smithsonian
Institution
Libraries

Gift of

an Anonymous Friend

of the Smithsonian

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XXI PARS I.

LIPSIAE MDCCLXXV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH

Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Venetiis apud I. B. Paſcali, Patauii apud Io. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

QH 7 C66 v.21 SCNHRB

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

D. IOANNES DANIEL REICHEL.

Altera horum commentariorum decade nunc feliciter abſoluta, conſtituimus nobiſcum auxilio amicorum, quos alibi laudauimus *), freti, et doctorum virorum benigno aſſenſu incitati, tertiam huius operis decadem incipere. Pergemus autem eodem quidem omnino ordine, quem ſibi propoſuerat b. LUDWIG **), et nos quoque hactenus ſequuti ſumus, attamen, vt ſpatio, omni quo fieri poſſet modo, parceretur, tria potiſſimum mutauimus.

Ac primum quidem in librorum phyſico medicorum indicibus operum continuatorum titulum integrum ſemel tantum indicabimus; dein eorundem modo partes, vti eduntur ſecundum annorum ſeriem; poſtea illorum librorum, quos recenſuimus, inſcriptionem totam non aliquoties diuerſis in locis repetemus, ſed potius locum, vbi de ſumma libri dictum eſt, diligenter commemorabimus; denique illorum librorum, qui vel nullas vel paucas nouas res parumque vtiles continent, vel aliis de cauſſis omiſſi ſunt, breui addita epitomes nota, in indicibus librorum mentionem faciemus.

A 2 Ita

*) vid. comm. hor. decad. IId. Suppl. IV. p. III.
**) vid. ib. Vol. XI. p. 8.

Ita vero progreſſuri commendamus hoc inſtitutum beneuolentiae amicorum, quos quidem, ſi libros, noua inuenta, ſeu noua phyſico medica indicanda nobis tradere velint, amandamus ad *librariam Gleditſchianam* ea lege, vt iis, quae mittere placuerit, inſcribant *ad commentarios Lipſienſes.*

Facile enim in tanta librorum copia iudicari poteſt, nos, qui commentariorum horum curam habemus, non omnes libros comparare poſſe, neque ſemper cito ſatis iis potiri. Igitur cum hac laude ſemper floruerint atque etiamnum floreant noſtri commentarii, vt abſque partium ſtudio lectu dignas et nouas obſeruationes, inuenta, aliaque excerpta tradant, ſperamus fore, vt ii, qui noſtro inſtituto fauent, his ipſis libris et relationibus illud ipſum ſuſtentent, laetioremque progreſſum ei concilient. Curabimus ſinceritatem, ſimplicitatem, et celeritatem in iis recenſendis ita, vti hactenus a nobis eſt obſeruatum.

Faxit vero maximus omnium noſtrarum rerum moderator, vt continuati hi labores eo ordine, conſilio atque fide in emolumentum ſtudiorum phyſico medicorum et in poſterum cedant; exoptatumque a nobis habeant euentum. Foueat ſummum numen felicitatem vniuerſitatis noſtrae literariae, vt, rebus omnibus bene et proſpere ſuccedentibus, nobis et aliis prodeſſe poſſimus. Haec fortuna ſi reſpondeat noſtris votis, nihil habemus, quod magis optemus atque ſpectemus. Dabam Lipſiae, menſe iunio, A. O. R. CIↃIↃCCLXXV.

Noui

I.

Noui commentarii Academiae ſcientiarum Imperialis Petropolitanae Tom. XVII. pro anno 1772. Petropol. Typis academiae ſcientiarum 1773. 4. c. tab. aen. 18. pagg. 722. praeter capitum elenchum.

Claſſis mathematica commentariorum annum Tom. XVII. ſeptuageſimum ſecundum attinentium complectitur has commentationes.

1) *De indole ſingulari ſerierum infinitarum, quas ſinus vel coſinus angulorum arithmetice progredientium formant, earumque ſummatione et vſu,* Auctore DANIELE BERNOVLLI. p. 5.

2) *Problematis cuiuſdam diophantei euolutio,* Auctore L. EVLERO. p. 24.

3) *Obſeruationes circa bina biquadrata, quorum ſummam in duo alia biquadrata, reſoluere liceat,* Auctore EODEM. p. 64.

4) *De variis integrabilitatis generibus,* Auctore EODEM. p. 70.

5) *Obſeruationes circa aequationem differentialem* $Tydy + Mydx + Ndx = o$. Auctore EODEM. p. 105.

p. 125. 6) *Conſideratio aequationis differentio differentialis*, Auctore EODEM.

p. 155. 7) *Solutio problematis analytici*, Auctore A. I. LEXELL.

p. 173. 8) *Exercitationes analyticae*, Auctore L. EVLERO.

9) *Digreſſio de traiectoriis tam orthogonalibus, quam obliquangulis*, Auctore EODEM.

In claſſe phyſico mathematica ſequentia inveniuntur:

p. 249. 1) *Expoſitio theoretica ſingularis machinae hydraulicae*, *Tiguri Heluetiorum exſtructae*, Auctore DAN. BERNOVLLI.

p. 272. 2) *De colliſione corporum gyrantium*, Auctore L. EVLERO.

p. 315. 3) *De colliſione corporum pendulorum, tam obliqua, quam motu gyratorio perturbata*, Auctore EODEM.

p. 333. 4) *De vera tautochrona in fluido*, Auctore EODEM.

p. 349. 5) *De tautochrona in medio rariſſimo, quod reſiſtit in ratione multiplicata quacunque celeritatis*, Auctore EODEM.

p. 362. 6) *Dilucidationes de tautochroniſmo*, Auctore EODEM.

DSI

7) *De chordis vibrantibus diſquiſitio vlterior*, Auctore EODEM.

8 et 9) *Animaduerſiones in ſolutionem Bernoullianam de motu chordarum et de motu vibratorio chordarum craſſitie vtcunque variabili praeditarum*, Auctore EODEM. p. 422.

10) *De motu vibratorio chordarum craſſitie vtcunque variabili praeditarum*, Auctore EODEM. p. 432.

11) *De motu vibratorio laminarum elaſticarum*, *vbi plures nouae vibrationum ſpecies hactenus non pertractatae euoluuntur*, Auctore EODEM. p. 449.

12) *De motu grauium citiſſimo ſuper curuis ſpecie datis*, Auctore EODEM. p. 488.

Claſſis phyſica haec habet.

1) *Cyprinus Capoeta et Cyprinus Murſa*, *Auctore* A. I. GÜLDENSTAEDT. p. 507. Nomina triuialia horum piſcium, qui in mari Caſpio habitant, iis ab incolis Georgiae data ſunt, adeoque a Cl. Auctore retenta. Traditur hic vtriuſque deſcriptio et externarum et praecipuarum interiorum partium et icon, laudandae vtraeque. Definitur *Cyprinus Capoeta* cirrhis 2, radio tertio pinnae dorſalis poſtice vtrinque ſerrato, cauda bifurca; At vero his ſignis plane non diſcerni poteſt a *Carpione*. Hinc addamus, eſſe eum perquam ſimilem *Cyprino Naſo*, neque, ipſo Auctore fatente, differre, niſi latitudine parum maiori, et numero radiorum in pinnis. Eſt igitur oblongus, pedalis, roſtro prominente, pinnis fuſcis, dorſali radiis 13, pectoralibus 12, ventralibus 10, vel 9. anali 9, cau-

 dali

dali $\frac{19}{8}$, vertebris 43; iride aurato argentea, linea laterali deſcendente. *Cyprinus Murſa* habitu corporis ſimilis eſt *Eſoci Lucio:* dicitur Auctori cirrhis 4, radio tertio pinnae dorſalis vtrinque poſtice ſerrato: colore laterum fuſco, luteſcente, pinnarum inferiorum fuſco albido, dorſo plano: roſtro rotundato, tumido, prominente, mandibula inferiore breuiore ſemicirculari, labiis tumidis, inferiore trilobo; iride flauicante, linea laterali recta, pinna dorſali 12, pectoralibus 17, ventralibus 8, anali 7, caudali bifida rad. $\frac{19}{6}$. Etiam in his ſpeciebus animaduertimus notam characteriſticam genericam in ſtructura pinnarum, a LINNAEO et GOVANO neglectam, in ſpeciebus noſtratibus a Cl. LESKE primo indicatam *), conuenire. Deſcriptionibus ſimilibus omnium partium certe ad perfectam cognitionem corporum naturalium perueniemus. Moneamus tamen in his ſaepe ſtructuram naturalem, toti generi, quin plurimis piſcibus communem ſuperflue indicari, quae quidem longe melius praeteritur, ne tirones confundantur, et periti offendantur. Interiorum partium ſcrutinium in his deſcriptionibus nondum eſt abſolutum, ſed tantum color, figura et alia externa ſigna addita, ſtructura autem interior omiſſa.

p. 521. 2) *Obſeruationum Splanchnologicarum ad* Acipenſeris *Ruſſici et Huſonis anatomen*, *ſpeciatim vero ad ipſorum auditus organum ſpectantium*, continuatio Auctore I. T. KOELREVTER. Summo certe ſtudio, et maxima cum accuratione Cel. Auctor diſquiſiuit organon auditus in his piſcibus, illudque extra omne dubium poſuit. Depinguntur tres canales ſemicirculares, ſitu illis ex mammalibus perquam ſimiles, ſicque quinque foraminibus in corpus veſiculoſum, ſ. veſtibu-

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 348.

ſtibulum finiuntur. Reperitur etiam ſacculus quidam, in quo oſſiculum; hunc cochleae loco inſeruire ſtatuit Cl. Auctor. Alias enim iam in *Clupea Harengo* inuenit machinulam quandam, quae poſt oculum, globuli inſtar, prominebat, et duobus foraminibus peruia erat, quorum externum in canalem ſemicircularem duceret, alterum corpori veſiculoſo obuerſum eſſet. Deinde oſtendit canalem, quem KLEINIVS (Miſſ. Piſc. I. p. 19. tab. II. b.) meatum auditorium externum dicit, non illum eſſe, ſed muco, ex branchiis ſuccenturiatis aliisque partibus vicinis euehendo, ſeruire. Meatu auditorio externo igitur piſces deſtitutos iudicat. Reliqua iconum artificioſiſſimarum illuſtratione egentia praetereunda ſunt.

3) *Deſcriptio vituli bicipitis, cui accedit commentatio de ortu monſtrorum*, Auctore C. F. WOLFF. Caput et collum erat in toto hoc corpore vitulino duplex. In columna vertebrali circa ſecundam et tertiam vertebram dorſi duplex eſſe incipiebat et deorſum continuabat. Ceterum deformis, pectore et dorſo gibboſis pedibuſque poſterioribus diſtortis erat inſtructus. Cor ſolito maius ſimplex cum ventriculis et aorta venaque caua inferiori ſimplicibus. Arteria innominata duplex oriebatur, cuius quaelibet duas carotides ſiſtebat. Siniſtram putat Noſter adeſſe ad caput et collum alterum nutriendum; et inde probat, ortum monſtrorum pendere a vegetatione aliqua luxuriante, ſeu copioſioris ſecretionis ſucco, in ſolida organica abeunte. Cauae ſuperiores duae erant, dextra ſolito modo, ſiniſtra praeter naturam ſine acceſſu ad cor mire oberrabat et in ſinum dextrum inſerebatur. Pulmones erant tres, arteria aſpera duplex et duae arteriae pulmonales, quarum vna, vbi ſolet, ex corde, altera vero ex innominata ſiniſtra deſcendebat. p. 540.

p. 548. Arteria ex dextro ventriculo cordis orta, ad ſolum vitulum dextrum pertinebat, adeo, vt ramus eius dexter dextrum, ſuperior ſiniſtrum ramum referebat. Nam diſtributio arteriarum aſperarum docuit, pulmonem dextrum cum dimidio ſuperioris, nonniſi dextri vituli pulmones eſſe et pulmonem ſiniſtrum cum altera parte ſuperioris ſeu medii pulmonis ad vitulum ſiniſtrum pertinere. Inde concludit dextrum vitulum in formatione primarium, ſiniſtrum nonniſi acceſſorium ob vegetationem luxuriantem fuiſſe et dextrum prorſus naturalem ſiniſtrumque praeternaturalem productum fuiſſe.

p. 549. Tres trunci venoſi e ſinu pulmonali in tres pulmones mittebantur. Ille, qui in pulmonem ambobus vitulis communem abibat, maior, et illi, qui ſiniſtrum et dextrum pulmonem petebant, minores conſpiciebantur. Item oeſophagi, qui ex collis duo in thoracem deſcendebant, proxime ſuper diaphragma in vnum confluebant, qui illud perforans ventriculo, vti ſolet inſerebatur.

p. 550. Iam venit Noſter ad ortum monſtrorum: et dicit, primum, qui monſtrorum ortum ex colliſione et concretione duorum embryonum antea ſeparatorum, vel ex deſtructione vel ex transſmutatione partium fetus ſimplicis antea integrarum per cauſas accidentales ad generationem non pertinentes deriuarit, fuiſſe Cl. DUVERNEVI; poſtea LEMERIVM hanc rem defendiſſe quidem, attamen magnos viros HALLEROS et WINSLOW hanc hypotheſin plane refutaſſe. Arbitrantur enim hi viri poſſe monſtra nullo modo oriri ex fortuita duorum fetuum colliſione et concretione; ſed neceſſe eſſe, vt a primis ſuis initiis eiuſmodi monſtra iam fuerint, nec aliter, niſi monſtroſe formari inceperint. Atque haec eadem ſententia confirmatur argumentis,

mentis, quae eo redeunt: in iis ipſis, quae monſtroſa in corporibus ſunt, ordinem et fines apparere adeo manifeſtos, adeo partibus monſtroſis conuenientes, vt ne vnquam exſpectari poſſint a fortuita colliſione. Vnde et ſequitur monſtroſam in monſtris ſtructuram iiſdem cauſſis deberi, quibus monſtra ipſa, quibus et fetus naturalis ſtructurae producuntur.

Verum nunc alia quaeſtio oritur: vtrum mon- p. 553.
ſtra ex germinibus monſtroſe creatis originem ducant per modum merae euolutionis, quae ſententia plerorumque Auctorum eſt, an viribus potius naturae generatricibus ſolitis, ſed per cauſſas accidentales modificatis producantur. Nec vero caſui fortuito, nec vlli fortuitae colliſioni, ſtructurae, quae in monſtris apparent, organicae adſcribi poſſe, nec creationi et conſilio diuino tribui; ſed a natura, quae errare poteſt, deriuari debere ex hoc vitulo bicipite et innumeris aliis monſtris, in actis Pariſinis inprimis deſcriptis, apparet. Manifeſtum enim eſt ex omnibus omnino his obſeruationibus, monſtra naturae generatricis quidem, non caſus fortuiti ope, fieri; ſed opera eſſe imperfecta et quae ſucceſſu caruerint. Monſtra itaque non immediata Dei, ſed naturae opera eſſe, quae ſucceſſu caruerint, demonſtratur.

Denique differentia inter monſtra vera, in ſpe- p. 570.
cie bicorporea, et fetus concretos oſtenditur. Illa partes primarias ipſaque plerumque viſcera vitalia communia habent, adeoque vnicum ſemper corpus organicum conſtituunt. In his quilibet fetus ſuis et ab altero prorſus diſtinctis partibus inſtituitur coalitis. Porro monet, quod et ex argumentis, ſimpliciter alibi pro epigeneſi *) datis, iam ſequitur, etiam monſtra

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 684.

monſtra viribus naturae produci, non ex germininibus creatis euolui. Quodſi haec vero propria ſuae originis documenta ſuppeditent; ea viciſſim argumenta ſimul pro epigeneſi eſſe. In iconibus additis repraeſentatur cor cum vaſis maioribus in ſuperficie anteriori et poſteriori.

p. 576. 4) *De reliquiis animalium exoticorum per Aſiam Borealem repertis complementum*, Auctore P. S. PALLAS. Confirmantur hic ea et vberius illuſtrantur, quae de foſſilibus quadrupedum olim expoſuit Cel. Auctor *). Primum de locis, in quibus inueniantur. Per vniuerſam Aſiam borealem ab ipſo Tanai fluuio ad extremum antiquae telluris Americae vicinum angulum, in omnis fere fluuii, praecipue campeſtris, ripis vel alueo oſſa elephantum aliorumque animantium reperiuntur. Alpeſtres vero Sibiriae tractus, atque nimium demiſſae, paludoſae regiones iis ſunt expertes. In omni etiam latitudine Sibiria oſſibus mamonteis aeque ferax eſt; optimum tamen reperitur ebur foſſile in terris arctico circulo vicinis et in regionibus maxime orientalibus. Oſſa animalium quibuſdam locis gregatim congeſta reperiuntur, vt in ripa Tanais, quam triſti nuper fato defunctus Cel. GMELINVS deſcripſit. Nonnunquam ſingulorum, vel paucorum animalium reliquiae vno quaſi in ſepulcro condita reperiuntur. In pleriſque ripis membra animalium disiecta reperiuntur, quaſi a fluctibus agitata, et obruta limo vel glareoſis maxime ſtratis euidentiſſime vndarum effectu et fluctuatione congeſtis, et variis corporum marinorum reliquiis ſociata. Ita vidit Cl. Auctor ad Rhymni, ſ. *Jaik* fluuii ripas et in lacunis ſalſis occurrere

*) vid. comm. hor. Vol. XVIII. p. 683.

currere teſtas calcinatas concharum marinarum, Elephantumque ac Bubalorum oſſa; aliiſque locis eadem reperit, vt ſecundum Turam, Iſettum, et Shiaſſum fluuios, ad ipſam calcem Vralenſium Alpium, reliquias Elephantinorum ſceletorum. Quas aequore ſubmerſas fuiſſe edoctus eſt Cl. Auctor exemplo oſſium ad Iſettum fluuium in tractu riui *Suuariſch*, ſub ſtratis arenae, argillae ac ferruginoſi lapidis, cum Gloſſopetris, et pyritibus repertorum. Clariſſima veſtigia ad Irtin fluuium invenit: ad cuius ripas in ſtratis arenae oſſa Elephantorum, Bubalorum, Rhinocerotum cum teſtaceis calcinatis et oſſibus, quae ad maiorum piſcium crania pertinerent, haerebant. Quid? quod in ipſis metallifodinis, inter mineras ſuperficiarias, in monte vltra ſeptuaginta orgyas elato fragmentum molaris Elephantini effoſſum fuit, et Corallitae Entrochitaeque illic lecti.

Ex his omnibus, aliiſque diligenter a Cl. Au- p. 585.
ctore relatis obſeruationibus apparet, oſſa ſubterranea quadrupedum in Auſtralibus terris natorum, quae nunc per borealem Aſiam ſparſa iacent, reliquia eſſe cadauerum ex Auſtrali patria in arcticas vſque plagas abreptorum et grauiſſima olim terrae cataſtrophe ſubmerſorum.

Vlterius id probatur reperto in frigidiſſima orientalioris Sibiriae plaga, Ircutia, Rhinocerote integro, illic in ripa Wiluii fluuii arenoſa, per plura ſecula cum corio, tendinumque et carnium inſignibus reliquiis, velut in Mumia naturali, conſeruato. Huius integrum caput miſſum eſt ad Illuſtrem Academiam. In capite pedibuſque recenter acceptis corium et tendines, molles adhuc, foetorem ſpirabant ammoniacalem. Siccatum caput atque pedes hic depicta traduntur, ſolliciteque deſcripta a Cl. Auctore. In capite veſtigia cornu naſalis ac frontalis

frontalis aderant euidentiſſima. In corio lacunae, quibus pili inſederunt, et in regione mandibulae dextra pili faſciculati conſpiciuntur. Pedis vngulae tres manifeſte reſtant, ſuntque ipſi pedes maxima pilorum copia veſtiti.

p. 592. Has igitur reliquias non alia, niſi totius telluris perturbatione, ſeu diluuio huc perueniſſe, ac propter gelidiſſimum clima non mutata permanſiſſe, neque veriſimile eſſe, vti antea exiſtimauerat, haec animalia ibidem habitaſſe, Cl. Auctor pluribus docet.

p. 595. His addit deſcriptionem aliarum tum de *Rhinocerote* partium, humeri, quem in ripa Irtis fluuii inuenit; tum cranii omnium integerrimi, in quo dentes aderant omnes, delineationem. Molarium ſtructura ſingularis eſt: omnes in ſuperiori maxilla coronam ſupra habent planam inſculptam cauernis profundis, ſenſim coarctatis, margine cinctis prominulo, tranſuerſim ſubtiliſſime; ſtriato, idemque cingit coronam, fimbriae inſtar; numero ſunt quinque molares. Inferioris maxillae molares multo anguſtiores planioreſque habent coronas, non cauernis exſculptas, ſed ſolidas, ſoloque limbo vitreo ambeunte exornatas: adfuiſſe etiam quinque videntur, ſed duo antici hic defuerunt.

p. 600. Apparent in ipſo margine inciſorio maxillae inferioris veſtigia obliterata alueolorum minuſculorum, aequidiſtantium, e quibus exteriores duo obſoletiſſimi, ſed intermedii ſatis inſignibus foſſis denotati ſunt. In ſuperiori maxilla ad anticum palati terminum vtrinque tuber oſſeum eſt, perobſoleta foſſa notatum, quae alueoli veſtigium refert. Quaerit igitur Cl. Auctor, an certa aetate Rhinoceroti dentes primores ſaltem inferius, haud diu duraturi enaſcantur? indeque forte diſſenſum

auctorum,

auctorum, qui Rhinocerotis dentes deſcribant, oriri exiſtimat.

Deſcribit denique crania foſſilia quadrupedis, nondum rite deſcripti, *Tauri feri*, qui connatis in frontem cornibus, cum *Bubalo capenſi* BVFF. vel potius cum *Biſonte Americano* conuenit. Non tamen inde, quale fuerit animal, definire vult Cel. Auctor.

II.

Planches d' hiſtoire naturelle, enluminées, par le Sieur MARTINET, Graveur et Deſſinateur, exécutées par les ſoins de Mr. D'AVBENTON, le jeune à Paris. Chez Panckouke. in fol. 1765—75.

i. e.

Icones auium, aliorumque corporum naturalium, curante Cl. DAVBENTONO.

Traditae nobis ſunt ſexcentae et nonaginta ſex earum tabularum, quae auium et quorundam exoticorum inſectorum, lithophytorumque, et Iſidis, Madreporaeque icones muſei regii Pariſini ſiſtunt et directore editoreque Cl. DAVBENTONO, iuniore, a *Martineto*, pictore artificioſiſſimo, delineantur viuiſque coloribus illuſtrantur. Vix vtilem vel neceſſariam iudicamus recenſionem ſingularum auium, verum Lectoribus iudicium de iis noſtrum atque praecipuas nouas notatu dignas rarioreſque aues indicemus. Facile enim ex magno tabularum, quarum multae quatuor vel ſex auiculas offerunt, numero colligere licet, plurimas cognitas aues hic reperiri. Quodſi igitur cum iis a LINNAEO enumeratis has conferimus, magnum quidem numerum animaduertimus ab illo non recenſitarum

ſitarum, interim tamen non paucae Linnaeanae ſpecies adhuc deſunt, quas inpoſterum edi ſperamus. A Cl. BRISSONIO definitae ſpecies multae hic iterum reperiuntur, et incognitarum auium tabulis ſubſcripta ſunt nomina Briſſoniana, multaſque icones ad idem exemplar cum BRISSONII factas eſſe, imo haud paruum numerum Briſſonianarum iconum hic reperiri certe affirmare nos poſſe putamus, cum eundem ſitum, eademque ex ſitu malo interdum orta iconum vitia inueniamus. Magno etiam varietatum, quae vel a regione, vel a ſexu pendent, hae tabulae impletae ſunt numero: quod quidem vtile, cum aliter varietas, pro ſpecie facile haberi poſſit; ſed tamen certis limitibus circumſcribendum eſſet, meliuſque foret, ſi hae varietates verbis tantum definirentur. Etſi igitur omnino confitendum eſt, multa arte magniſque ſumptibus has tabulas eſſe confectas, plurimaſque nitidas atque egregias aues repraeſentare, vt, ſi omnia computaueris, vel magnitudine ſola alios libros, auium icones continentes, ſuperent: non poſſumus tamen, quin moneamus in adeo pretioſo ac ſplendido libro multa debuiſſe elegantius, curatius atque aptius ad naturae exemplum confici: hinc ingenue vitia iconum indicabimus, et ab Ill. BVFFONII, qui eas nimis laudauerit, opinione aliquantiſper recedere cogimur.

Illius incommodi non mentionem faciamus, quod hic omnis deſcriptio deſit, nomenque triuiale tantum, omiſſa omni Auctoris cuiuſdam Claſſici commemoratione additum, cum illud aliquo modo tollant deſcriptiones earum ab Ill. BVFFONIO in hiſtoria auium datae, etſi ne hae quidem perfectam nobis cognitionem dent. Multas enim veras ſpecies Ill. BVFFONIVS varietates habet; quae

quae tamen nunquam ſunt, multaſque re ipſa varietates ſpecierum nomine inſignit, paucaque addit de forma, ſtructuraque corporis differenti, ſed ad iconem reuocat, in qua eadem vix ſemper certe ſatis conſpicitur.

Neglectam igitur ſaepiſſime in his, quas indicamus, iconibus, ſtructuram veram corporis, ex qua ſimilitudo omnium partium, quam habitum dicimus, eliciatur, reprehendimus, quod, cum plures ad ſiccatas et refertas aues factae ſint, vix aliter euenire poterat. Deinde generatim pennarum ſtructura nimis rudis eſt, coloreſque earum quaſi abrupti ſaepe, neque, vt natura oſtendit, ſatis cohaerentes picti ſunt, nimis ſi cum natura atque optimis EDWARDI iconibus comparamus, ſaturati, vt in Pſittacis, quorum viridis color ſemper magis in luteum tranſit, quam hic pingitur. Deinde in illis, quae aureum colorem, vel argenteum in pennis referunt, auibus hi colores nunquam ad naturam expreſſi ſunt, ſed ruditer auro argentoque tantum quaſi obducti. Male ſaepe ſitae ſunt aues, vt partium eſſentialium, roſtri nempe, pedum, alarum caudaeque ſtructura differens contemplatoris oculum fugiat. Sic pedum greſſoriorum ſtructura ſemper fere eſt neglecta, digiti vel omnes connati, vel fiſſi picti. Denique totum fere opus, plurimae certe tabulae, negligentia artificum maculis, hinc inde eraſis, eſt ſpurcatum, quod in tanto libri pretio omnino caueri debebat.

Iam de ſingulis quibuſdam auium hic depictarum vitiis agamus. In *Muſcicapa Paradiſi* (tab. 234.) deſunt rectrices intermediae *longiſſimae*, certe breuiores, quam debebat, pictae ſunt. *Loxia Curuiroſtra*, quae noſtras regiones inhabitat, nunquam eſt alis *atris*, vti hic (tab. 218.) pingitur roſtrumque eius nimis magnum ſiſtitur, quale eſt in

aue, caueae diu incluſa; neque noſtras *Loxia Pyrrhula* adeo, vti hic (tab. 145.), coeruleſcit, ruberque color, non flaueſcit, ſed ſanguineus eſt pedesque nigri ſunt. Quum igitur haec hic aliter pingantur, aut auium Gallicarum, (nam vix vnam noſtris perfecte ſimilem deprehendimus) colores a noſtratibus omnino differunt, aut icones earum, quod vero eſt ſimilius, hae non curatae ſatis ſunt. *Phaſianus motmot* LIN. non ruſeſcens, ſed coeruleo vireſcens hic (tab. 146.) ſiſtitur. In *Buphaga* (tab. 293.) vnguis exterior nimis magnus, et medius, qui maior eſſe debebat, minor eſt. In *Falconum* genere raro cera et pedes, eodem, quo viui praediti ſunt, colore pinguntur; Sic tab. 412. *Falconis Niſi* cera lutea, quae viridis, itidemque tab. 420. *F. apiuori* cera lutea, quae nigra eſt. Tabula 488. *Coruus Pica* nimis violaceus, nec ſatis albo colore pingitur, neque cauda cuneiformis bene exprimitur. *Turdi viſciuori* tab. 489. color nimis oliuaceus videtur. *Corui Graculi* (tab. 255.) pedes lutei ſunt, male igitur hic ſanguinei. In *Cuculo Perſa* LIN. (tab 601.) faſcia nigra eſt neglecta, nec lineae albae bene notatae: Roſtrumque nimis craſſum et ſerratum. Haec aliaque, quae praeterimus, minora vitia, ad *Emberizae*, *Fringillae* et *Pari* colores praeſertim attinentia, paullo maiori cura facile inpoſterum corrigi et euitari poterunt: nosque ideo ea indicauimus, vt in continuatione huius ſplendidi operis directores magis ſollicite artificum opera corrigant, atque praeſertim ſitus auium naturalis, pedum roſtrique vera forma curatius pingantur.

Caeterum non negamus plurium auium ſat bonas eſſe icones. Splendet hoc opus multis raris auibus, vti ſunt *Trogones*, *Buccones*, *Todones*, *Bucerotes*, *Ploti*, *Diomedeae*, *Plataleae*, *Palamedeae*, et

et plures. Imo reperimus quaſdam, quae ad nulla a LINNAEO ſtabilita genera, nobis videntur referri poſſe. Inter eas ſunt: tab. 328. *Caſſique verd de Cayenne.* Genere ad *Alcedinem* propinqua. Roſtrum eſt ei cuneiforme baſi craſſum, ſubangulatum, apice parum incuruum, rubrum, nares lineares prope a baſi roſtri, pedes ambulatorii. Ipſa auis viridis eſt, remigibus nigris, rectricibus ſubtus flauis, criſſo bruno. *Tab. 352. Poule d' eau de Cayenne.* Media inter *Fulicam* et *Rallum.* Roſtro *Fulicae*, corpore pedibuſque *Rallo* ſimilis. Frons non calua, pedes ſimplices, rubri, ſeminudi, capite colloque, genis gulaque albeſcentibus, pectore, abdomine remigumque apicibus rufo fuluis, armillis, criſſo caudaque nigro violaceis, ceruice, dorſo aliſque viridibus.

Ad Picarum ordinem pertinens nouum genus, *Bucconi* proximum, videtur *Barbican des Cotes de Barbarie* tab. 602. Eſt enim roſtrum, quantum ex icone definire licet, carinatum, apice aduncum mandibula ſuperiore vtrinque duobus dentibus inſtructa, capite longior: reliqua ſigna generica ſunt, vt in Buccone. Corpore eſt nigro, collo ſubtus abdomineque ſanguineis, abdomine albo maculato, cauda elongata, rotundata. Orbita oculorum cinerea nuda. Barba ſetacea mandibulae inferiori appreſſa. Pedes fuſci, ſcanſorii. Tab. 663. *Martin pecheur de la nouvelle Guinée* nouum genus conſtituere videtur, cum differat ab *Alcedine* roſtro ſubquadrangulo, mandibula ſuperiore adunca, apice bifida. Corpus eſt fuſcum, cauda fulua nigro faſciata, apice albo, remigibus albo maculatis, occipite criſtato, faſciculo plumoſo ſuboculari nigreſcente.

Ex multis nouis ſpeciebus quaſdam tantum deligamus. *Tab. 452. Couroucu*, noua certe eſt *Bucconis* ſpecies, ni nouum genus. Roſtrum eſt cultra-

tum apice incuruo. Nares laterales ouatae, non tubuloſae, vibriſſae ad mandibulam ſuperiorem inferioremque. Pedes ſcanſorii. Corpore viridi, genis coeruleis, orbitis abdomine criſſoque purpureis, remigibus rectricibuſque ſubtus et genibus nigris, alis albo nigroque vndulatis, rectricibus ſupra coeruleſcentibus. Phaſiani ſpecies eſt *Faiſan verdatre de Cayenne* tab. 338. nigro viridis, gula areaque oculorum papilloſis, ſanguineis, abdomine criſſoque fuſcis, cauda cuneiformi. *Oriolus tab. 344. Caſſique hupé de Cayenne* notandus eſt, niger criſtatus, vropygio criſſoque rufo, bruneſcente, rectricibus tribus exterius flauis, cauda rotundata, roſtro pedibuſque luteis, oculis coeruleis. *Tabula 463. Strix* noua *Sibirica*, capite laeui, cauda elongata cuneiformi, albo fuſcoque varia, cauda fuſca, albo ſupra, infra fuſco faſciata. *Tinamou de Cayenne tab. 476.* noua ſpecies eſt *Tetraonis*, rufo corpore, nigro vndulato, gula alarumque tectricibus virideſcentibus, abdomine albo fuſco faſciato, genis nudis ſanguineis. Roſtro *Rallis* ſimilis euadit. Ex multis nouis *Trochili* ſpeciebus commemoremus tantum, quae 599 tab. f. 2. depicta eſt, curuiroſtrem, rectricibus caudae duabus elongatis, capite faſciaque gulari violaceis, gula criſſoque aureis, maculis alarum ſanguineis, dorſo, remigibus, cauda flauo rubra, tectricum apice ſubnigro: et illas, quae eximia colorum varietate nitent ac tab. 640. reperiuntur. 1. *Oiſeau mouche hupé à gorge topaze. Trochilus* capite gulaque coeruleis, ſupra, alis, rectricibuſque mediis viridi-coeruleo-nigris, collari ceruicis, abdomine, rectricibus externis albis, apicis margine nigris. 2. *Oiſeau mouche dit la Iacobine;* fuſcus, criſta ſanguinea, gula aurea, cauda coccinea, apice nigra. 3. *Oiſeau mouche dit le Hupecul, de Cayenne,* criſta pilei, gulaeque

vtrinque

vtrinque coccinea, apice pennis nigris, collo et interſcapulio viridibus, pectore nigro, reliquis partibus fuſco aureis.

Tabula 633. nouus *Coracias*, *le Siffelet* dictus, naribus linearibus, pedibus ambulatoriis, niger, pectore, gulaque aureis, occipite coeruleo, cauda rotundata, criſta exigua frontali; ſingulare eſt in hac aue, pennas tres non procul oculum oriri elongatas, attenuatas, apice plumoſas. Speciosiſſimae omnium ſunt nouae *Paradiſeae* ſpecies. Prior tab. 631. dicta *Oiſeau de Paradis de la nouvelle Guinée, dit la Magnifique*, nigra, pileo, pectore, hypochondriiſque coeruleo aureis, iugulo gulaque violaceis, pennis interſcapulii ſurrectis elongatis. Altera tab. 632. *Oiſeau de Paradis de la nouvelle Guinée dit le Superbe*, viridis auro maculata, gula pectoreque antice nigris, poſtice purpureis, criſta duplici, alia in nucha, minori, alba, apice nigra; alia ceruicis ad roſtri baſin maiori lutea; remigibus apice, caudaque fuſcis, abdomine, rectricibuſque ſubtus nigris. Dubii ſumus, an noui generis ſit, an ad *Coruum* pertineat tab. 634. *Calybé* dicta, roſtro cuculi, ſed craſſiore, pedibus ambulatoriis, fuſco rufus, ſubtus pallidior, capite nigro vndulato, cauda rotundata, rectricibus mucronatis.

III.

Vermium terreſtrium et fluuiatilium ſeu animalium infuſoriorum, helminthicorum et teſtaceorum, non marinorum, ſuccincta hiſtoria, Auctore OTHONE FRIDERICO MÜLLER, Regi Daniae a Conſiliis Iuſtitiae, plurium Academiarum Societatumque Sodali. Voluminis I. pars I. Havniae et Lipſ. Apud Heineck et Faber, Typis Martini Hallager. 1773. 17 plagg. in 4. Vol. I. Pars II. ib. 1774. 10 plagg. 4. Volumen II. ib. eod. 1 Alph. 9½ plagg. 4.

Si vnquam hac noſtra aetate obſeruatis Virorum Summorum ſcientia naturalis aucta eſt, vti eſſe ſatis inter omnes conſtat: certe hoc etiam, quem indicamus, libro claſſis vermium prius abſcondita et obſcura, egregie illuſtrata, eorumque natura ſollicite ſcrutata clariorique luci eſt expoſita, adeo, vt verba, quae ſatis virtutes eius laudent, vix apta ſatis reperiamus. Deprehendimus enim in eo ingentem nouorum animalium numerum, ſollicite et curate deſcriptorum, obſeruata de eorum vita, motu corporis vario, nutrimentis, generationis et multiplicationis ratione, lectu amoeniſſima et digniſſima, correctos aliorum obſeruatorum errores, multa alias iam obiter indicata, repetita obſeruatione certius confirmata: verbo, cuncta, quae ad perfectam vermium cognitionem, quantum fieri poteſt, pertinent, coniuncta reperies, et deſcriptionem diſtinctam et obſeruata de actionibus et natura animalculorum plurima, vt conſilia optima, quae paſſim ad recte tractandam hiſtoriam naturalem tradantur, optime ab ipſo Ill. Auctore exſecuta appareant. Praeterea, quae ad ſplendorem et commen-

commendationem libri multum faciunt, latinitas dictionis, ſuccinctaque breuitas, ornamenta argumentorum ex illuſtribus locis communibus petita, preſſuraeque puritas et ſubtilitas chartae, ita hic adſunt, vt nihil inuenias, quod in his amplius deſideres. Omnes certe nobiſcum ſcientiae naturalis ſtudioſi de promiſſis a Cl. Auctore figuris animalculorum laetabuntur eaſque optabunt vehementer et auide exſpectabunt.

Verum, vt, quae diximus, vere ita deprehendi, ex ipſo libro cognoſcant Lectores: maxime notabilia indicabimus ſperamusque, eo gratiorem fore vberiorem eorum recenſionem, quo ipſae obſeruationes ſunt grauiores et vtiliores. Atque, cum optimo ordine Cl. Auctor omnia tractauerit, eundem etiam tenebimus, eaque primum generaliora indicabimus, quae in praefationibus et toti operi, et ſingulis partibus praemiſſis propoſuit.

Vermium definitio, difficillima, quae omnibus conueniat, nulla ab Auctoribus data eſt, neque dari poſſe videtur, niſi negatiua. Diſtinguuntur ab inſectis, quod nec metamorphoſin, nec decorticationem patiantur, a caeteris animantibus, quod partes mutilatas quaſcunque in integrum reſtituere valeant, quodque plures hermaphroditi ſint, imo abſque ſexu, ſola partitione ſpeciem perpetuent. ***Praef.***

Plurimis vermibus caput eſſe hic confirmat *), cum oculis inſtruantur. Pedibus, praeter *Nereides*

*) Conferantur hic et pluribus aliis locis obſeruationes Ill. Auctoris *de vermibus aquarum dulcium* inſtitutae, ad quas hic ſemel tantum in hac operis recenſione Lectores remittimus, ne vna eademque libri commemoratione moleſti ſimus. vid. eorum ſummam in comm. noſtror. Volum. XIX. p. 233.

des et *Naides*, inſtruuntur quaedam *Trichodarum* ſpecies. Androgyni ſunt *Limaces* et *Lumbrici*: *Hydrae* forteque *Naides*, totaque fere infuſoriorum cohors abſque ſexu. Alii vermium tentaculis, alii cirris dignoſcuntur, plurimi nullis inſtruuntur.

Linnaeana diuiſio vermium Auctori diſplicet; Zoophyta enim nulla, cum motu ſpontaneo animal a vegetabili certiſſime diſtinguatur. Lithophyta *Hydris* et *Nereidibus* adſocianda eſſent: et *Faſciola* potius ad Molluſca referenda, cum character ordinis inteſtinorum ex annulari et filiformi ſtructura ſubſtantiaque duriuſcula ſit deſumendus. Teſtarum ſolus defectus Molluſca a reliquis Teſtaceis Auctori non videtur diuellere. Affinitatem proximam probant *Limacum*, cum animali *Helicis* LIN., et *Aſcidiae* cum concharum incolis conuenientia; et tranſitus a Limace *nudo* ad *teſtaceum*, per ſpecies intermedias, nudas, lapillum ſ. teſtae rudimentum intus geſtantes; et *Buccinum glutinoſum*, ſpecies noua, teſta membranacea ſub pallio carnoſo latente inſtructum. Inde iungit Teſtacea Molluſcis.

Egregia eſt Ill. Auctoris ſententia de naturae ſerie, atque de vſu et fine methodi: Naturam vnam tantum diſtinctionem viuentium et brutorum agnoſcere, reliquam ſyſtematicorum diuiſionem recuſare, hanc tamen humanae in intellectu indigentiae ſubleuandae cauſſa neceſſariam eſſe maxime. Igitur primum conſtituit Vermes partiri in eos, qui tentaculis inſtruantur, et qui iis careant. Increſcente vero *Infuſoriorum* numero, vermes fluuiatiles et terreſtres ex maxima indolis conuenientia, in *Infuſoria*, *Helminthica*, et *Teſtacea* diſpoſuit. Verum et hic exceptiones: *Vorticellarum* enim quaedam vix infuſoriae. *Faſciolarum* aliae vere infuſoriae. Limaces *nudi* a teſtaceis non remo-

vendi.

vendi. *Tubularia* et *Hydra*, ab omnibus tribus ordinibus diuerſae; ſed propter locum fluuialem conuenientem, et cum duorum generum cauſſa ordinem effingere nollet, Helminthicis pro tempore adnumeratae ſunt. T. II. p. 13.

Nomina ex proprietate animali conueniente finxit, omneſque difficultates ſuperare ſtuduit. Rectiſſime dicit, ab illo ſolo eaſdem intellectum iri, qui animalculis ſimpliciſſimis, quorum affectiones perpaucae cognoſcuntur, nomina, figuram, motum habitum vel quodcunque proprium referentia imponere ſatagit. Experientia noſtra idem docti Cl. Auctoris ſententiam comprobamus. Adſcripſit Danica, Germanica, Anglica, Gallica, vbi innotuere, ac ſynonyma deſcriptorum addidit.

His in vniuerſum praemiſſis, tabulam generum, cum characteribus genericis exhibet, quam etiam repetamus, vt poſtea obſeruationes in ſingulis partibus narratas tradere poſſimus. Sunt igitur vermes terreſtres et fluuiatiles

I. Tentaculis deſtituti.

A. Vagantes. *Infuſoria.*

a. Organis externis nullis.

*) teretes:

1. *Monas;* corpus punctiforme.
2. *Voluox;* corpus ſphaericum.
3. *Enchelis;* corpus cylindraceum.
4. *Vibrio;* corpus elongatum.
9. *Burſaria;* corpus cauum.

**) complanati:

5. *Cyclidium;* corpus orbiculare vel ouatum.
6. *Paramaecium;* corpus oblongum.
8. *Kolpoda;* corpus ſinuatum.
7. *Gonium;* corpus angulatum.

b. Organis externis.

10. *Cercaria;* corpus rotundato caudatum.

11. *Trichoda;* corpus altera parte crinitum.

12. *Vorticella;* corpus nudum, apice ciliatum.

13. *Brachionus;* corpus teſta tectum, apice ciliatum.

B. Serpentes. *Helminthica.*

a. Cirrati.

14. *Hydra;* corpus nudum.

15. *Tubularia;* corpus vaginatum.

b. Setoſi.

16. *Nais;* corpus depreſſum oculatum.

17. *Lumbricus;* corpus teres, caecum.

c. Mutici.

17. *Gordius;* corpus aequale filiforme.

18. *Aſcaris;* corpus poſtice attenuatum.

19. *Hirudo;* corpus antice et poſtice truncatum.

20. *Faſciola;* corpus latiuſculum, plicatile.

II. Tentaculis inſtructi. *Teſtacea.*

A. Tentaculis quatuor.

a. Teſta nulla.

21. *Limax;* clypeus carnoſus.

b. Teſta tecti.

22. *Helix;* pallium carnoſum.

B. Tentaculis binis.

a. Teſta patula.

30. *Ancylus;* oculi tentaculaque truncata intra teſtam.

24. *Vertigo;* oculi apice tentaculorum linearium.

25. *Carichium;* oculi ad baſin poſtice, tentacula truncata.

26. *Bucci-*

26. *Buccinum;* oculi ad baſin interne, tentacula triangularia.

27. *Planorbis;* oculi ad baſin interne, tentacula ſetacea.

b. Teſta operculata, tentaculis ſetaceis.

28. *Nerita;* oculi ad baſin externe.

29. *Valuata;* oculi ad baſin poſtice.

c. Teſta biualui.

32. *Mytilus;* Siphones breues, tentaculiformes, cardine ligamentoſo.

31. *Tellina;* Siphones elongati, tentaculiformes, cardine dentato.

33. *Mya;* abſque ſiphone, cardine dentato.

Praeterea, illuſtrationis cauſſa, conuenientia et diuerſitas horum vermium pro ratione loci, quem inhabitant, ſubſtantiae corporis, organorum, motus diuerſi et actionum, vno in conſpectu hic praepoſitae ſunt.

Generaliora de *Infuſoriis* huc redeunt. Plurimis, inde a LEEUWENHOEKIO ad SPALANZANIUM, de infuſoriis obiter, cum generationis phaenomena ſcrutarentur, differentibus, neque de diſtincta ſpecierum determinatione curioſis; primus HILLIUS paucas eorum ſpecies animalibus addidit: quem quidem alii plures recentiorum ſecuti ſunt. Argumenta de animalitate infuſoriorum ſunt motus et quies ſpontanea, in ſpecierum agmine valde diuerſa, facultas pericula fugiendi, organorum commotio, motus cordis et inteſtinorum, ſordium excretiones, figurae mutabiles; praeceps omnium concurſus, ſimul ac humidum deficere incipit in eam partem, qua guttulae reſiduum ſentitur; ſollicitudo anxia, motus organorum, quibus aqua hauritur, in vltimo vapore concita-

Vol. I. Pars I. p. 4.

p. 7.

concitatior, mors denique, atque coitus, quamuis pauciſſimorum. Inde regnum neutrum et chaoticum annihilantur.

p. 8. Praeter propagationem per oua, fetus et gemmas, ſingularis quoque per partitionem ſpontaneam, in maioribus vermibus demonſtratam, his etiam competit. Peragitur ea vel ad longitudinem, vel transuerſim, vel vtroque modo, at non
p. 9. ſimul. Transuerſalis in *Trichoda Lepore* frequentiſſime obuia, *Naidum* partitioni ſimilis eſt. Longitudinalis fit vel ab vtraque extremitate ad mediam, vti TREMBLEY iam obſeruauit; vel a poſtica ad anticam ſuccedit, quae eidem *Trichodae lepori* com-
p. 10. petit, ſicque abſoluitur: in medio marginis poſtici oritur paruula fiſſura, quae per medium totius corporis increſcit, partibus fiſſi animalculi gradatim in angulum maiorem diſcedentibus, donec ſolo apice cohaereant. Inter haec animalculum, corpore fiſſo, vagatur, ac ſaepe, vt partitionem properet, bipartiti corporis partes adhuc parallelas ſumma vi in verticalem vibrat, rurſusque in parallelam reducit; tandem partes apice quoque disruptae in duo animalia perfecta eiuſdem longitudinis iiſdemque organis, quae ante partitionem in vnico aderant, inſtructa, latitudinis vero minoris diſcedunt.

Partitione ſpontanea, coitum mentiente, deceptos eſſe omnes alios obſeruatores, qui coitum deſcripſerint, putat: attenta enim obſeruatione nunquam
p. 12. veram copulam vidit. Aqua mera vitam ſuſtentant infuſoria; nunquam vidit Cl. Auctor minora animalcula maioribus eſſe nutrimenta. In omni, et in puriſſima aqua habitant, maxime in infuſo vegetabilium, vt *Lemnae*.

Vita eorum per dies, ſeptimanas et annum in aqua non innouata, nec foetente perdurat, quaedam rigorem frigoris ſuſtinent. Vere demortua et rupta animalcula in vitam non redeunt, ſi vero ante plenariam ruptionem deliquenti animalculo aqua affunditur, vita et motus redit. p. 14.

GVETTARDI *) temeritatem, qua animalcula infuſoria meras veſiculas farinaceas arguit, argumentis, quae ſoli ingenio debentur, recte reprehendit Cl. Auctor. p. 19.

Subiicit quoque hypotheſin generationis, obſeruationibus plurimis nixam et vlteriori dignam examine. Cum nimirum globulos cryſtallinos fungorum, animalculis circa pelliculam veſicularem ſimillimos, in filamenta longa abire, mucumque, ex quo fungi oriuntur, filamenta eſſe eiuſdem naturae, diverſi voluminis, corpora vicina varie obrepentia; ipſiuſque Mucoris ſpecies talibus globulis componi; et punctula minima pelliculae vnum poſt alterum et quaedam ſimul a pellicula ſecedere, tremere, mobiliaque fieri motumque ſenſim adeo augeri expertus eſſet, vt breui in varias directiones diſcurrerent: atque omnium animalium ſperma ſuis ſcateat vere animalculis: haec generationis theoria nata eſt.

Partes nempe animales et vegetabiles reſolvuntur in pelliculas veſiculares, quarum veſiculae ſeu globuli, aeque ac globuli fungorum cryſtallini, in obiecta per ſeries excurrentes telamque araneoſam fingentes ſenſim a maſſa communi laxati reuiuiſcunt et animalcula infuſoria et ſpermatica agunt. Haec ex moleculis brutis et quoad ſenſum noſtrum inorganicis facta animalcula ſimpliciſſima et minutiſſima a reliquis microſcopicis ſubſtantia et organiſatione diuerſa, omne fluidum occupant, p. 21.

*) vid. comm. noſtr. decad. II. Suppl. III. p. 562.

cupant, et pro modificatione reticularis ſubſtantiae ſeu primordii fetus, ad praeuiſos fines a ſummo Creatore praeformati, horumque animalculorum affluentia euoluendi, omnigenas animalium et vegetabilium figuras in lucem producere videntur. Terreſtri enim materiae plus vel minus *immixta*, partes corporum ſolidas et fluidas, *libera* ſuccum nerueum ſpirituſque animales conſtituere, nouorumque continuo affluxu incrementum augere, vitam ſuſtentare, morteque opificii vinculis ſenſim ſoluta reuiuiſcere, nouum pro re nata opus aggredi, ſicque per circulum perennem e materia bruta fieri, ex organica bruta, voluntate PRIMI MOTORIS a veritate non prorſus alienum putat *).

p. 25. Iam quaſdam praecipue notatu dignas obſeruationes de ſpeciebus deligamus. E *Monadis* tribus ſpeciebus, quae omnes inconſpicuae ſunt, i. e. nudi oculi acie non percipiuntur, *gelatinoſa*, omnium animalculorum infuſoriorum minimum, ſimpliciſſimumque, copioſiſſime in aqua, vbi maceratio facta eſt, habitans, motum, qualem radii ſolares in aqua micantes fingere ſolent, oculis exhibet. *Monas Lens*, hyalina, contra morem animalculorum vltimum aquae exhalantis reſiduum quaerentium ad marginem, vbi haec citius deficit, congregatur, mortemque tabeſcendo oppetit. *Monas Mica*, hyalina, circulo ouali intus inſcripta: qui mobilis eſt, et in medio, vel verſus antica vel verſus poſtica videtur: cum mouetur animalculum, halone, haut dubie e ciliis vibrantibus inuiſibilibus orto, cingitur.

p. 29. E ſex ſpeciebus *Voluocis* notemus, *Voluocem conflictorem*, ſphaericum ſubopacum, interaneis mobili-

*) cf. plura *Pile=Larven* Hauniae. 1772. p. 73—87.

mobilibus. Hic dextrorſum ſiniſtrorſumque lente per interualla rotatur, loco raro mouetur. Moleculae innumerae intra circulum contentae ſemper, et quaſi in conflictu vehementi mouentur: hinc pro maiori confligentium in alteram concurſu ſphaera aliquantiſper dextrorſum vel ſiniſtrorſum rotatur, moleculis eandem directionem ſequentibus: mox breui quieſcit, conflictus fit vehementior, et fortuna dubia; tandem rotatio praeualentium voluntate in alteram inſtituitur, ac in ſpiralem continuatur. *Voluoces*, *lunula*, et *ſphaerula* p. 31. propter corporis formam ita dicti, figuram nunquam mutant, ſed ex animalculis omnino ſimilaribus compacta, microcoſmum quendam conſtituere videntur, nec tamen meliore iure, quam olim mundus animal dicendum: motus enim totius maſſae moleculis, ex quibus componitur, deberi videtur. *Voluox ſphaerula* cum *Monadibus* in arbore Cl. PALLAS*), inter animalia infimum radicis locum occupantia eſt; quemadmodum inter vegetabilia alia ſphaerula, huic ſimillima, alias a Cl. Auctore deſcribenda.

Enchelidum aliae ſunt opacae, aliae pellucen- p. 33. tes, omnes nudo oculo inconſpicuae, motu maxime diuerſae. *Enchelidem ſeminulum* extremitate antica in angulum acutum cohaerere, hoc quoque ſitu circumnatare ſaepius vidit Cl. Auctor, partitione nondum peracta. *Vibriones* vel gelatinoſi, vel p. 39. pellucentes ſunt. E primis eſt *Vibrio Bacillus*, li- p. 40. nearis, aequalis, vtrinque truncatus: mouetur in recta linea. Cum ex eadem aqua eodem tempore duas foeni infuſiones pararet alterique foenum forcipe in partes minores reſectum, alteri integrum

*) vid. EIVSD. elench. Zoophyt. p. 23. vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 156.

grum immiſiſſet: huic nullos *Vibriones Bacillos*, plures *Monades lentes*, et *Kolpodas cucullos*; illi myriades *Vibrionis Bacilli*, paucas *Monades* enaſci
p. 41. vidit. De *Vibrione Anguillula*, qui eſt LINNAEI *Chaos rediuiuum*, ſuſpicatur, exuuias eum exuere, cum quorundam anticam et poſticam partem pellicula proſtante hyalina, vaginulam ſimulante
p. 45. obſitam obſeruauerit. In *Vibrione Proteo* nunquam eum ſtatum vidit, quem BAKERI figura 3, et 4. tab. 10. n. XI. *) indicant, neque vllum organum rotatorium aut cilia, nec colli totius occultationem.
p. 51. *Cyclidium Glaucoma*, ouatum, interaneis aegre conſpicuis, mouetur, vt *Gyrinus natator*: ſi lente mouetur, aquam quouis momento haurire, interaneaque in magna commotione conſtituta videntur: tam arcte bina horum cohaeſerunt, vt ne ipſa quidem morte dirimerentur. In *Cyclidio radiante* lineas concentricas, vel radios non vidit, quos Cl. SPALLANZANI **) depingit; cadaueribus vero animalculorum euaneſcentium illos paſſim adiacentes obſeruauit, euaporationi et cryſtalliſationi in humido tribuendos.

p. 54. In *Paramaecio Aurelia* cohaeſionem per 12 horas obſeruauit, non tamen ſulcus euanuit, vt Cl. WRISBERG vult ***), ſed margines laterales pellucebant, corporaque medio cohaerentia antice et
p. 58. poſtice diſtabant. Interanea in *Kolpoda Cucullo*, cuius icones apud Auctores malae ſunt, ipſam ſobolem eſſe putat. Et in hac ſpecie cutis mutationem ſuſpicatur. Maxime ſingularis eſt *Kolpoda Meleagris*, mutabilis antice, vncinata, poſtice complicata.

*) vid. EIVSD. *Beyträge zum Gebrauch des Microſcops. Augsb.* 1754.

**) vid. EIVSD. *phyſical. Abhandl. Leipz.* 1769.

***) vid EIVSD. obſeru. de animalc. infuſor. Gott. 1765. c. f. 7. v. comm. noſtr. Secund. decad. Suppl. I. p. 167.

cata, quae *Faſciolarum* inſtar mouetur. Omnes p. 60.
ſpecies *Gonii* mira ſunt ſtructura, maxime tamen
ſingulare eſt *G. pectorale*, quadrangulare, pelluci-
dum moleculis 16 ſphaericis; quae ſubuirentes,
pellucidae, corpori, vnionum inſtar pectoralis ſum-
mi Pontificis, inſertae, lumen vtrinque reflectunt.
Saepius hoc vidit Cl. Auctor, diuque dubius oua-
riumne, an fruſtulum pelliculae vegetabilis mace-
ratae, vortice cohabitantium animalculorum, vel ha-
litu oris protruſum: motu denique vero ſpon-
taneo conuictus fuit de eius animalitate.

Cercarias vel teretes, vel depreſſas dicit. *Cer-* p. 64.
caria Gyrinus, animalculis ſpermaticis Auctorum
ſimilis eſt. *Trichodae* ſubdiuiduntur in caudatas, p. 71.
ecaudatas, vel antice vel vtrinque crinitas. E mul- p. 72.
tis notemus *Trichodam Pupam*, cucullatam, fronte
crinita, cauda inflexa, quae facie Pupam culicis
refert, et lateri incumbens ope pilorum in circu-
lum gyratur, cauda eundem ſitum ſeruante: *Tri-* p. 86.
chodam Lynceum, ſubquadratam, roſtro adunco,
ore crinito: Vna haec ſpecies, in qua quaſdam in
copula deprehendit Cl. Auctor: genitalia ſita ſunt
in ſinu marginis infimi; haec in coniunctione vltra
corpus porrecta, ſpatia lateralia inter vtriusque
corporis marginem vacua relinquunt ipſaque ani-
malcula in actu plagam oppoſitam ſpectant. Ne
imminente quidem morte diſſoluuntur. *Tricho-* p. 93.
dam Linterem, ouato oblongam, vtraque extre-
mitate prominulam: quae in ſola *Lichenis co-*
riarii infuſione copioſiſſime apparuit. *Trichodam* p. 94.
Sannionem, incuruatam, ſupra ciliatam, infra trun-
catam: quae, aqua deficiente, motuque ceſſante,
quibusdam ciliis in agone micat: guttula affuſa
reuiuiſcit quidem, cirrhisque vagatur, cilia vero ri-
gida euaneſcunt, animalculumque demum in mole-
culas reſoluitur. Crines *Trichodarum* quidem cilia dici

poſſunt; a ciliis Vorticellarum vero et Brachionum in eo differunt, quod haec continuo rotentur, illa interrupto motu micent.

p. 96. Vorticellae quaedam nudo oculo, quaedam ſolo armato conſpicuae, omnes microſcopio inquirendae ſunt vel absque cauda et pedunculo liberae, aut opacae, aut pellucidae; vel caudatae, cauda diſtincta, aut connata; vel pedunculatae, pedunculo et breui, et longo, vel ſimplici, vel ra-
p. 98. moſo. Huius generis 38 ſpecies conſtituit. *Vorticella multiformis*, viridis, opaca, ex omnibus Naturae mirandis, quae vidit Cl. Auctor, haec ſane maxime mirabile ac ſummum artificium praebet.
p. 102. *Vorticellae Crateriformis*, ſubquadratae, duo indiuidua coniuncta deprehendit, quae a ſe inuicem ſecedentia, concitatim natabant, alteraque alteram in vorticem ſuum traxit: haec tamen, cum minora reliquis eſſent, ſponte potius diuiſa, quam coitu iuncta putat. Mirabilis eſt *Vorticella naſuta*, cylindracea, crateris medio mucrone prominente: in qua, praeter organum rotatorium anticum, vorticellis commune, medium corporis ab altero circumdatur, huiusque cilia in motu animalculi ob vehementiam rotationis vtrinque tantum perſpiciuntur, quaſi in mucrones vnita: quin, inter hoc et anticum adeſt tertium parcius ciliatum. Haec cilia in medio corporis ſunt rudimentum propagationis per partitionem, ſimulque proles in medio et extremitate animalis ſentitur: hinc, cum poſtea ſimplices reperiſſet Cl. Auctor, eandem et partitione et fetubus viuis ſimul propagari putat, pro-
p. 117. lemque ante partitionem iam grauidam eſſe. *Vorticella Lunaris*, ſimplex hemiſphaerica; pedunculo retortili notanda eſt. Retorquetur pedunculus, quod et in plurimis aliis pedicellatis fit, dum ori-

ficium

ficium capitis fere clauditur, iteratur retorſio ore patente, tum noua extenſio ſequitur: quoties vero apertura clauditur, productio partium lentius perficitur. Rationem huius occluſionis Cl. Auctor non inuenit, eos vero illam facile inventuros eſſe dicit, qui a vorticellis animalcula minora vorari contendant.

In *Vorticella racemoſa*, compoſita, pedunculo rigido, pedicellis ramoſiſſimis longis, generationem ſic fieri obſeruauit: *Vorticella* adulta cuilibet obiecto pedunculum ſuum affigit; quo facto ex capitulo vel baſi eius progerminant octo capitula ſimilia, quae intra pauculas horas propriis pedicellis eleuantur: breui tempore in baſi horum capitulorum noua oriuntur, quae rurſus ſuis pedicellis eleuantur, quibus ſimili modo iterum noua proles naſcitur. Interim pedunculi primi, ſecundi et vlterioris ordinis creſcunt, vt rami vegetabilium; pedunculus vero matris, qui iam ſtipes communis factus omnes ſuſtinet, eandem longitudinem ſeruat, capitulo deficiente. Obſeruationem addit, quam, etſi caute inſtitutam, tamen dubiam reddit, aliisque repetendam commendat. Nempe ex ramulis, quos capitula ſecedentia reliquerant, capitula alia renata ſunt. Hinc noua horum animalculorum cum vegetabilibus ſimilitudo. p. 128.

Brachionus Patella, vniualuis, teſta apice bidentata, baſi emarginata, cauda biſeta, caput, truncum et caudam diſtincta habet: caudae ſetis obiectis adhaeret, corporeque erecto gyros ciet. *Brachionus mucronatus*, biualuis, teſta apice et baſi bidentata; cauda ſpina duplici, vti *vncinatus*, muſculoſus eſt, et mucrone in medio organi rotatorii inſtructus. p. 130. p. 134.

Altera pars de *Helminthicis* agit. Primo cauendum eſſe monet, ne vermes inteſtinales, cum Pars II. p. 5.

 aqua-

aquaticis iidem habeantur, ac ne laruae inſectorum cum Aſcaridibus confundantur, quod vtrumque factum eſſe probat. Sic *Faſciolam hepaticam* ab aliis aquaticis eſſe diuerſam, vt ab ipſo LINNAEO plures viſae ſpecies, male tamen pro vna ſint habitae.

p. 9. Deinde de partibus in genere. Caput helminthicis, *Naide*, *Hirudine* et *Faſciola* exceptis, minus eſt diſtinctum. *Taeniae*, quam, cum viuam non viderit, hic omiſit, illud negare non audet, cum BONNETVS et ZOEGA idem aperte viderint, et in *Naide* etiam, quae diſtinctiſſimum caput habeat, omnis articulus ſua gaudeat vita. Propagationem per partitionem in Hirudine et Gordio fruſtra tentauit. In *Lumbrico* poſt plures dies pars omiſſa reſtituitur: Supra terram humidam vna Faſciolae noua ſpecies, *terreſtris* dicta habitat, reliqui vermes vel terrena terebrant, vel aquatici ſunt.

p. 15. In *Hydra* omnia, quae TREMBLEY et ROESEL viderunt, animaduertit. Gryſeam tamen, quam ROESEL autumno tantum prolificam dicit, iam ſecundo menſis Maii copioſe prolificam inuenit. Vidit quoque ab *Hydra Dytiſcos* quadruplo maiores deglutiri, at paucas poſt horas mortuas euomi. Recte opinionem omni obſeruatione deſtitutam, quam DE ROSMÉ DE L'ISLE nimis praecocem venditat, refutat.

p. 16. *Tubulariam repentem*, a LINNAEO prius *Tubiporae repentis* nomine in *Faun. Suec.* 2219. inter Lithophyta relatum definit, criſtatam, cirris vtrinque radiatis, vagina porrecta; tubulo opaco procumbente. Habitat in auerſa folii *Nymphaeae albae* pagina. SCHAEFFERI figurae *) ſunt mediocres. Inter *Tubulariam campanulatam* LINN. et T. *gelatinoſam* PALL. media eſt: differt tamen ab hac, *vagina*, ſ. corpore cum inteſtinis extra tubulum

*) vid. EIVSD. *Armpolypen* 1754. t. 1. f. 1. 2.

lum aequilongum exſerto, neque vnquam in eo ſe
condente, *radiis* capitis pluribus, defectuque *col-
laris:* ab illa, quod repat, omni trunco deſtituta,
tubuloque fuſco. Huic duas marinas, *ſtellarem* et
ſimplicem nouas ſpecies addit.

Naidem, alibi *) *coecam* dictam, nunc cum et p. 23.
in *vermiculari*, et in *furcata* ROES. *III. t. 93. f. 8–16.*
oculi deſint, digitatam dicit.

Lumbricus vermicularis, albus, bifariam aculea- p. 26.
tus: *lineatus* albus, linea longa rubra, ad littora
maris habitans; et *ciliatus*, rufus, ciliis annulatus,
noui ſunt. *Lumbricus terreſtris*, ab *Aſcaride lum-
bricoide*, ſ. Lumbrico tereti Medicorum, differt ſe-
tarum praeſentia et oris trilabiati defectu. Segmen-
ta corporis differunt, pro maiori vel minori euo-
lutione. Cingulo quidam deſtituti, ſegmenta ha-
bent rugoſiora.

Hirudo lineata, elongata, griſea, dorſo lineis 4, p. 29.
longitudinalibus nigris: et *marginata*, dilatata, fuſca,
margine teſſulata oculis quatuor, nondum alibi
ſunt deſcriptae. Dubius eſt Cl. Auctor, an *Hirudo* p. 41.
octoculata LINN. ſit Auctoris *teſſulata*, quod
BERGMANNI figurae ſuadent, an *vulgaris*, quae
oculis octo ſerie lunata inſtruitur. Haec *vulgaris*
Limaces *Planorbium Buccinorumque* deuorat; ite-
rumque ab aliis *Buccinis* exſugitur: non tamen
tempore brumali, quo ſimul amice vixerunt. Sin- p. 42.
gularis eſt conflictus *Hirudinis bioculatae* cum *Pla-
norbis* limace: quem ore prehendere molitur hiru-
do, ille citiſſime cum ſtrepitu ſe teſta condit: hiru-
dineque aperturam tentante, limax ex aqua feſtinan-
ter egreditur; paucas tamen poſt horas, iubente
natura, in aquam regrediens, periculo demum oc-
cumbit. *Hirudo hyalina* LINN. vel quatuor, vel p. 49.
ſex oculos habet. In huius ſpeciei matre vna 100

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 240.

oua ſphaerica viridia, annulo pellucido cincta numerauit; embryones reniformes facti, breui excluduntur, denique flaueſcentes corpora oculis nigris extendunt. In vna matre, *pullos* flauos primi, virides ſecundi, et *oua* tertii partus vidit. Haec inuerſe quoque incedit, dum corpore ſupino ſummum aquae ore et cauda alternatim prehendit.

p. 52. *Faſciolam* ſpeciebus 29 nouis ditat. Sunt vel oculis nullis, vel vno, vel duobus, vel quatuor, vel pluribus. *Faſciolae* vegetabilium *Tremellis* natura et indole reſpondent, quaedam ſolo motu ab his dignoſcuntur, pleraeque in aquis ſeruatae, vt *Tremellae* diſſoluuntur et euaneſcunt. Porus ventralis non ſemper eſt conſpicuus. Nunquam *F. hepaticam* in aquis inuenit. *Faſciola ciliata*, quae facile erit ſolea aurea IOBLOTI*), organo antico rotatorio *Vorticellae*, habitu *Faſciolae* affinis eſt; ciliis vero omnem marginem cingentibus pro-
p. 56. prium genus poſtulare videtur. *Faſciola Gulo*, elongata, pellucida antice truncata, *Cyclidia cohabitantia* ingurgitat, eaque per oeſophagum in ventrem deſcendebant: ventre impleto, per duas horas vagabatur, demumque totam nutrimenti maſſam ſimul euomit, noua deuoratione non ſequente. Hinc *ani* et *oris* apertura in hac, vt in
p. 68. *Hydris*, eadem. *Faſciola terreſtris*, linearis, ſupra conuexa, cinerea, ſubtus albida more Hirudinum ſeſe contrahit et extendit, vt *Limaces* quadricornes progreditur veſtigiaque ſua notat viſcoſitate, hinc easdem ſecum iungit. *F. capitata*, oblonga cinerea, capite diſcreto inſtruitur,vti in *Limacibus* bicornibus diſcernitur anterior pars a pede, quos igitur Faſciolis nectit.

Volumine

*) EIVSD. microſc. Tom. I. P. II. t. 8. f. 5 etc.

Volumine altero *Teſtacea* pertractantur. In his, vt diximus, genera ex incolis definit. Diuiſionem quidem, quae et ad vermes et ad teſtes reſpicit, optimam eſſe putat; at, cum figura teſtae, ſtructurae hoſpitis externae non reſpondeat, id fieri nequit. Quamuis igitur inquiſitio animalium in teſtaceis difficilis eſt; ea tamen maximo eſſe inquirenda ſtudio, ſi hiſtoria naturalis perfici, ac ſyſtema conchyliorum naturale ſperari debet; quantaeque ideo Cl. Auctori tribuendae ſint laudes, qui difficultatibus omnibus ſpretis, incolas ſollicite inquiſiuit, ſimiles iunxit, diſſimilesque ſeparauit, facile quemque putamus eſſe intellecturum. Igitur Cl. Auctor hic *terreſtrium* et *fluuiatilium* teſtaceorum completam hiſtoriam tradit, iisque, quae iam ab aliis deſcripta ſunt, inſignem nouarum ſpecierum addit numerum. Vol. II. Praef. p. VII.

Limaces *quadricornes* omnes terreſtres ſunt, et aquatici omnes *bicornes*: non vero vice verſa. *Vertigo* enim et *Carychium* terreſtria, ſunt *bicornia*. Plures terreſtres, etiam per tempus in aqua viuunt, quidam aquam periculi cauſſa fugiunt; vna varietas (quaenam ſit, non inuenimus notatum) *H. nemoralis*, in fundo riui tota aeſtate viuit. Fluuiatiles aqua extracti breui pereunt. p. XI.

Omnes veſcuntur vegetabilibus. Inediam diu patiuntur. *Helices nemorales* per annum, *Buccinaque* et *Planorbes* per menſes abſque nutrimento viuos ſeruauit: ac tum a fluuiatilibus aquam, et moleculas terrenas, animalculaque infuſoria, a terreſtribus pluuiam vel humorem aeris ingurgitari vidit. *Helicem Lapicidam* Auctor non in calce, ſed in trunco fagino inuenit: hinc, ſi vnquam calcem tantum rodit, ea ſola non nutritur. p. XII. p. 41.

 Sagitta

p. XIII. Sagitta amatoria reuera adeſt, primo vere inuenienda: candida eſt, pellucens, cartilagilaginea, quadrata, angulis ſubmembranaceis, apice acutiſſima, baſin verſus coarctata et teres, ipſa baſi orbiculata et truncata *). In teſta tectis coitus, abſoluto teſtae incremento, primum peragitur. Pubertatis indicium eſt, ſi limax marginem aperturae labro firmat. Cum coire cupiunt, altera alteri ſagittam vibrat, quae vel iuxta decidit, vel alterius corpori infigitur. Foramen *genitale*, pone caput ſitum, ab *anali*, in clypeo Limacis nudi, et collari teſta tecti reperiendum reſpiratione ſimul inſerviens **), diuerſum eſt.

p. XV. Tentacula ſenſu nobis ignoto gaudent, animalibus vero vtilia et neceſſaria ſunt ***). Quadricornes ea, ope nerui nigri retrahere; bicornes vero ea tantum ad corpus reflectere poſſunt. *Oculi* aquaticorum veſtiuntur membranula pellucente, quam Limax erigit, ſi perſpicue videre vult.

p XVI. Membranam, quae *collare* ſ. *pallium* hodie dicitur, triplicem eſſe docet: mediam craſſiorem, qua limax cingitur, et pro lubitu conditur, ac quae teſtae aperturam continuo occupat et implet, *Collare* nominat: duae graciliores, huic vtrinque adnatae, *Tunica* et *Pallium* Auctori dicuntur: illa parietes interiores anfractuum obueſtiens, colores, quibus teſtae animalibus repletae inſtruuntur, intrinſecus

*) LISTER eam primus vidit: LESSER curuam male dicit, vti nec cuſpide quadruplici inſtruitur, vti Anonymus in *Schauplaz der Natur*. Vol. I. p. 277. docet.

**) Poſtea tamen (p. XVII.) dicit Cl. Auctor in collari eſſe duo foramina, aliud *tracheae*, aliud *ani:* quae quidem loca ſibi repugnare videntur.

***) Inutilia cenſet ADANSON; ſed cura, qua natura ipſa ea abſciſſa reſtituit, contrarium docet.

trinſecus ſuppeditat; hoc vel integrum, vel fiſſum teſtam vel ex parte, vel totam, quoties limax foris vagatur, obtegit; et in paucis tantum fluuiatilibus occurrit, cum prioribus omnes cochleae inſtruantur.

Etſi toto corpore limaces humorem exſudent, in *collari* tamen, *foſſulaque triangulari* in dorſo iuxta caudae extremitatem, ipſaque corporis extremitate praecipue hic ſecernitur. p. XIX.

Hoſtes Limacum terreſtrium ſunt *Lacertae* et *Staphylini*; fluuiatilium *Hirudines*. p. XX.

Aetas neque ex anfractuum numero, neque ex aperturae productione in cochleis iudicanda eſt. Colores teſtarum vel ipſi teſtae, vel epidermidi ſeu *tunicae* debentur. p. XXII.

Teſtas putat, vt primum Limax euolui coepit, ratione huius voluminis ſimul increſcere: cum, quod noſtra etiam confirmant experimenta, in vtero contenti, teſtis iam tecti ſint. De modo, quo incrementum teſta capiat, REAUMURII obſeruata, quae illud per appoſitionem fieri demonſtrant, ſuis confirmat. Labro circa marginem aperturae, ceu ſigno aetatis adultae certo, praeſente, vlterius teſtae augmentum ceſſat; in pauciſſimis tamen nouum ſequitur incrementum, hinc ex labro relicto, *ſuturae* formantur, quae accidentales ſunt ab aetate pendentes. Hinc ſaepe errores, ex ignorantia harum mutationum. Summam experimentorum, quae de reſtitutione partium amiſſarum inſtituit, hic tradit, ex quibus eandem vere fieri confirmatur, etſi non ſemper, neque in omnibus ſuccedat. p. XXIV. p. XXIX. p. XXX.

In ſpeciebus *Limacis* aliorumque teſtaceorum longitudinem latitudinemque, ac diametrum corporis addidit, omninoque diligentiſſime nomina Auctorum ſecum comparauit, ac vberiores deſcriptiones, vbi opus erat, adiecit. *Limaces*

p. 1. ſex plane nouos deſcribit: e quibus eſt L. *laeuis*, niger, glabriuſculus, *atro* ſemper anguſtior: qui ob ſummam cum *Faſciola terreſtri* ſimilitudinem primum locum obtinet, et tentaculis ſolis ab illa differt. Differentia ſpecifica perperam ex diſtantia clypeis a capite ſumitur.

p. 12. Numeroſiſſimum genus *Helicis* 109 ſpecies comprehendit: quas ſubdiuidit, in depreſſas, globoſas (vtraeque ſunt vel imperforatae, vel perforatae, vel vmbilicatae), trochiformes, ouatas, conicas, cylindraceas, et turritas. Multae harum ſunt carinatae, quaedam ſiniſtrorſae, plurimae indigenae. In his ſunt 38 nouae, multae obſcurae ſollicite deſcriptae. Multae Turbinis, Buccini, Volutae etc.
p. 16. Auctorum ſpecies huc referuntur. *Helicis pellucidae*, teſta imperforata, depreſſiuscula, nitida, ſubvireſcente; anfractibus tribus, (vid. STRÖM. *act. Nidr. III. t. 6. f. 15.* GEOFFR. *conch. VIII.* SCHROETER *Erd-Schnecken um Thangelſt. p. 187. t. 1. f. 11.*) limacem bene deſcribit: et in eo *Motum cordis periſtaticum* in ſiniſtro latere vidit, vitaque limacis vti quoque teſta maxime fragiles ſunt, in aqua vero non pereunt; ſed plures limaces fundum ſtatim petierunt, totumque corpus e teſta protulerunt, tentacula non exſeruerunt: tum mortuos ſimulant, ſed breui poſt aqua exeunt, quod et in H. *lubrica*
p. 28. GEOFFR. *teſt. 17.* contra Eundem obſeruauit. In *Helice Cellaria*, teſta vmbilicata, depreſſa, luteſcente, nitida, ſubtus lactea apertura larga, (SCHROETER *l. c. p. 209. n. 20. f. 73. t. 2. f. 26.*) corpus beſtiolae pellucidum, et motus nerui et puncti viſorii retro-
p. 44. gradus, et progreſſiuus ſpectatu ſunt amoena. In teſta H. *Pomatiae* iunioris foramen conſpicitur, quod in adultioribus in vmbilicum gyratur, in adul-
p. 45. tis vero clauditur: Aliam *Pomariam*, quae ſolis anfractibus ſiniſtrorſis a priori differt, atque a Cl.

CHEM-

CHEMNIZ ſpecies habetur, Auctor dubitans, commendat obſeruare, an ſpeciem propagatura ſit. Ab *H. nemorali* diſtinguit *hortenſem*, a LIN- p. 53.
NAEO in *Muſ.* L.V. 670. aliqua ex parte indicatam, quae ſemper illa minor, ſplendidiorque eſt, labroque albo inſignitur. Hanc vidit maxillis ſuperficiem teſtae polire, indeque ſonum edere: hoc actu organa in capite quaedam mouebantur, vnum nempe album et quinque nigra punctiformia ſub cute pellucentia, in area tentaculis interiecta adeo deſcendebant et rurſus retrogrediebantur. Spe- p. 62.
ciem 257. *nemoralem* iterum dicit Cl. Auctor, quod fieri ex ipſius mente certe non debebat: eſt exotica et forſan varietas *nemoralis* indigenae, hinc ad eam referenda. *Helicis aculeatae*, teſta trochiformi, p. 81.
vmbilicata, vtrinque conuexa, fuſca, coſtis aculeatis, labro albido, limax maximam partem albus, pellucens, capite et tentaculis nigricantibus, repens teſtam dorſo adeo erigit, vt a corpore remota videatur. *Helicem putrem* LINN. *ſuccineam* no- p. 97.
minat, nec ſolam amphibiam eſſe oſtendit: aquae immiſſa, confeſtim egrediebatur, nunquam in eam deſcendit. *Aures Midae* vulgo dictas huc refert, p. 112.
etſi incola non ſit deſcriptus, cum e ſtructura et craſſitie teſtae terreſtris habenda ſit. *H. decolla-* p. 115.
tam LINN. accidentalibus cauſſis detruncari demonſtrat, cum fractura in diuerſis non eadem, ſed centrum apicis truncali foraminulo minimo peruium ſit, eademque detruncatio in aliis *peruerſa* et *bidente* reperiatur; in quarum deſcriptione multos Auctorum errores correxit.

In *Vertigine puſilla*, vnica ſpecie, loco mino- p. 124.
rum tentaculorum eſt vtrinque lineola nigra, lenti difficillime conſpicua: teſta eſt cylindracea, a *Carychio* differens, quod ventricoſior, ſiniſtrorſa, tota obſcure fulua ſit. *Carychium* omnium cochlearum

learum *minimum* eſt: teſta diaphana, dextrorſa, ſubconica.

p. 126. Nouem nouae inter viginti ſpecies *Buccini* a Cl. Auctore traduntur. *Buccinum peregrum* (GVALT. teſt. t. 5. f. e. e.) eſt amphibium; tempore enim brumali in tiliis ea inhaerentia inuenit. Plura exotica ſunt, neque, vti videtur, limacum natura adhucdum ſatis diſquiſita.

p. 152. *Planorbes* ſubdiuiduntur vel teſta depreſſa, vel conica: ſiſtuntque multas *Helicis* LINN. ſpecies. Plures iam GEOFFROI deſcripſit. *Planorbis purpurae* (GVALT. teſt.t. 4. f. D. D.) tentacula ſunt longa, curuata et ſordide cinerea; atque limax animal timidiſſimum, minimum motum ſentiens teſta ſe totum condit, nec niſi de periculo ſecurum exit. *Planorbes carinati* (Helix Planorbis LINN.) ſi in copula ſunt, alter maſſam carneam informem, a ſiniſtro latere, pone tentaculum, hoc quinquies craſſiorem, exſertam, in aperturam pallii alterius infert, ibique varie tentat: maſſa haec annulato rugoſa eſt, corporeque limacis pallidior, lumbriciformis. Alterius genitalis veſtigium nullum vide-

p. 159. re potuit. *Planorbis Vortex* (*Helix Vortex* LINN. ex aqua in vicina obiecta ſicca adſcendere ſolet, et per quosdam dies extra aquam viuit, iterum in aquam miſſi, mox rurſus exiere.

p. 170. Ex *Neritae* genere vnius modo ſpeciei, *N. iaculator* dictae, quae eſt *Helix tentaculata* LINN. mentionem faciamus. Nomen ei ideo datum, quod in aqua quouis temporis minuto in diſtantiam vnius vnciae vel vltra globulos albos ſumma vi eiaculet: quisque globulus in duos pedicellos reſolui videbatur, quos ingenti celeritate vibrando, extra conſpectum aufugit. Quidam globulorum paullulum quieſcendo corpus oblongum, album, pedicello terminatum oſtendebant, confeſtim vero formam

ſphaeri-

ſphaericam natando receperunt; pedicellus hic licet vnicus incredibili vibrationis celeritate duos pluresue ſimulabat; ita vt ſphaerulae glandes ardentes e machina bellica ſenſim eiaculatos prorſus referrent. Exploſio vltra horae ſpatium continuabat. Limax interea immotus manebat. Comparans Cl. Auctor haec corpuſcula cum SWAMMERDAMMII Bibl. Nat. t. 9. f. 8. II. ſimilitudinem quandam animaduertit. Atque eadem, cum motus incitatus concentricus ſphaeram oculo ſiſtere valeat, generi vermiculorum deberi putat.

Valuatae vna ſpecies *criſtata*, teſta eſt griſea, p. 198. ſupra planiuſcula, ſubtus vmbilicata. Limax, praeter tentacula duo, ſpiculo inſtruitur, tentaculum mentiente, quod, quoties teſta exit, exſeritur retrorſumque curuatur: praeterea *criſta pennacea* branchiali inſignitur, quam rarius conſpiciendam praebet. Limax timidus raro teſta exit.

Tellinae riualis organum, quo progreditur ver- p. 203. mis, nomen *pedis* Cl. Auctori mereri videtur, cum et vſu et figura pes ſit; affigitur vltra ſuum medium alii corpuſculo, quod tibiam mentitur, tibiam et pedem animal incedens extra teſtam porrigit. *Tellina lacuſtris*, teſta rhombea, planiuſcula glabra, p. 204. vmbone acuto, viuipara eſt, pullos teſta tectos in vtero gerens.

In *Mytili cygnei* LINN. hoſpitem neminem p. 208. Auctorum inquiſiuiſſe dicit; ipſe tamen Cl. Auctor praeter definitionem genericam, vberiorem animalis deſcriptionem hic non ſubiunxit. *Myae* incolam videre Auctori non contigit.

In hac recenſione omnium deſcriptionum, partium, atque errorum correctorum mentionem omittere, propter rerum dicendarum multitudinem, coacti ſumus. Haec pauca, quae tamen ſunt ſatis multa atque tam ardua, vt ſummam Cl. Au-

ctoris

ctoris aſſiduitatem atque obſeruandi magnam vim demonſtrent, ſint incitamento ſtudioſis hiſtoriae naturalis, vt et ipſum librum legant, atque Auctoris Cel. accurationem, certas, aptis verbis conſcriptas deſcriptiones, obſeruationesque vtiliſſimas imitentur. Nam vt in aliis ſcientiae naturalis partibus ante pedes ſunt plurima corpora naturalia, vel plane non, vel imperfecte diſquiſita, ita et vermium claſſis multa adhuc eget opera, prius quam omnia in ea cognoſcantur.

IV.

Die Säugthiere in Abbildungen nach der Natur mit Beſchreibungen. Erſter Theil. Erlangen, verlegts Wolfgang Walther 1775. 24 *Bog. in groß* 4. 67. *Kupfertaf.*

i. e.

Mammalia, iconibus et deſcriptionibus illuſtrata. Pars. I.

Pluribus cognitum eſt et ex praefatione apparet Ill. IOANNEM CHRISTIANVM DANIELEM SCHREBERVM, Virum multis egregiis, quibus naturae cognitio in pluribus aucta eſt, libris celeberrimum, Auctorem eſſe huius operis. Omnino diu deſiderabatur optabaturque eiusmodi liber, qui ſyſtematice conſcriptus, ſimul contineret icones animalium omnium cognitorum, arti et naturae reſpondentes. Diſperſae enim in innumeris libris animantium icones, admodum ſaepe a ſe inuicem diuerſae, et difficilius et nimis pretioſum reddebant ſtudium naturae. Quare conſtituit Ill. Auctor, omnia animalia cognita, iuxta ordinem LINNAEANVM, et deſcribere eorum-

que

que hiſtoriam tradere, et omnes, quae haberi poterant, ſpecies iconibus delineare. De quo gratulandum vtique eſt noſtro ſeculo, ac ipſi etiam Ill. Auctori, qui, difficultatibus omnibus ſpretis, tantum opus aggredi non ſolum auſus eſt, verum primam eius partem, in qua *Mammalium* primus ordo, *Primates*, continetur, finitam edidit.

Spectauit vero Ill. Auctor in conſcribendo hoc libro potiſſimum id, vt obſeruata de natura animalium vera peregrinatorum aliorumque naturae ſcrutatorum, concinne collecta traderet, ſimulque fabulas et falſa indicaret, eademque reiiceret. Igitur veterum etiam ſcripta diligenter conſuluit, obſervatoresque laudauit, vti et ex recentioribus omnes, qui quidquam vtile ad animalis cognitionem proferebant, nominauit. Characteres igitur genericos, et differentias ſpecificas terminis Germanicis exquiſitis, plurima nomina generica et ſpecifica Germanice bene tradit, ſynonyma Auctorum, quibus breue de iconibus et relationibus eorum iudicium ſubiungit, nominaque aliarum linguarum collegit. Deinde proprietates vel toti generi, vel ſpeciebus conuenientes indicauit, diſtinxit caute varietates a veris ſpeciebus, in ſpecierum deſcriptionibus Auctores inter ſe comparauit, vitae genus, victum, locum natalem, coeundi rationem pluraque alia, quae ad cognitionem perfectam animalis faciant, enumerauit. Etſi igitur pleraque ex aliis obſervatoribus hauſta ſint, tamen et plures ſpecies nouas, et multas quoque ſuas hic addit obſeruationes, vel quas amici cum eo communicarunt. Atque ita omnino ſuccincta, concinna et diſtincta ſcribendi ratio magnum ſplendorem tractationi tribuit. Nos igitur nouas, cum ex his generatim dictis finis et ordo huius libri pateat, neque epitome deſcriptio-

num

num tradi poſſit, obſeruationes easdemque pauciſſimas recenſeamus.

p. 5. Hiſtoria hominis lectu eſt perdigna. Ratione dentium *Homo* a *Simia* in eo praeſertim differt, quod illius primores laniarii et molares approximati, laniariique primoribus vix longiores ſint. Permulta, quae de varietatibus eiusdem ſunt notanda, traduntur, vnde, quantas mutationes clima, terrae regio, vitaeque genus producant, apparet. Vna tantum hominis eſt ſpecies, nam *Hominem trogloditem* eſſe varietatem demonſtrat natam ex aethiopibus, quam albos homines nominant, cum lactea pallida cute inſtruuntur. *Homo lucifer* ad fabulas pertinet, et *Homo Lar* LINN. *) eſt *Simiae* ſpecies. Recte deinde probatur hominis ſtatum naturalem, non eſſe *ferum*, ſed eum, quo viuitur: feri enim, qui dicuntur, vel ad fabulas pertinent, vel morbo, vel ſolitudine ſunt mutati, quae mutationes in ſanis ſucceſſu temporis tolluntur.

In *Simiae* genere determinando maxima ex parte LINNAEVM ſequitur, ita tamen, vt BVFFONII ſubdiuiſiones aſſumat, ordinemque ſpecierum Linnaeanarum parum mutet. Igitur *Simiae* ſunt I. caudatae, II. vel cauda abbreuiata, et elongata, natibus caluis, et buccis ſaccatis. III. cauda elongata prehenſili, absque buccarum ſacco, et natibus caluis IV. cauda elongata non prehenſili.

In ordine ſpecierum Linnaeano haec potiſſimum mutauit Cl. Auctor. *Simiae longimanae* (*Homini Lari* LINN.) buccis ſaccatis, natibus calloſis, brachiis, longitudine corporis, ſtatim ſecundum locum poſt *S. Satyrum* tribuit. *S. Maimonem*, cuius deſcri-

*) Mantiſſ. II. p. 521. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 516.

deſcriptio in ſyſtemate Linnaeano ad *S. Mormonem* ALSTROEM., qui ſit a priori diſtincta ſpecies, pertinet, quinto loco ponit et alteri familiae cum *Mormone* (6) et *Hamadrya* (9) inſeruit. Deinde ſpecies cauda prehenſili, elongata, quae apud LINNAEVM intermixtae ſunt, ſeparauit, et ſuae quamque familiae adſcripſit.

Species nouae, ſ. a LINNAEO non memoratae ſunt ſ. *Mona* (15) *Patas* (16) *Talapoin* (17) BVFF. *Petauriſta* (21) et *Roloway* (29) ALLAMANDI *), quas duas ſpecies ſumſit ex editione hiſtoriae naturalis Buffonianae Amſtelodamenſi: prior eſt nigra, apice naſi barbaque albis; altera, nigra, facie triangula, pilis albis cincta, corpore ſubtus albo. *S. Maura* PENN. **) p. 103.

Praeterea *Simias Cynamolgum*, et *Cynocephalum* LINN. coniungit in vna ſpecie. Ad *Simiam ſciuream*, cuius dat nouam et iconem et deſcriptionem, refert *S. Mortam* et *Apediam* LINN. priorem iunius animal eſſe aiens, alteri, quam LINNAEVS cauda abbreuiata dicit, forſan fuiſſe caudam deſciſſam. Icones *Simiae Satyri* copioſiſſimas quidem, at nullam fere earum perfectam iudicat Ill. Auctor: in ipſa Buffoniana, quae hic traditur, pili lacertorum non reuerſi ſunt, vti eſſe debebant, lacertique ipſi paullo iuſto breuiores. Optima icon eſt, quae ab ALLAMANDO in ſupra dicta editione primum data hic repetitur, ad ipſum animal facta, quod cum Tyſoniano animale maxima ex parte conueniat, ſolisque differat pilis rubris. Ad hanc ſpeciem quoque refert Simiam

p. 121.

p. 64.

*) *Hiſt. naturelle de M.* DE BVFFON. *Amſtel. Tom. XIV. p.* 141. *tab.* 39. *et Tom. XV. p.* 77. *tab.* 13.

**) Synopſ. of. quadrup. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 343. Spec. 80.

Simiam, *Golock* dictam, a Cl. DE VISME in philoſophicis tranſactionibus deſcriptam; quae tamen, etſi icon rudis ſit, nobis vel noua ſpecies, vel ma-
p. 71. gis ad S. longimanam pertinere videtur. *Simiae Inui* icon, a BVFFONIO data, falſa eſt, et veterum *Siluanum* ſiſtit: de hac igitur nouam et ad viuum animal factam iconem, cum multis egregiis obſeruationibus, quas vtrasque Cl. HERRMANNO, Argentoratenſi Profeſſori celeberrimo debet Ill. Auctor, hic inuenimus. Pollex a reliquis digitis in ea adeo diſtat, vt ſpatium interiacens, rectangulum aequet. Cauda inſtruitur eadem nuda, breui, immobili, oſſibus carente, erecta. Dentes ipſi ſunt aequales, primores laniaribus vix longiores. Victu vario veſcitur, etiam inſectis, et nicotiana, bibit ſpirituoſa; metuit autem limaces et lumbricos.

p. 137. *Lemuris* ſpecies Linnaeanas auget duabus, quarum prima *Potto* a BOSMANO dicta, dubium animal
p. 145. eſt, altera a PENNANTO primum indicata *)
p. 146. *Lemur flauus* nominatur. *Lemur volans* ex SEBA ſumtus pictus ſiſtitur, deſcriptione tamen ad ipſum animal facta, notaturque huius ſpeciei animalia pleraque iuniora in Europam lata eſſe, vnde dentium ratio minus pateat **).

Veſpertilio-

*) vid. EIVSD. *Synopſ. of. quadrup.* comm noſtr Vol. XIX. p. 345. ſpec. 308.

**) Quem nos vidimus L. *volantem*, etſi et ipſe iunior videtur, dentibus in maxilla ſuperiore *primoribus* et *laniariis* caret, at *molaribus* ternis in eadem inſtruitur: maxillae inferioris dentes *primores* ſunt quatuor, fere ſpatulati, ab interiore parte excauati, ſulcati, vt margo acutus fiat dentatus, duo medii minores exterioribus; *laniarii* in gingiuis latentes tuberculis obtuſis manifeſtantur, molares deſunt. Caeterum deſcriptio Auctoris conuenit. Addendum tamen genas macula ſubalba atque occiput faſcia eiusdem coloris cingi, maculasque nigras in dorſo verſus caudam eſſe diſperſas. Longitudo corporis eſt vnius pedis.

Veſpertilionum characterem genericum in manuum palmatarum ſtructura ponit, cum dentibus diuerſae ſpecies differant, eosque primo ordini, propter mammarum ſitum et numerum, pollicemque remotum a reliquis digitis adſcribit. Noſtram non faciamus litem, quae circa hoc polymorphum genus inter ſyſtematicos verſatur, id tamen moneamus eodem iure, quo ad primates referatur veſpertilio, poſſe quoque ad *feras* referri, cum quibus victu, moribus, atque forma corporis multum conueniat. Refert ad hoc genus Ill. Auctor etiam Noctilionem LINN., eundemque nominat *Veſpertilionem leporinum.* Familias has facit 1) dentibus primoribus quatuor in vtraque maxilla, 2) dentibus 4 in ſuperiori, 6 in inferiore maxilla; 3) dentibus 4 ſupra, 8 infra; 4) dentibus 2 ſuperius, inferius 6; 5) dentibus 2 ſupra, infra 4; 6) duobus dentibus in ſuperiore maxilla, in inferiore nullis; 7) nullis in ſuperiore, 4 in inferiore maxilla; 8) dentibus nullis. Omnes igitur ſpecies cognitas hic recenſet, atque vnam ſubiicit novam, quae ſeptimae familiae inſerta eſt, dicta *Veſpertilio* p. 173. *Lepturus* Surinami habitans, quae ſingulari ſacco prope a cubito membranae alari adnato a caeteris diſtinguitur.

Omnia, quae ex aliis Cl. Auctor hic excerpſit, omittimus. Sunt vero ea ita bene et diſtincte propoſita, vt externa forma animalis deſcripti ſimulque icone illuſtrati ſatis abunde pateat. Etſi vero multa in ſingulis ſpeciebus lateant, neque de earum natura cuncta hic ſint narrata: id tamen minime vitio poteſt verti Ill. Auctori, cum potius, quanta peregrinatorum, naturam ſcrutantium, ſtudio etiamnum ſint detegenda, teſtetur. Breuiter tantum hoc de nominibus Germanicis addamus, plura optime ita eſſe nominata animalia, vt et

genio linguae Germanicae, et ſyſtemati conueniant. At minus id valere iudicamus de nominibus quibusdam Simiarum, atque Lemurum, quae ita retinuit, vti animal in patria nominatur: nam ea eodem modo, vti reliquae ſpecies Germanicis nominibus, quae quandam animalis exprimerent proprietatem, fuiſſent appellanda. Neque nomina Veſpertilionum ſatis placent, cum ſemper in nomine ſpecifico videatur eſſe repetendum nomen genericum.

Iam quaedam de iconibus dicenda ſunt. Ordinis characteres ex dentium ſtructura petendos illuſtrant ſceleta capitis, alterum Hominis, alterum Simiae. Generatim laudanda eſt ars et cura in iconibus et aeri incidendis, et viuis coloribus ornandis adhibitae. Omninoque ea, quae ab ipſo Ill. Auctore expectanda erant, optime ipſe praeſtitit. Plures enim, vbi animalibus potiri poterat, ad ipſum animal ſunt factae icones, atque partes characteriſticae bene ita ſunt expreſſae, vt ſimul forma et habitus corporis appareret: Nouae igitur icones ſunt datae de *Simiis*, *Siluano*, *Inuo*, *Hamadrya*, *Maura*, *Sciurea*: *Lemure tardigrado*: *Veſpertilione perſpicillato*, et *Lepturo*. *Veſpertilionis leporini* ſ. *Noctilionis* LINN. icon noua promiſſa, nondum vero tradita eſt. Reliquae ex optimis iconographis ſumtae ſunt, praeſertim EDWARDO et BVFFONIO, quaedam paſſim aliunde. Hoc vero certe ſemper ſpectauit Ill. Auctor, vt optimas, quae traditae ſunt, hic colligeret, ſique quid iconi ineſſet vitii, id in tractatione moneret.

Nondum tamen omnium cognitarum ſpecierum icones potuit tradere. Deſunt enim imagines *Simiarum Veteris*, *nictitantis*, *Beelzebul*, *Seniculi*, et *Fatuelli*. *Simiae Syrichtae* non alia, niſi ex PETIVERO ſumta, exſtat icon. *Veſpertilionis* ex

Ameri-

America deſumti iconem, quam PENNANTVS edidit, cur hic omiſerit Cl. Auctor, ignoramus.

In coloribus viuis exprimendis Ill. Auctor certe multum laboris impendit, eosque in iis animalibus, quae viua non habuit, vel quarum icones pictae nondum proſtarent cum deſcriptionibus conuenientes pinxit. Etſi autem concedimus, id aliter fieri non potuiſſe, multum tamen dubitamus, colorem indicatum vbique ipſi animali plane conuenire, cum deſcriptiones ab Auctoribus datae non ſemper gradus colorum accurate ſatis definiant. Sic in muſeis etiam Simiarum ſpecies vidimus, quae quidem ſtructura corporis, non autem coloribus cum quibusdam deſcriptis conuenirent. Igitur cura maior in deſcribendis animalium coloribus inpoſterum et ſollicita magis eſt impendenda. EDWARDI icones etiam quoad colores bene ſunt expreſſae. Id vnum denique reprehendimus, artifices non omnem, vti debebant, operam et accurationem in coloribus exprimendis adhibuiſſe. Varia enim, quae vidimus, iconum exempla, alia ſaturatius, alia lucidius ſunt picta, neque omnia igitur ſatis naturae reſpondent. Deinde etiam minorum partium diuerſi colores in quibusdam plane non ſunt expreſſi. Ita in iis, quae ad manus ſunt, iconibus, *Simiae Mormonis* lumbi non monſtrant colorem violaceum, quem indicat deſcriptio, et quem in viuo animale vidimus. *Simiae Nemeſtrinae* nates, non rubrae ſunt, neque facies nigreſcens, vti eſſe debebat; in *S. Diana* puncta alba in nigro corpore diſperſa non picta: quae quidem, et alia nonnulla, manifeſta negligentiae artificum indicia ſunt. Poterunt autem inpoſterum leuiores hi errores facile emendari, ſi artificibus maior attentio et ſollicitudo in luſtrandis minoribus partibus iniungatur.

V.

IOH. SCHEVCHZERI agroſtographia ſiue Graminum, Iuncorum, Cyperorum, Cyperoidum iisque affinium hiſtoria, acceſſerunt ALBERTI V. HALLER ſynonyma nuperiora, graminum ſeptuaginta ſpecies, de generibus graminum epicriſis, denique plantae Rhaetici itineris Anno 1709 a IOH. SCHEVCHZERO ſuſcepti. Tiguri, apud Orell, Geſſner, Fueſsli et Socc. 1775. 4. Alph. 3. plagg. 4. Appendix 11½ plagg. tabb. aen. 8.

Eſt haec ea, cuius alio loco meminimus editio Scheuchzerianae Agroſtographiae *) ab Ill. HALLERO cui plurima reſpublica literaria debet curata, qua quidem librum SCHEVCHZERI plane non mutauit, ſed appendices tantum addidit, et praefationem libro praepoſuit, in qua breuiter de vita SCHEVCHZERI diſſeritur atque traditur operis huius origo. Simulque indicat Ill. HALLERVS plura opera phyſica, geographica et epiſtolas SCHEVCHZERVM reliquiſſe inedita, quae edere in votis habebat, cum Bibliopolae mallent, quod omnino dolendum eſt, botanica tantum curare. Nos iam de appendicibus referamus.

Appendice prima ſpecies Scheuchzerianae ad nupera genera et ſpecies ab Ill. HALLERO reducuntur. Addidit nimirum cuique gramini nomen Linnaeanum, non *triuiale*, ſed plenum, cum triuialia, vt ait, non poſſint accurata eſſe et raro aliquam in mente ideam excitent, aliquando erroneam, ſaepiſſime nullam. Forte tamen facilior eſſet Lectori-

*) v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 41.

Lectoribus cognitio nominum Linnaeanorum, ſi Perill. HALLERO placuiſſet eadem *integra* adſcribere, cum errores typographici, hic perfrequentes, ipſiusque definitionis ſpecificae mutatio Lectoris animum dubium reddat, quae planta potiſſimum ſit, neque opus fuerit, ipſum librum ſemper euoluere. Animaduertimus quoque ipſum Ill. HALLERVM nominibus triuialibus interdum vti; quaemadmodum gramina SCHEVCHZERI pag. 8. 9. 10. deſcripta, ſimpliciter dicit varietates *compacti* hiſt. ſtirp. ſqq.

Deinde Ill. HALLERVS ſua nomina ex Stirpium Helueticarum hiſtoria adſcripſit; quod quidem et vtiliſſimum, et neceſſarium maxime iudicamus, cum ita Lectores ad perfectas et iuxta ipſas viuas plantas factas deſcriptiones remittantur, multaeque omnino ſint plantae, quas LINNAEVS, iniuſto quidem conſilio omiſerit: non igitur ſatis mirari poſſumus fuiſſe, qui id Ill. Auctori vitio verterent, cum potius maximopere ſit laudandum. Optaremus tantum, vt Perill. Auctor ſemper et ſua nomina integra, neque ſolos ſaepe numeros, addidiſſet. Eſt autem haec ſynonymia perutilis, cum LINNAEVS SCHEVCHZERI nomen non ſemper commemoret: quamobrem etiam indicare placet quaedam horum graminum, quae Ill. Auctor in LINNAEO non potuit reperire. p. 4. Igitur Gramen creticum ſpicatum ſecalinum, SCHEVCHZ. *p. 22.* eſt *Secale creticum* LINN. Gramen loliaceum radice repente locuſtis teretiusculis muticis SCHEVCHZ. *p. 28.* eſt *Lolium tenue* p. 8. LINN. Gramen album paniculis aculeatis Italicum, SCHEVCHZ. *p. 85.* eſt *Schoenus aculeatus*, LINN. Gramen radice repente panicula denſa ſpicata, ſpadiceo viridi, locuſtis exiguis muticis SCHEVCHZ. *p. 130.* eſt *Agroſtis ſtolonifera*, *var.* β. p. 11. LINN. Gramen pratenſe paniculatum medium p. 16.

 SCHEVCHZ.

SCHEVCHZ. *p. 180.* eſt *Poa triuialis* LINN. Gramen
p. 23. loliaceum panicula ramoſa maritimum SCHEVCHZ.
p. 25. *p. 274.* eſt *Triticum maritimum* LINN. Gram. hirſu-
tum nemoroſum anguſtifolium alpinum paniculis
obſcure rufeſcentibus SCHEVCHZ. *p. 312.* eſt
p. 26. *Iunci piloſi var. γ.* LINN. Sic SCHEVCHZ. *p. 314.*
p. 29. eſt *Iunci campeſtris var. ε.* LINN. Scirpus equiſeti
capitulo minori SCHEVCHZ. *p. 365.* eſt *Scirpus*
p. 30. *fluitans* LINN. Cyperus enodis, nudus, culmis va-
ginis breuibus prodeuntibus, ſpicis tenuioribus
SCHEVCHZ. *p. 387.* eſt *Cyperus Papyrus* LINN.
p. 32. Cyperoides montanum foliis anguſtis paruis ſpica
ſpadicea diuiſa SCHEVCHZ. p. 419. quod Ill.
HALLERVS negat eſſe *Caricem montanam* LINN.
nobis, conſentiente etiam Ill. SCHREBERO, ea-
dem eſſe videtur, cum in vno eodemque ceſpite
folia capillaria, atque latiuſcula inuenerimus. Cy-
peroides ſyluaticum anguſtifolium etc. SCHEVCHZ.
p. 425. eſt *Carex filiformis* LINN. Ea, quae LIN-
NAEVS in nouiſſima edititione ſyſtematis *) ad-
ſcripſit nomina Scheuchzeriana, hic mittimus.
Quaedam nomina SCHEVCHZERI HALLERVS
aliis plantis tribuit, quam ipſe LINNAEVS. Haec
autem omittimus, cum a quolibet comparante fa-
cile animaduertentur.

p. 38. *Appendice altera* gramina et plantas, quae SCHEVCHZERVS vel ipſe inuenit vel a DILLENIO et MICHELIO acceperit, et ſiccata reliquit et quorum vſum Perill. HALLERO filius SCHEVCHZERI conceſſit, et aliae, quas ipſe Perill. Auctor poſt SCHEVCHZERVM in Helvetia inuenit, traduntur. Sunt vero numero ſeptuaginta plantae, atque eae potiſſimum ex SCHEVCH-

ZERI

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 620.

ZERI horto ſicco ſumtae, quae parum notae, neque a LINNAEO dictae viderentur: ſpecies Linnaeanas, quas ipſe HALLERVS non vidit, omiſſae conſulto ſunt, cum mallet Ill. Auctor pauciora reddere gramina, ſed de quibus ipſi conſtaret, et de quibus, cur ea admitteret, rationem poſſet reddere. Nos quatuor tantum nominabimus plantas, cum reliquae vel in LINNAEO, vel in ipſa Perill. HALLERI *Hiſtoria ſtirp. Helu.* vel apud alios, vt MICHELIVM, etc. inueniantur. *Carex* ſpica p. 39. vnica, capſulis rotundis hirſutis, in Heluetia nata. *Carex* ſpicis pauciſſimis, foliis caryophylleis, p. 43. quae a *Carice Stirp. Helu.* n. 1389. differt foliis latioribus, culmo humiliori, e SCHEVCHZERI horto ſicco. *Feſtuca* panicula ſpicata, locuſtis tri- p. 47. floris, ariſta flore longiori. SCHEVCHZ. *hort. ſicc.* *Cenchri mexicani* nomine miſſum gramen a Cl. p. 60. WEDEMEYER, culmis ſubbulboſis, geniculatis, ſpicis axillaribus, floſculis bi-vel trifloris, pappo plumoſo baſi inſtructis: quod nouum videtur Cl. Auctori genus a *Poa* diuerſum ſetis circa baſin poſitis, et pappo plumoſo. Omnibus his plantis additum eſt nomen Inuentoris, atque deinde ſubiuncta plenior Ill. HALLERI deſcriptio, quae profecto multum ad certiorem earum definitionem faciunt.

Appendix III. de Graminum Generibus et Me- p. 61. *thodo* iudicia Perill. HALLERI grauiſſima et veriſſima continet. Primum, quomodo SCHEVCHZERI opus iudicandum ſit, oſtendit, nempe ſecundum eum ſtatum botanices, quo tum, cum ille viueret, eſſet, ac Eum id ſolum voluiſſe, vt ſpecies vagas certius definiret, quod ab Eo diligentiſſime factum eſſe inter omnes conſtat. Genera igitur Scheuchzeriana, quae vix vlla ſunt conſtituta, non

trutinanda ſibi ſumſit Ill. Auctor; ſed de generibus graminum, Ipſi notis, inquirit, quae naturalia, quae artificio nata, quae videantur ſeruari debere,
p. 63. quae melius expungantur. Primo de ſuis ipſius generibus iudicat, characteresque genericos diſtincte exponit. *Nardum*, *Homolocenchrum* (Phalaridem oryzoidem LINN.) *Phoenicem*, *Tragum*, *Andropogonem*, *Lolium*, *Panicum*, *Cynoſurum*, et *Alopecurum*, diuerſa ſatis glumarum calycinarum et corollae ſtructura diſtincta eſſe genera putat. Reliqua ſua genera in calyce et corolla vnum habere characterem botanicum et ſaepe obſcuriorem eſſe notam diſtinctionis: quod exemplis demonſtrat.

p. 65. Cauſſae, cur LINNAEI nonnulla genera non receperit Ill. HALLERVS, ſunt ſequentes. *Melicae* flores imperfectos putat etiam in Tritico Hordeo et Auena occurrere, (at LINNAEVS *Melicae* characterem eſſentialem in corpuſculo pedunculato inter floſculos ſito ponit); Non *Anthoxanthum* diſtinguit, cum ſolis ſtaminibus duobus differat. Non *Brizam*, nullo modo a *Poa* diuerſam. *Dactylidis* valuam alteram maiorem cauamque plurimis graminibus conuenire. *Elymum* nulla nota a *Tritico* diſtingui: *Airae* florem dianthum ac calycem bifolium plurimis *Pois* et *Auenis* conuenire: quod vitium etiam habeat *Agroſtidis* locuſta vniflora. *Holcum* ſolo ſexu ſ. potius quibusdam floribus imperfectis adgnoſci, qui tamen ſint frequentiſſimi in *Tritico*, *Hordeoque*. Noſtri non eſt, LINNAEI cauſſas agere, qui eas ipſe in agroſtographiae fundamentis *) et generibus ſatis clare indicauit. Ex his nunc ita colligit Perill. Auctor: Si igitur nec LINNAEI, ſummi botanici, neque ſua ipſius genera ſatis firma ſunt,

*) v. EIVSD. Amoenit. Vol. VII. comm. noſtr. decad. ſec. Suppl. III. p. 393.

ſunt, ſequitur naturam nullos limites generum fixiſſe. Sed genera eſſe artificialia, atque ſtatuenda hactenus, ne ſpecies confundantur eoque vtiliſſima habenda: multumque eſſe monendos non tirones ſolum, ſed adultos et peritos etiam botanicos, perfectionem artis in eo eſſe, vt ſpecies rite diſtinguantur, eas ſolas naturam conſtituiſſe, genera hominum eſſe monumenta. Cui quidem iudicio, etiam in aliis partibus valente *), nos lubenter ſubſcribimus, monentes aliorum cauſſa, ſpecies veras tantum eſſe curate ſatis definiendas, neque ex leuioribus cauſſis ſpecies fingendas, vbi tantum ſint varietates.

Appendix IV. plantas raras 175. in Alpibus rhaeticis a IOH. SCHEVCHZERO, *a. 1709. repertas* habet. His aliquae aliorum temporum acceſſerunt. Ill. HALLERVS ſynonyma adiecit, GESNERI, RAII, CLVSII, ſua, aliorumque, nunquam autem Linnaeana. Graminum deſcriptiones omiſit, cum in Agroſtographia excuſae ſint: aliis vero plantis additae ſunt eaedem pleniores, interdum breuibus notis Ill. HALLERI definitae magis. Harum plantarum multae in Stirpibus Helvetiae ſunt deſcriptae, neque SCHEVCHZERI mentio facta, cum tum Ill. HALLERVS autographum hoc, in theſauris illius inuentum, nondum viderit. p. 68.

*) vid. MÜLLER hiſt. verm. ſupra p. 20.

VI.

Flora Barbienſis. In vſum Seminarii Fratrum edidit FRID. ADAM. SCHOLLER. Lipſiae. Apud Weidmanni Heredes et Reichium in commiſſis. MDCCLXXV. 8. plagg. 22.

Quamuis praecipuus vſus, vt titulus docet, huius libri in eos, qui regionem Barbienſem inhabitant, ibique Botanicam docentur, redundat; non tamen vtilitate caret idem publica. Ordine enim, quo conſcriptus eſt, atque accuratione permagna commendatur, multitudineque plantarum, in territorio Barbienſi naſcendarum, quarum haud paucae non vbiuis creſcunt, vtilis ſit, quibus accedunt inſperſae, rariores quidem, at egregiae, atque de botanico obſeruatore teſtantes obſeruationes characteres plantarum difficilius diſtinguendarum continentes.

LINNAEI ſequitur Cl. Auctor methodum, nominaque ex editione ſyſtematis nouiſſima *) adoptat. Quasdam quoque plantas, quae in LINNAEO non inueniuntur, ab aliis, praeſertim SCHREBERO **) dicta nominat. Ipſe omnes plantas in locis natalibus collegit, haecque diligenter adſcripſit. Varietate ſoli, vel arenoſi, vel pinguis, vel ſaxoſi, planitie, montibus, ſyluisque laetatur regio, cuius plantae hic enumerantur; atque hinc pro regionis diuerſa ratione varia naſcuntur vegetabilia. Placet quarundam rariorum nomina adiungere, praeſertim earum, quibus *Flora* noſtra *Lipſienſis* caret. *Veronica proſtrata. Scirpus holoſchoenus. Stipa pennata, iuncea. Poa bulboſa. Arundo arenaria. Montia fontana. Galium ſpurium. Aſperula*

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 620.

**) In Spicileg. Flor. Lipſienſ. vid. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 444.

Aſperula laeuigata. Androſace elongata. Verbaſcum phoeniceum. Theſium alpinum. Illecebrum verticillatum. Tordylium maximum. Bupleurum tenuiſſimum. Corrigiola littoralis. Iuncus inflexus. Aliſma ranunculoides. Ceraſtium viſcoſum. Aiuga geneuenſis. Thlaſpi perfoliatum. Biſcutella coronopifolia. Siſymbrium arenoſum. Carduus cyanoides. Salix incubacea, fuſca. Marſilea natans. Iungermannia pinguis.

His ſponte prouenientibus plantis addita eſt appendix quarundam, quae hortis coluntur, plantarum.

Ex obſeruationibus botanicis nonnullae hae
ſunt. *Veronica agreſtis* et *aruenſis* in eo dif- p. 27.
ferunt, quod illi calycina foliola ouata aequalia,
huic lanceolata inaequalia ſint. Frequentes ſunt
in graminibus obſeruationes laudandae. Non poſ-
ſumus tamen conſentire cum Cl. Auctore, qui *Pa-* p. 36.
nicum ſanguinale a *P. crure galli* tantum cultura
differre dicat. Etſi plerumque notae, quibus *Poas* p. 39.
triuialem, anguſtifoliam et pratenſem diſcernere ſtu-
det, in iis inueniantur; cum tamen easdem ſaepiſ-
ſime variare viderimus, neque floſculorum numerus
vnquam certus ſit, has tres ſpecies, ipſo LIN-
NAEO annuente, varietates tantum iudicamus.
Gentianam Centaurium, cum ſtamina tubo corollae p. 68.
impoſitae, antherae ſpirales, ſtylusque vnicus ſit,
Chironiae magis, quam *Gentianae* characteri reſpon-
dere monet. *Scleranthi perennis* radici menſe Iu- p. 102.
nio adhaerere *Coccum Polonicum* notat. *Roſa Eg-* p. 120.
lanteria, quae hic dicitur, eſt potius lutea, vti ex
Cl. DU ROI *) diſcitur. *Stratiotes Aloides*, ad p. 127.
Dioeciam dodecandriam pertinet, quod iam ZIN-
NIUS **) notauit, atque hic obſeruatione Aucto-
ris Cl. confirmatur. *Aiuga geneuenſis*, dubia plan- p. 135.
ta, varietas eſt pyramidalis, notante SCHRE-
BERO.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 551.
**) Comment. ſoc. reg. ſcient. Gotting. T. III. p. 425.

p. 183. BERO *). In *Carduo cyanoide*, hic nato, ſunt folia omnia ſeſſilia, plana, margine aliquantum reflexo, laciniis longis, ſquamae calycinae lineares, anguſtiores, aequalis longitudinis, laxae, longiores.

p. 230. *Marſileae natantis*, rarae plantae, folia ſunt bifaria, ouata complicata, adſperſa ſupra glomerulis e filamentis 4, albis, apice cirrhoſis: inter radices globi 3—7, ſtylo inſtructi, polyſpermi.

Singularem etiam laudem meretur Cl. Auctor propter nomina Germanica multo ſane ſtudio hic collecta, et exquiſita. Bonum etiam eſt, quod characteres generum ſint adſcripti. Praeterea breuiter quaedam de vſu plantarum oeconomico et medico ſunt addita, ex VOGELIO, LINNAEO, et LOESEKE praecipue excerpta. Libro praemiſſae ſunt terminorum botanicorum aptae definitiones, et characteres claſſium rationesque ordinum. Index Generum et nominum Germanicorum finit librum.

VII.

D. CARL ABRAHAM GERHARD *Beyträge zur Chemie und Geſchichte des Mineralreichs. Erſter Theil. Berlin.* 1773. *Bey Chriſt. Friedr. Himburg.* 1 *Alph.* 2 *Bog.* 8. 2 *Kupf.*

i. e.

Aduerſaria ad mineralium chemiam et hiſtoriam, Auctore CAROLO ABRAHAMO GERHARD. Pars I.

Experimentis curioſis ſaepiusque repetitis, quae in hoc libro traduntur, plura certe ad mineralium naturam melius cognoſcendam Cl. Auctor attulit: quae quamuis nondum omni ex parte ita ſint confirmata,

*) EIVSD. Plantarum verticill. vnilab. Genera et Species. comm. noſtr. Vol. XX. p. 618.

firmata, et definita, vt in iis ſubſiſtere queant mineralogi, tamen abunde rationem monſtrant, qua adhibita, minerarum doctrina, adeo adhuc incerta et ſaepe obſcura certius ſtabilietur et illuſtretur. Nam, praeter alia, inprimis methodum mineralia partiendi, vulgari certiorem, ſuadet, eamque ſequitur in tentamine, quo terras lapidesque pertractat. Verum et aliae notatu digniſſimis abundant obſervationibus tractationes, quare de ſingulis ex ordine Cl. Auctoris agamus.

1) *De optima methodo, ſyſtema mineralogicum certum et naturae minerarum conueniens, et cognitu facile conſtituendi.* Vnam nempe, hoc efficiendi, rationem, hanc putat eſſe Cl. Auctor. Definiantur partes conſtitutiuae mineralium chemice, i. e. oſtendantur eorum mutationes tum ſoluendo eadem, tum in igne, et per ſe, et additis ſalibus aliisque; indeque claſſes ordines, et ſectiones, quin, ſi fieri poſſit, genera et ſpecies definiantur. Quodſi autem diuerſa mixtio non ſufficiat, ad genera et ſpecies determinanda, externis ſignis potiſſimum iis, quae ex cohaeſione et ſtructura petuntur, eadem diſtinguantur. Quam quidem ſententiam ex natura mineralium et probare, et ab obiectionibus vindicare ſatagit. p. 1. p. 13.

2) *De Granatis tractatio.* Quae iam in diſſertatione inaugurali ſua edidit tentamina circa Granatos, in Sileſiae Bohemiaeque montibus inueniendos, inſtituta: iterum repetita et in Granatis aliarum quoque regionum inſtituta hic perfectiora tradit Cl. Auctor. Ex omnibus experimentis patet, Granatos ex vulgari terra vitreſcibili, nonnullisque ferreis particulis conſtare, ipſosque eſſe *cryſtallos polygonas, purpureas.* Praeterea loca natalia, et lapides, in p. 24.

quibus

quibus Granati, impacti quaſi, reperiantur eorum-
p. 30. que varios colores aliasque diuerſitates, recenſet: coniicitque, cum lapis circa Granatos, qui matrix (haud apto nomine) dici ſolet, ſit plerumque fixus, pinguis, terramque ſalis contineat, fuſibilitatem Granatorum ex reſiduo huius terrae oriri; ipſosque forte Granatos, aliasque Cryſtallos, ex pingui tali terra, per ſeparationem pinguis materiae et alcalinae terrae naſci. Granatos ſpurios vulgo dictos ad Baſaltem pertinere putat. Experimento-
p. 33. rum quorundam euenta notemus. In crucibulo arentibus Granatis ſi aqua ſubito affunditur, eorum textura lamellaris apparet; quod cum plurimi mineralogorum eos ſolidiſſimos dixerint, notandum eſt. Lamellae ſunt plerumque triangulares. Color Granatorum igne hoc conſtans per-
p. 34. manſit. Acidis Granati tam natiui, quam vſti non ſoluuntur, colores vero varie, pro ratione ſalium mutantur: alcalinis additis ſoluuntur, et praecipi-
p. 36. tata terram martialem indicant. Granati ſoli deſtillatione non mutantur, addito autem Sale ammoniaco, flauum quid copioſe ſublimatur, et Granati magis albidi fiunt, quod martialium particularum
p. 38. manifeſtiſſimum dat indicium. Alcali fixo granati omnino ſoluuntur. Si enim octupla alcali fixi pars cum vna granati parte funditur, maſſaque viridescens et vitreſcens in aqua ſoluatur, acido adiecto alba terra vitreſcibilis praecipitatur, ſuſpenſaeque manent partes martiales, forma cinereo nigri pul-
p. 39. veris. Stanni partes nullas granatis ineſſe expertus eſt. Fuſi granati, et producta, ſi addantur ſalia terrae, lapidesque granatis, fundanturque, varia, easdem partes conſtitutiuas granatis eſſe demonſtrarunt.

p. 46. 3) *Annotationes circa terrae metallicae naturam.* Demonſtratur hanc terram, non alcalinam, alumi-

noſae

noſae proximam, vt Cl. SCOPOLI *) vult; verum omnino vitreſcibilem eſſe. Nam terram aluminoſam fuſioni reſiſtere, eamque impedire, neque vnquam ab alcalinis fixis ſolui, cum contra terrae metallicae, facile fundantur, et, ſi cum alcalinis fixis fundantur, ab iis ſoluantur. Haec alcali ſoluta terra reducta idem, quod metallica terra, producebat metallum eodemque modo in vitrum, vti illa, fundebatur. Eademque eſt natura terrae, in mineris metallicis contenta. Denique e vulgari pura vitreſcenti terra, quam ſulphure fudit, obtinuit metallicam martialem terram.

4) *Tentamen nouae partitionis terrarum lapidumque.* Normam ſupra datam hic perſequitur. Recte iungit Cl. Auctor terras et lapides. Primas terras duas aſſumit *vitreſcentem* et *alcalinam*. Hae vel purae ſunt, vel mixtae cum ſalibus vel inflammabilibus: ex his igitur diuerſis mixtionibus terrarum lapidumque *ordines* conſtituit. *Sectiones* tum facit, ſi harum terrarum primarum varia genera ſint. In iis lapidibus, vbi e mixtione genera Cl. Auctori non definiri poſſe videbantur, eadem e diuerſitate particularum, ſpecies vero ex cohaeſione et diuerſo ſitu earundem particularum diſtinxit. Variam igitur ſtructuram hic breuiter recenſet. Cryſtallos lapideas omnes lamelloſas inuenit. Colores, quorum cauſſam non, niſi phlogiſton, vel martiales partes, eſſe putat, et pelluciditas vel opacitas lapidum varietates definiant. Breuiter nunc placet addere ordines, ſectiones et genera lapidum. p. 54.

I. Ordo. *Petrae vitreſcibiles.* Conſtant e pura vitreſcibili terra, cum alcali fixo in vitrum funduntur,

*) v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 716. Si autem aluminoſa terra etiam vitreſcibilis eſt, vti Cl. BAUME' defendit: tota haec lis compoſita eſt.

duntur, ſunt ideo electrici, et duri. Cum nulla terrae vitreſcibilis diuerſitas ſit, huic ordini quoque nulla Sectio datur.

p. 80. Genus I. *Quarzum:* particulis angulatis ſcindentibus: cui 4 ſpecies ſubiicit, reliquas pro varietatibus habet.

p. 91. Gen. II. *Hyalophyllites*, particulis lamelloſis. Huc lapides pretioſi omnesque cryſtalli pertinent.

p. 126. Gen. III. *Silex.* particulis indiſtinctis in fragmenta conchoidea diſſiliens. Huc *Spatum Scintillans*, *Petroſilex*, *Corneusque* WALLER. refertur.

p. 145. Gen. IV. *Iaſpis.* opacus, fractura aſpera fere granulata.

p. 153. II. Ordo. *Petrae alcalinae.* Componuntur e pura alcalina terra, atque ſigna eiusdem omnia habent.

p. 159. Sectio I. Petrae alcalinae calcareae.

p. 161. Gen. V. *Creta*, particulis indiſtinctis, raſilis, inquinans.

p. 176. Gen. VI. *Marmor*, firmiter cohaerens, ſolidum fragmentis figurae indeterminatae.

p. 200. Gen. VII. *Inolithus*, particulis fibroſis.

p. 204. Gen. VIII. *Duſodes*, affrictu vel igne foetens, bitumine refertus. *Lapis ſuillus* Auctorum.

p. 209. Gen. IX. *Porus*, lamellis conflatum. *Spatum calcareum* Auct.

p. 236. Sect. II. Petrae alcalinae amarae ſeu muriaticae.

p. 239. Gen. X. *Halodes*, textura lamelloſa.

p. 241. Sect. III. Petrae alcalinae aluminoſae.

p. 243. Gen. XI. *Stypteriodes*, attactu laeuis, inquinans, ſ. terra aluminoſa.

p. 246. Gen. XII. *Magneſia*, ferruginea, terra aluminari, pauco ferro, et phlogiſto compoſita.

p. 253. III. Ordo. *Petrae gypſeae*, quae ex alcalina terra, et acido vitriolico componuntur, atque igne in gypſum mutantur.

p. 255. Gen. XIII. *Alabaſtrum.*

Gen.

Gen. XIV. *Phyllolithes*, lamellis mollibus ſub-flexibilibus, igne non crepitans. *Gypſum.* p. 262.
Gen. XV. *Spatum*, lamellis rigidis, igne crepitans. *Gypſi* ſpecies, *Gypſum ſpatoſum.* Wall. p. 266.
Gen XVI. *Stirium*, filamentoſum.
Gen. XVII. *Hepaticus*, bitumine mixtus, affrictu foetens.
IV. Ordo. *Petrae pingues*, apyrae, e vitreſcibili et alcalina terra compoſitae, cui maſſa pinguis immixta eſt. p. 281.
Sectio I. Petrae pingues aluminoſae. p. 286.
Gen. XVIII. *Argilla*, tenax, attactu laeuis, aqua emollienda. p. 288.
Gen. XIX. *Smectis*, attactu ſaponacea, firmiter cohaerens, in aqua non emollienda, texturae informis. p. 315.
Gen. XX. *Mica*, lamellis flexibilibus ſplendentibus. p. 322.
Gen. XXI. *Schiſtus*, in tabulas ſectilis.
Sect. II. Petrae pingues muriaticae. p. 349.
Gen. XXII. *Trippela*, raſilis, attactu aſpera, inquinans, aqua non emollienda. p. 350.
Gen. XXIII. *Steatites*, attactu laeuis, glaber, texturae informis. p. 352.
Gen. XXIV. *Talcum*, raſile lamelloſum. p. 359.
Gen. XXV. *Amianthus*, fibroſus. p. 368.
Gen. XXVI. *Baſaltes*, cryſtallinus. p. 376.
Gen. XXVII. *Granatus*, (*Schoerl*), lamelloſus.
V. Ordo. *Petrae fuſoriae*, ex alcalina, vitreſcibili et gypſea terra compoſitae, igne ſolae non funduntur. p. 383.
Gen. XXVIII. *Fluor*, lamelloſus.
VI. Ordo. *Petrae fuſibiles*, iisdem, vti Fluor, natae terris, igne per ſe funduntur, cum acidis non efferueſcunt. p. 389.
Sectio I. Petrae fuſibiles calcareae. p. 391.

Gen. XXIX. *Lazulus.*

p. 393. Sectio II. Petrae fuſibiles muriaticae.

Gen. XXX. *Zeolites.*

Etſi haec lapidum partitio nobis in multis naturae conueniens videatur; tamen nondum omnino, vti et ipſe Cl. Auctor fatetur, naturalis eſt. Certe putamus, cum eſſentialis mineralium diuerſitas in mixtione poſita ſit, ex eadem ſola quoque eſſe diſtinguenda, vt omnia mineralia, ſic quoque lapides. Deinde, vbi particularum diſcrimen verum reperitur, ibi etiam mixtio diuerſa latere videtur, diligenter inſtitutis experimentis extricanda. Quodſi igitur Cl. Auctoris ſpecies conſideramus, plures earum re ipſa in varietatum numerum pertinent; et ea genera, quae ex diuerſitate particularum ſunt conſtituta, in quibus tamen adhuc mixtio diuerſa eſt, ad ſpecies referenda ſunt. Sectionibus carere poſſit ſyſtema, cum genera ſint. Atque lapides vitreſcibiles duo genera conſtituere tantum videntur. Nominum denique nouorum conſtitutio cauenda quam maxime eſt, atque iis, quae Cl. Auctor profert, alia iam recepta multo aptiora ſunt.

Huic partitioni obſeruationes Cl. Auctor ſubiecit, quibus tum natura lapidum vberius explicatur, tum eorum vſus in artibus et oeconomia, et loca natalia indicantur: quarum nonnullas addamus.

p. 85. In *Quarzo* nunquam ſalinas partes inuenit *): Colores eiusdem a ſolis martialibus particulis pen-
p. 87. dent: album etiam vſtum, fit ferrugineum. Mons Sileſiae, *Flinsberg* dictus, totus, de quo dubitatur, puriſſimo *Quarzo* tectus eſt, quod quarundam per-
p. 90. ticarum profunditatem habet. Coniicit Auctor, igni

*) cf. *Elemens de mineralogie par* SAGE, qui contrarium docet. v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 269.

igni multum in origine Quarzi tribuendum eſſe, neque ſolum per ſolutionem in aqua idem oriri, certe non ex *marga*.

Obſeruationes de generatione cryſtallorum promittit; iam vero certo affirmat, mutationem particulae lapideae amorphae in cryſtallinam a materia ſoluente pendere, atque diuerſae figurae cryſtallos, quibus eaedem ſint partes conſtitutiuae, diuerſis materiis ſolutas fuiſſe. *Cryſopraſus* in fruſtis virideſcenti argillaceae terrae circa *Koſemiz* iniacet, non in amiantho, neque in ſtratis, vt LEHMANNVS *) ait. Hinc probabile Auctori videtur, *Chryſopraſum* e terra viridi argillacea per ſeparationem illic contentae aluminoſae terrae oriri. *Silices*, aeri et ſoli expoſitos in cretam reſolui Cl. Auctor expertus eſt: miramur igitur, Eum Silici diuerſam a *Quarzo* mixtionem denegare, quam quidem hoc experimentum nobis apprime demonſtrare videtur: Ipſe quoque Silicem ex terra argillacea forte ortum, plus quam probabile eſſe dicit. *Iaſpidis* cum alcali fixo fuſio etiam oſtendit, aliquam terrae argillaceae ei ineſſe partem. Igitur haec duo genera ipſa mixtione differunt. p. 124. p. 131. p. 142. p. 150.

Terram alcalinam ex vitreſcibili, addito phlogiſto, natam probabiliter dicit. *Margam* Cretae ſpeciem facit. Dum aqua cum calce vſta commiſcetur, generari putat ſal, penetrabile, volatile et acidum, quod terrae calcareae partem ſoluat eamque ſpatoſam reddat: atque ſit ſimul cauſſa, ob quam calx vi nectente inſtruatur. Quo diutius igitur calx non elixiuata ſeponitur, eo firmior eſt, indeque magis in oeconomia vtilis. Ad *Porum* plures *Spati* varietates, vt ſpecies Cl. Auctor retulit. Calx ex *Poro* ducta minus vtilis eſt ea, quae ex Marmore elici- p. 155. p. 169. p. 192.

*) Mém. de l' Acad. de Berl. année 1755. p. 202. comm. noſtr. Vol. VI. p. 633.

elicitur: ipſe *Porus* octauam grauitatis ſuae partem
p. 259. aquae continet. Cum in *Alabaſtri* ſtratis ſaepe ſulphuris minerae inueniantur, idem forte ab initio Marmor fuiſſe, quod fateſcentia et ſolutione corporum, acidum ſalis attrahentium, in Gypſum
p. 265. mutatum ſit. In *Phyllolithe* ſ. *Gypſo fiſſili* WALL. terra calcarea cum acido vitriolico magis eſt
p. 27. ſaturata, et pura. Ad *Spatum* ſ. *Gypſi* ſpecies WALL. non refert Glaciem mariae neque Lapidem
p. 298. Bononienſem, ſed haec ſalia eſſe dicit. Pingue in *Argilla* cognoſcitur inde, quod ea cum nitro de-
p. 305. tonet. *Argillam* probabiliter ortam eſſe ex terra vi-
p. 331. treſcibili putat, admixto phlogiſto et pingui. Propter magnam pinguis copiam, quae micae ineſt, eadem prius cum alcalinis fixis torrenda eſt, quam terra aluminoſa inde educatur. Mica hoc modo rigida facta, itemque cum carbonum puluere toſta,
p. 334. fit flexilis, opaca tamen manet. Cum in Mica ferrum ſolum detectum ſit, et aluminoſa terra cum ſulphure digeſta micacea fiat, coniicit Cl. Auctor, micam eſſe cryſtalliſationem argillae, igne natam. Plura de *Baſaltis* et *Granati* determinatione, alibique in ſpecierum definitione eſſent monenda, ſed breuitati ſtudentes ea omittere cogimur.

VIII.

Von den äuſſerlichen Kennzeichen der Foſſilien, abgefaſt von ABRAHAM GOTTLOB WERNER, *der Bergwerkswiſſenſchaften und Rechte Befliſſenen, auch der Leipziger oeconomiſchen Geſellſchaft Ehrenmitglied. Leipzig. Bey Siegfr. Lebrecht Cruſius.* 1774. 8. 19 *Bogen.*

i. e.

De ſignis externis mineralium, Auctore ABRAHAMO GOTTLOB WERNER.

Quum

Quum ſigna externa mineralium a plurimis mineralogis tanquam inſufficientia, et lubrica ad definienda mineralia iudicentur, multumque negligantur: conſtituit Cl. Auctor, cui iam cura muſei Freybergenſis tradita eſt, eadem diligentius contemplari et ſollicite in eorum differentiam inquirere, hancque certius definire. Igitur oſtendit in hoc eleganti, docte et concinne ſcripto libello, non tam natura ſua ſigna externa eſſe inſufficientia, quin potius eadem omnibus reliquis eſſe praeferenda; verum propter neglectam eorum diſquiſitionem ſatis curatam, male dici a mineralogis imperfecta. Quamobrem ex ipſa natura mineralium multos nouos characteres deſumſit, eos ſolide deſcripſit, illuſtrauitque egregie tum exemplis, tum tabulis ſynopticis: vt certe eum primum, hanc viam ita ingreſſum eſſe fatendum ſit. Denique, qua ratione mineralium deſcriptiones meliores, quam hactenus, conficiendae ſint, docuit. Omnia Cl. Auctor ita curate et ſubtiliter deſcripſit et explicuit, vt ſi quid, nihil certe niſi nimis diſtincta ſcribendi ratio ſeueros iudices laedere poſſit.

Omnem mineralogiam alia, quam hactenus factum eſt, ratione tractandam eſſe demonſtrat. WALLERIVM*) quidem et GERHARDVM**) in ſyſtematibus ſuis a rei natura propiores eſſe concedit: nondum tamen certam ſatis ſequi methodum. Nam putat Cl. Auctor: mineralia eſſe omnino, ad ſpecies vſque ex earum mixtione ordinanda atque partienda: Huic vero partitioni eſſe addendas omnium et ſingularum ſpecierum deſcriptiones perfectas, in quibus omnes earum characteres externi recenſeantur: ſimulque p. 13. p. 20.

 non

*) vid. EIVSD ſyſt. mineral. ed. nou. 1722. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 437.

**) vid. EIVSD. *Beyträge* comm. noſtr. ſupra, p. 59.

non negligendas varietates, ſed ſub ſuis ſpeciebus indicandas: atque ex huius methodi neglectu, confuſione nominum, et quarundam, ſaepe incertarum notarum indicatione omnes retardationes in cognitione minerarum eſſe deriuandas.

p. 32. Notae externae reliquis ideo praeſtant, quod ſemper et in omni indiuiduo adſint, oſtendantque certo eſſentiales mineralium diuerſitates, et poſſint quoque curate, facile et cito cognoſci et definiri, quorum quidem vna vel altera virtute ſigna chemica, phyſica et empirica eareant. Deinde, quoad ſigna externa definita ſint, hiſtorice enarrat.

p. 47. Vt vero, quos mineralia certos oſtendunt, characteres, definiti conſtituantur, iis nomen conueniens imponendum, eorumque ratio ad ſe inuicem aeſtimanda eſt: maximeque eo eſt reſpiciendum, vt ſigna ſimplicia, ſeu quae vnam tantummodo proprietatem mineralis indicent, primum, atque ex his compoſita explicentur, illuſtrenturque exemplis.

Has igitur in ipſa nunc expoſitione leges Cl.
p. 80. Auctor ſequitur. Definit primo ſigna *generica*, quae ſunt color, cohaeſio, firmitas, friabilitas, quae tria ſolidis mineris propria ſunt, et fluibilitas, quae in fluidis tantum locum habet, pinguedo frigus, grauitas, odor et ſapor. In ſignis *ſpecificis* diverſitas genericorum indicatur, quibus definitur quodnam et quale ſignum genericum minerali conueniat.

p. 87. Colorem primum ſignum et ex maxime certis eſſe putat, quibus mineralia diſtinguantur; in ſolis terris et lapidibus, cum ſaepe immixtae ſint inflammabiles et metallicae partes, minus certi colores deprehenduntur. Colores primarii, nempe albus, cinereus, niger, coeruleus, viridis, flauus, ruber ac

brunus,

brunus dant nomina generica colorum; ſpecifica vero deſumſit vel ex corporibus, in quibus ſaepiſſime occurrunt, vt color *lacteus*, (etſi fatendum eſt, hanc rationem in omni lingua propter vſum loquendi, eodem modo imitari ſemper non poſſe;) vel pigmento pictorum, vt *laſureus*, vel a coloribus, qui ſecum mixti ſunt, vt *coeruleo cinereus*, vbi ſimul gradus mixtionis aptis verbis exprimuntur; quae quidem poſterior ratio nobis maxime commoda videtur, cum notionem claram ſtatim offerat.

His expoſitis, colores vlterius determinat omnes, eorum varietates recenſet, atque exemplis illuſtrat.

Cum *cohaeſio* a vi attractiua, qua partes minera- p. 133. lium conſtituentes ſecum nexae ſunt, pendeat, facile apparet eam ſigna eſſentialia et certa praebere. Pro varia cohaeſione igitur ſunt mineralia *fluida* vel *ſolida;* haec iterum vel *firma*, vel *friabilia*.

In firmis foſſilibus conſiderantur *externa* p. 138. figura ſeu ea, quae integris mineralibus naturaliter ineſt: externa ſuperficies, nitor, fractura, fragmentorum figura, pelluciditas, tritura, inquinandi vis, durities, firmitas, flexilitas, adhaeſio cum humido, atque ſonitus. Figura externa vel multis *commu-* p. 145. *nis* eſt, vti ſunt minerae denſae (*derb*), inſperſae (*eingeſprengt*) anguloſae, granuloſae, vel aliis extus adhaerentes (*angeflogen*); vel quibusdam tantum *propria* p. 149. eſt, hinc mineralia dentiformia, filiformia, capillaria, venoſa, reticulata, dendroidea, ſtalactiti ſimilia, ramoſa, reniformia, globoſa, ſpecularia, lamelloſa, celluloſa, perforata, amorpha et corroſa; vel eſt *determinata*, tuncque dicuntur mineralia cryſtalliſata. In cryſtalliſatione conſideranda attendendum eſt ad 1) figuram ipſam cryſtalli, 2) eiusdem mutationem, 3) magnitudinem, 4) cohaeſionem. Diverſitates iam omnes Cl. Auctor ita exacte et copioſe expoſuit, vt easdem cunctas non niſi iuſto

longius immorari velimus, queamus perſequi. LINNAEI tabulam cryſtallorum hic comparauit. Cognitis cryſtalli figuris, *conum* addit, quem in Ferri magnetici ſpecie inuenit.

p. 176. Adamantis triedri, pyramidalis, Braſilienſis cryſtalliſationem deſcribit. Angulus quisque quatuor paruis lateribus erat acuminatus; latera ipſa

p. 187. erant conuexa. Ratio cur Plumbi minera, *Galena* dicta, cryſtallis variet, in admixto argento Auctori poſita videtur.

p. 198. Externa ſuperficies vel inaequalis, ſcabra, aſpera, laeuis, ſtriata, plumoſa, vel reticulata, quae non confundenda cum figura reticulata eſt. Tum *nitorem* ex diuerſo gradu diſtinxit Cl. Auctor, dicitque foſſilia multum nitentia, nitentia, parum nitentia, micantia, non nitentia. Praeter externum nitorem, idem quoque interior eſt ſcrutandus. Textura ſ. fractura mineralium eſt vel denſa, vel fibroſa, vel radiata, vel lamellaris, quarum ſpecierum iterum plures hic adduntur varietates et ſubdiuiſiones.

p. 227. Fragmenta ſunt cubica, rhomboidea, pyramidalia, conoidea, ſubcylindrica, vel lamellae, vel indeter-

p. 235. minata. Quoad pelluciditatem foſſilia dicit, pellucida, ſemipellucida, tranſparentia, margine tranſparentia, vel opaca. Ex duritie ſunt dura, ſemidura, mollia, ac molliſſima mineralia.

p. 253. In friabilibus locum habent haec tantum ſigna, nitor, partium figura, inquinatio, friabilitatis gradus, atque adhaeſio cum humidis. In fluidis denique attendit, ad nitorem, pelluciditatem atque ad varios fluibilitatis gradus. Quo grauius minerale quoddam eſt, eo eſt etiam frigidius. Grauitatis gradus hos aſſumit Cl. Auctor, vt mineralia dicat natantia, leuia, mediocriter grauia, grauia et grauiſſima. Haec omnia deſcriptionibus, vlterio-

ribus.

rioribusque varietatibus ſignorum exemplisque declarantur.

Denique regulas, ad quas deſcriptiones minera- p. 285. lium ſint parandae, tradit, et exempli loco deſcribit, Cuprum cinereum, Plumbum viride, rubrum *), Micam, vitrum Moſcouiticum. WALL. Talcum, Gypſum, quod glacies mariae dicitur. Nos ſubiiciamus deſcriptionem Plumbi viridis. Colore id eſt plerum- p. 293. que viridi, rarius flauo, varians ex oliuaceo in citrinum colorem. Figura eſt vel ſolida, vel cryſtallis hexaedris, columnaribus, quae laeues ſunt, exterius nitent, intus parum nitent, ſaepe tantum micant; nitor eiusdem eſt vulgaris, non metallicus; fractura eſt inaequalis, denſa; diſſilit in fragmenta indeterminate angulata; plerumque eſt tranſparens, interdum fere opacum; tritura viridi alba, molle, rigidum, tactu ſiccum, et graue eſt.

Profecto, ſi, quod valde optamus, Cl. Auctor conſilium ſuum totam mineralogiam hac ratione tractandi, omnesque mineralium ſpecies et varietates tam copioſe et curate, vti in his paucis exemplis oſtendit, deſcribendi, perſequitur: minerae certe facilius, atque certius cognoſci et definiri a quocunque rerum perito poterunt.

*) v. comm. noſtr. ſecund. decad. Suppl. IV. p. 579.

Philoſo-

IX.

Philoſophical Transactions giving ſome account of the preſent undertakings, ſtudies and labours of the Ingenious in many conſiderable parts of the world. Vol. LXI. For the year 1771. P. I. et II. 3 alph. 19 pl. tab. aen. 22. London printed for L. Dauis. Vol. LXII. 1772. 2 alph. 17 pl. tab. aen. 14. Vol. LXIII. P. I. II. 1773. 2 alph. 20 pl. tab. aen. 20. Vol. LXIV. 1774. 2 alph. 22. pl. tab. aen. 15.

i. e.

Tranſactiones philoſophicae, quae laborum ab eruditis in variis orbis terrarum partibus nouiſſime ſuſceptorum, quandam exhibent notitiam. Vol. LXI. Vol. LXII. LXIII. LXIV. ad annum 1771. 1772. 1773. et 1774.

V. LXI. p. 1. 1. 2. In primo et ſecundo commentario Voluminis ſexageſimi primi Ill. HAMILTON *naturam ſoli circa Neapolim* deſcribit, cuius Auctoris in obſeruandis naturae phaenomenis ſollertiam, iam ex aliis ſpeciminibus prioribus Tranſactionum voluminibus inſertis cognoſcimus, quibus potiſſimum montes igniuomos Aetnam, Veſuuium cet. deſcripſit *). Obſeruationes vero, quas per ſex annos Ill. HAMILTON inſtituit, omnes probant, totam hanc regionem, vbi nunc Neapolis vicinaeque vrbes iacent, ad Apenninos vsque montes, olim ex maris fundo, eiecta per montes igniuomos materia

ria

*) v. c. Vol. LX. p. 1 et LVIII. p. 1. vid. Comment. noſtr. Vol. XX. p. 469 et XVII. p. 387.

ria, eleuatam fuiſſe. Ipſi quoque montes igniuomi omnes, quos Cl. Auctor vidit, non ſtatim ab initio montes fuere, ſed ignis ſubterranei vi materiaque ab eo proiecta ſurrexerunt. Ardent enim non, vt BVFFONVS aſſerit, in cacumine, ſed ignis ſedes profundior et in ipſa terra eſt In ruinis Herculanenſibus et Pompeianis et pluribus aliis in locis vicinis, idem vidit, quod in Sicilia etiam olim obſeruauerat *): lauam ſcilicet ſenſim emolliri et in humum mutari, pluraque eiusmodi ſtrata, humo vero a ſe diſtincta ſibi ſuper impoſita eſſe, vnde plures eruptiones huius lauae praegreſſas eſſe recte concludit. Terra puteolana, quae etiam ignis ſubterranei progenies eſt, lauam cementi inſtar, aqua ſimul ex monte igniuomo erumpente, conglutinat et eam lapidis ſpeciem producit, quam in his terris *tufam* dicunt et qua Herculani ruinae teguntur. Pluribus quoque phaenomena Cl. Auctor deſcribit, quae a. 1538. dum intra vnam tantum noctem *nouus* ſic dictus *mons* prope Puteolim oriebatur, obſeruata fuerunt. Eam quoque inſulam quae nunc *Iſhia* audit, ignis ſubterranei vi productam eſſe, Cl. Auctor ex ſoli natura probat. Fumus montium igniuomorum electricus eſt, ſaepeque ſcintillae electricae ex columna eius denſa prodeuntes magnum incolis damnum attulerunt. Vapores noxii, ex ſpeluncis variis circa montes ignivomos erumpentes ex aëre fixo conſtant, cum quo tamen ſalinum quoque ſumme volatile principium coniunctum eſt. Pumex, vti Cl. Auctor obſerua- P. 48.
vit, ex bitumine ignis ſubterranei vi oritur et per vapores calidos ſubterraneos ita corroditur, vt foraminulis pluribus pertuſus appareat.

3) Sequitur

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 470.

p. 51. 3. Sequitur Cl. FRANKLIN *obſeruatio de tranſitu Mercurii per diſcum ſolis* d. 9. Nou. 1769.

p. 53. 4. Cl. HOWARD *calorem ſoli circa montem Veſuuium thermometri ope* examinauit, viditque, calorem, qui ad radicem 114 graduum erat, in cacumine ad 218 et in cratere ad 240 gradus adſcendere.

p. 55. 5. *Deſcriptio auis ex India orientali allatae*, auctore G. EDWARDS. Auis eſt a Cl. VOSMAER iam in libello ſingulari Hagae Comitum 1769 edito, ſub nomine *Sagittarii* deſcripta. Characterem ordinis accipitrum, roſtrum ſcilicet aduncum, cum grallarum charactere coniungit, quum forma pedesque eius longiſſimi ſint et ardeam quaſi referat. Criſtam nigricantem in occipite quoque gerit. Collum tamen breuius in *Sagittario* eſt, femoraque plumis ad genua vsque teguntur. Oculi obſcuriores, genae vero nudae aurantii coloris ſunt. Roſtrum, caput, collum, dorſum, pectus et tectrices ex cinereo coeruleſcentes in eo reperiuntur. Venter, femora, cauda, remiges nigrae ſunt albo intermixtae. Pedes carneum colorem, vngues vero nigrum oſtendunt. In mare caput maius maioreque nigredinis gradu praeditum eſt. Aues in viuariis aſſeruatae carnem et piſces edunt. Putat vero Cl. Auctor illas in India lacertis et ſerpentibus inprimis veſci.

p. 57. 6. *Excerptum ex indice dioeceſeos* Holy-Croſſ *dictae in comitatu* Salop, *a die Michaelis* 1760 *ad diem Michaelis* 1770. a Cl. W. GORSUCH.

p. 59. 7. Cl. DE VISME *epiſtola* ad Cl. MATY, qua ei ſequentem relationem tranſmittit.

8. Cl.

8. Cl. GRAMONT relatio *de ſtructura Fornacum apud Sinenſes*, quibus ſcilicet lithanthracum ope muſea calefaciunt. Materia nigra puluerulenta, quae in lithanthracum fodinis ſuperius inuenitur, calce miſta optimum cementum praebet. p. 61.

9. *Relatio de effectu fulguris in templum aliquod hominum multitudine repletum penetrantis*, auctore Cl. WILLIAMS. Licet decem homines laederentur, nullus tamen ex iis periit. p. 71.

10. 11. 12. Cl. SWINTON *explicatio numiſmatum nondum deſcriptorum, et inſcriptionis Punicae.* p. 78. 82. 89.

13. Cl. MESSIER *relatio de cometa ab eo* d. 10 Ian. 1771. detecto. p. 104.

14. *Deſcriptio noui teleſcopii* a Cl. NAIRNE *conſtructi.* p. 107.

15. *Experimenta circa aurum moſaicum* a Cl. P. WOULFE. Optima ratio illud praeparandi eſt, ſi ad normam in diſpenſatorio Londinenſi praeſcriptam duodecim partes ſtanni liquefacti cum ſex partibus mercurii amalgamantur, amalgama hoc pulueriſatur et vna cum partibus ſeptem ſulphuris et ſex partibus ſalis ammoniaci ſublimatur. *Aurum* tunc *moſaicum* in inferiore parte ſublimati reperitur. Mixtura calefacta, ſtannum in ſal ammoniacum agit, ſeque cum acida eius parte vnit, alcali vero volatile cum ſulphuris parte combinatum ſublimatur et fere totum diſſipatur. Ipſum autem ſal ſtanni, vnione huius metalli cum acido ſalis productum, etiam ſublimatione extollitur, mercurius vero cum portione ſulphuris vnitur et cinnabarim format, quae, etiam ignis vi adſcendit. Iam vero id, quod reliquum p. 114.

eſt,

eſt ſtanni cum reliqua ſulphuris portione vnitur et aurum moſaicum format, quod in inferiore parte ſublimati reperitur. His propoſitis Cl. Auctor fuſius experimenta deſcribit, quibus varia mixta, ex quibus ſublimatum componitur, examina-
p. 118. vit, eorumque inter ſe proportionem detegit. Nullus in hac operatione mercurius cum acido ſalis combinatur. Neque acida, neque alcalia in aurum muſiuum agunt; ſi ea, in aqua ſoluta ſint. Quodſi enim illud cum aequali portione ſalis alcali fixi igni committitur, hepatis ſpecies in aqua deinde ſolubilis inde producitur. Vis anthelmintica, quam nonnulli auro moſaico adſcribunt, a ſale ſtan-
p. 122. ni ei adhuc commiſto pendet. Etiam ſine mercurio aurum moſaicum praeparari poteſt, cuius quidem praeparationis varios modos Cl. Auctor deſcribit, inter quas ea optima eſt, qua octo partes ſtanni ſulphure fuſi et ſaturati, cum quinque partibus ſulphuris fuſione miſcentur et deinde cum quatuor partibus ſalis ammoniaci calcinantur. Pluribus quoque experimentis Cl. Auctor cognouit vel ipſum ſal ammoniacum in auri muſiui praeparatione omitti poſſe. Sic v. c. ſi quatuor partes ſtanni cum ſulpure ſaturantur et deinde pulueriſantur, atque cum duabus partibus ſulphuris et vna parte ſtanni acido ſalis ſoluti et in cryſtallos redacti miſcentur et deinde omnia calcinantur, aurum moſaicum optimi coloris obtinetur. Idem in praeparatione *liquoris* ſic dicti *fumantis* LIBAVII fit, ſi ſcilicet ſtannum ſulphuratum cum mercurio corroſiuo miſcetur et deſtillatio inſtituitur, qua peracta, aurum moſaicum in fundo retortae reperitur. Ex omnibus denique Cl. Auctor concludit praeparatum, de quo hic agitur, ex ſtanno et ſulphure conſtare; mercurium vero ideo tantum addi, quo ſtannum diuidatur, ſal vero ammoniacum fuſionem ſulphu-

ris

ris impedire. Si 12 partes ſtanni, 7 ſulphuris et tres ſalis ammoniaci, totidemque mercurii ſumuntur, maior copia auri moſaici producitur, quam proportione ſuperius indicata. Pars ſublimati, quae in aqua ſolubilis eſt, melius, quam vlla alia praeparatio ſtanni tingit.

His propoſitis, Cl. Auctor modum *coeruleum Saxonicum* vulgo dictum conficiendi deſcribit, nec non aliud pigmentum luteo colore lanam inficiens, quod ex Indigo cum ſpiritu nitri aqua diluto digeſto parat. Eadem ratione ex aliis pigmentis coeruleis luteus color obtineri poteſt. p. 128.

16. Cl. HENLY *relatio de tumore ſteatomatoſo inſignis magnitudinis in abdomine mulieris cuiusdam reperto.* In femina triginta ſex annorum quinto grauiditatis menſe tumor aliquis, ventriculo eius adfixus primum percipiebatur, oui gallinacei magnitudinem habens. Hic etiam poſt puerperium non diſparuit; ſed in dies magis auctus, tandem variis, quae in eo percipiebantur, eminentiis, iis, qui per abdominis integumenta eum tangerent, ſpeciem praebuit fetus intra abdomen concluſi. Febre interim aegra hectica corripiebatur, qua ſenſim emaciata periit. Cadauere aperto, aqua in abdominis cauitate et tumor ſteatomatoſus ventriculi fundo adhaerens, longitudine ſeptem, craſſitie quinque pollicum reperiebatur, qui multis eminentiis turgebat. Subſtantia eius ſebo ſimilis multisque cellulis minoribus repleta erat, quae pinguedinem continebant. Hoc tumore reliqua abdominis viſcera vehementer comprimebantur. Putat Cl. Auctor ſedem huius tumoris in ea omenti parte fuiſſe, quae ventriculo adhaeret, quod et ſedes et ſtructura eius celluloſa indicare videntur. p. 130.

p. 136. 17. 18. 19. 20. *Variae litterae* Cl. DUCAREL,
152. BARRINGSON et aliorum, in quibus, vtrum
160. *Caſtanea ſatiua* indigena, an exotica et in Angliam,
167. tranſplantata ſit, in vtramque partem ita diſputatur, vt lis ſub iudice ſit *).

p. 170. 21. *Relatio de animale nondum cognito ex India orientali allato, quod* Nyl-ghau *dicitur.* Auctore W. HVNTERO. A Cl. PENNANT iam huius animalis mentio facta eſt **), a quo *Antilope albipes* vocatur. Interim nouum genus conſtituere videtur. Capreolo ſatis ſimile eſt, ſed cornua ſimplicia paullo introrſum verſa, non decidua ſunt. Maris color griſeus eſt, feminae flauicans eaque cornubus caret. Propagationem eius in Anglia Auctor Cl. commendat. In India ipſa ſatis rarum eſt, cum in interiore Aſia tantum reperiatur. Addita eſt elegantiſſima huius animalis figura.

p. 182. 22. W. RICHARDSON *de aphidibus obſeruationes.* Pertinent ad eas inprimis, quae in roſis habitant et quidem ad eam ſpeciem, quae duas reliquas in hac planta reperiundas, magnitudine ſuperat. Ex ouis minoribus nigricantibus oriuntur et omnes feminae ſunt, quae, vti notum eſt ***) ſine coitu praegreſſo viuos fetus edunt, mox ſimili ratione alios parituros. Hoc per decem generationes ad minimum fit, vna aeſtate prodeuntes. Qui in tertia generatione pariuntur, alas primum habent. Autumni tempore mares ſe primum oſtendunt, qui

*) vid. Phil. Tranſact. Vol. LIX. p. 23. Comm. Vol. XVIII. pag. 641.

**) Synopſis of quadrupeds. vid. Comm. Vol. XIX. p. 338. Genus VI. Species 21.

***) Conf. BONET *traité d' Inſectologie.* à Paris 1745. P. I. cuius obſeruationes Noſter ignorare videtur.

qui alati ſunt et feminas apteras foecundant. Etiam haec inſecta ichneumonis ſpecie infeſtantur, quae in eorum corpora oua ſua deponit. Fetus, dum in lucem prodeunt, tenui membrana inuoluuntur. Oua duriuſcula et pro magnitudine corpuſculi matris ſatis magna ſunt.

23. Cl. BORLASE *obſeruationes meteorologicae in* Cornubia a. 1770 *inſtitutae.* p. 195.

24. *Deſcriptio noui hygrometri,* auctore IOH. SMEATON. p. 198.

25. *Litterae* Cl. BECCARIA ad Cl. CANTON. p. 212. Narrat Cl. BECCARIA ſe phoſphorum a Cl. CANTON inuentum et deſcriptum *) in thecas varias immiſiſſe, cryſtallis occluſas, colore in ſingulis diuerſo praeditis. Expoſuit omnes ſoli, viditque phoſphorum poſtea in tenebris lucem eiusdem coloris ſpargere, qualem vitrum, per quod ſolis radios acceperat, poſſidebat.

26. *Relatio de effectu frigoris menſe Februario* 1771. Cantabrigiae *obſeruati*, auctore Cl. W. WATSON. p. 213. Licet thermometrum Fahrenheitianum ſex gradus ſub congelationis puncto oſtendebat, tamen flumen glacie non tectum erat. Solutiones ſalis marini, ammoniaci, alcalinorum ſalium, ſalis Ebshamenſis et Glauberiani in hoc frigoris gradu fluidae manebant. Addit quoque Cl. Auctor varia experimenta de gradu vis, qua diuerſa ſalia congelationi reſiſtunt. Maximum gradum in ſale marino Noſter obſeruauit. In vniuerſum aqua ma-

*) vid. *Phil. Tranſact.* Vol. LVIII. p. 337. Comm. Vol. XVII. p. 398.

rina et ſalia, congelationi quam diutiſſime reſiſtit, ea tamen proportione, qua putredo corporum animalium non impeditur, ſed potius promouetur. Interim Cl. WATSON ipſe fatetur, experimenta ſua non ita comparata eſſe, vt non multa in hac re addi et emendari poſſint.

p. 221. 227. 27. 28. Cl. T. BARKER *de quantitate pluuiae variis annis a coelo delapſae, et de latitudine vrbis* Stamford *obſeruationes.*

p. 230. 29. Cl. OTTO FRID. MÜLLER *obſeruationes de variis inſectis biualuibus, in communi aqua reperiundis.* Ad *monoculos* LINNAEI et forte ad *conchaceum* pertinent, inſecta hic deſcripta. Hac occaſione Cl. Auctor triginta quatuor ſpecies huius generis recenſet, quas ſecundum antennas, caudam cet. diſpoſuit, et quarum plurimas reliquis ſcriptoribus incognitas ipſe Cl. MÜLLER primum obſeruauit.

p. 247. 30. Cl. TYSON *de noua piſcis ſpecie ex mare auſtrali.* Attulit eam Cl. BYRON ex inſulis in mare pacifico nouiter detectis. Paruus eſt atque ad *percarum* genus a Noſtro refertur, qui eum: *Percam pinnis dorſalibus ſubunitis, cauda rotundata, corpore ouato, faſciis ſex tranſuerſis nigris* vocat.

p. 250. 31. Cl. LLOYD *relatio de antro notabili in Comitatu Derbyenſi, quod* Eldenhole *dicitur.* Referri hoc antrum vulgo ſolet ad miracula comitatus Derbyenſis, licet antrum Baumannianum aliaque plura magnitudine, tophacearum columnarum copia illud multum ſuperent. Continet quoque vt omnes eiusmodi ſpeluncae tophum. Omnes eius

receſſus

receſſus hic accurate deſcribuntur et iconibus additis magis adhuc illuſtrantur.

32. Cl. T. PENNANT *duas teſtudinum ſpecies deſcribit* et figuris accuratis delineat. Earum prima in fluuiis Carolinae auſtralis habitat, ibidemque *Teſtudo teſta molli* dicitur, ob mollitiem teſtae, quae corii quaſi naturam habet. Caro eius ſapidiſſima eſt, multaeque pondus ſeptuaginta fere librarum habent. Proboſcidem habet, atque naſo producto talpae fere ſimilis eſt. Altera, quam Cl. Auctor *tuberculatam* dicit, vt ipſe ſuſpicatur, ea eſt, quam LINNAEVS *coriaceam* vocat. Locum vero eius natalem ſe ignorare fatetur. p. 266.

33 *a.* Cl. PIGOTT *Obſeruationes meteorologicae in vrbe Galliae* Caen *ab anno* 1765 *ad annum* 1769. p. 274.

33 *b.* Cl. P. I. BERGII *deſcriptio* Nyctanthis elongatae. Noua Planta eſt ex India orientali a Cl. EKEBERG allata, quam Cl. Auctor N. *elongatam*, *foliis cordato lanceolatis acutis elongatis minoribusque, ramis teretibus* vocat, deſcriptionemque eleganti figura plantae adiecta explicat. p. 289.

34. Cl. BARRINGTON *relatio de noua* talpae *ſpecie ex America ſeptemtrionali.* Haec dentium ſtructura ab Europaea ſpecie differt. Cum enim ea, ſex inciſores in ſuperiore maxilla habeat, quos duo canini ſequuntur, in Americana contra duo ſatis longi et lati inciſores in medio reperiuntur, qui vacuum ſpatium in inferiore maxilla replent, quae duos tantum inciſores breues continet, quibus ſtatim duo canini longi adiacent. In Europaea vero octo parui inciſores, canini autem nulli in inferiore maxilla numerantur. p. 292.

p. 294. 35. *Experimenta, quibus quantitatem pluuiae eodem tempore in locis diuerſae altitudinis deſcendentis* IDEM *determinare allaborauit.*

p. 298. 36. Cl. LANDEN diſquiſitio *de fluentibus quibusdam ope arcuum ſectionum conicarum determinandis.*

p. 310. 37. Cl. I. R. FORSTER *relatio de methodo, qua* Carpiones *in Boruſſia Polonica aluntur.* Plurima ex his oeconomici argumenti ſunt. Licet nunc carpiones inter fluuiatiles piſces referri debeant, tamen forte ab initio marini fuerunt et adhuc etiam nonnunquam in mari Balthico Dantiſcanam oram alluente tales reperiuntur. Ex *Cyprino carpione* et C. *Caraſſio* hybrida ſpecies naſcitur, quae minor et breuior Carpione eſt, ſed vitam tenaciorem habet. Ea vero hybrida ſpecies, quae ex *Tinca* et *Carpione* naſcitur, illos Carpiones ſiſtit, quos ob ſquamas maiores minoribus intermiſtas Noſtri *ſpeculares* ſeu *Spiegelkarpfen* dicunt, quos vero foecundos eſſe Noſter dubitat.

p. 326. 38. Cl. WILSON *de frigore* Glaſgouii *menſ. Ian.* 1768. *obſeruato.* Ad duos gradus thermometrum Fahrenheitianum ſub o deſcenderat. Varia Cl. Auctor experimenta circa euaporationem glaciei inſtituit, quae hic deſcribit.

p. 330. 39. Cl. F. L. F. CRELL. *experimenta circa putredinem.* Cl. GABER in *Actis Taurinenſibus* T. I. p. 78. aſſeruit, non ſemper et neceſſario, ſalem alcalinum volatilem per putredinem generari. Cl. Auctor vero cum aquam, in qua caro putrefacta erat, examinaret, cognouit omnino putridum odorem ab alcali volatili pendere, quo ſeparato, haec aqua

non amplius putridum, ſed herbaceum tantum colorem oſtendit. Ex his Cl. Auctor contra Ill. PRINGLE concludit, ſales alcalinos volatiles non vt antiſeptica in corpore viuo adhiberi poſſe, licet, cum cohaeſionem augeant, putredinem omnino in carne animalis mortui imminuant. Alcali volatile quidem nonnunquam, non tamen ſemper impune, in magna doſi ſumi poteſt. Sed hoc non probat vim eius antiſepticam, cum illud, ſi etiam purum, non noceat, tamen phlogiſto miſtum putridos excitare poſſit morbos. His propoſitis, Cl. Auctor contra Cl. MACBRIDE *) probat, acida omnino antiſepticam in corpore noſtro vim exercere. Cum enim ſemper diluta exhibeantur, omnino a vaſis reſorbentibus recipi poſſunt. Neque terram elementarem ſanguini admiſta deſtruunt, vt Cl. MACBRIDE ſuſpicatur, cum hoc etiam a fluidorum admiſtorum copia impediatur. Et licet acida in canali alimentario ita mutentur, vt non cum acalinis efferveſcant, tamen antiſepticam vim adhuc retinent, quod Cl. Auctor variis experimentis probat. In vniuerſum vero exitum aëris fixi ex corporibus putreſcentibus, quem Cl. MACBRIDE vt cauſſam putredinis conſiderat, non cauſſam, ſed effectum eius eſſe, Cl. Auctor concludit.

Quae nunc ſequuntur obſeruationes alteram partem huius voluminis conſtituunt: Sunt vero eae. P. II.

40. Cl. SWINTON *diſſertatio de nummis nonnullis Perſicis.* p. 345.

41. Cl. WARING *Catalogus nonnullarum plantarum rariorum in Anglia reperiundarum.* Locos natales vbique addit. p. 359.

*) *Exper. Eſſays* p. 20. comm noſtr. Vol. XIV. p. 336.

p. 390. 42. *Catalogus quinquaginta plantarum* a. 1770 *Societati Regiae ex horto* Chelſeano *exhibitarum.*

p. 397. 43. *Obſeruationes aſtronomicae in Inſula* Regis Georgi *maris pacifici* (Kings Georges Island) a Cl. GREEN *factae.* Pertinent potiſſimum ad tranſitum Veneris per diſcum Solis 1769.

p. 422. 44. *Variationes acus magneticae, in circumnauigatione terrae* a Cl. COOKE *obſeruatae.*

p. 433. 45. *Tranſitus veneris per diſcum ſolis* 1769 Batauii *in India orientali obſeruatus* a Cl. MOHR.

p. 437. 46. Cl. PEMBERTON *de* KEPLERI *methodo computandi parallaxin lunae in eclipſibus ſolaribus.*

p. 455. 47. Cl. IONES *de logarithmis.*

p. 462. 48. Cl. RAPER *de valore antiquae monetae Graecorum et Romanorum.*

p. 536. 49. Cl. MASKELYNE *de menſuratione aſcenſionis et declinationis ope micrometri Dollondiani.*

p. 547. 50. Cl. HORSLEY *de difficultatibus nonnullis in Newtoniana theoria lucis.*

p. 559. 51. Cl. WOLLASTON *de penduli cuiusdam motu obſeruationes.*

p. 567. 52. Cl. DONALD MONRO *de ſale alcali natiuo puro et cryſtalliſato, quod circa Tripolim inuenitur.* Ex interioribus ditionis Tripolitanae adfertur et in regno Turcico ad vſus oeconomicos adhibetur. Vim quoque emeticam et purgantem poſſidet. In venis

venis reperitur, quae intra ſal gemmae decurrere videntur, ex quo cruſta eius conſtat. Si in aqua ſoluitur et iterum cryſtalliſatur, cryſtalli eius Glauberiano ſali ſimiles ſunt. Totum in aqua ſoluitur, parua terrae rubrae copia excepta.

53. Cl. HORNSBY *de parallaxi ſolis ex obſeruationibus tranſitus Veneris per ſolem* 1769. p. 574.

54. Cl. R. E. RASPE *de montibus nonnullis Haſſiae ex baſalte conſtantibus.* Notum eſt Lectoribus, recentiorum nonnullos putare, baſaltem ignis ſubterranei vi olim productum eſſe et lauam ex montibus igniuomis defluentem in columnas huius lapidis cryſtalliſatione abire. Hypotheſin hanc Cl. Auctor confirmare ſtudet obſeruationibus in variis Haſſiae montibus inſtitutis, qui baſalte conſtant, circa quorum nonnullos lauam quoque inuenit. Nuperiori ſcripto Germanico obſeruationes has plurimum auctas et emendatas iterum orbi literario exhibuit, de quo alibi dicendi erit locus *). p. 580.

55. *Explicatio plurimorum phaenomenorum electricorum ope fluidi elaſtici.* Auctore Cl. CAVENDISH. p. 584.

Progredimur nunc ad volumen ſexageſimum ſecundum, quod ſequentibus commentariis componitur. V. LXII.

1. Cl. BADENACH *de aue ex Inſula* Malacca *allata.* Nullum nomen Cl. Auctor huic aui impoſuit. Frontem nudam, habet, in occipitio vero criſtam gerit. Ad *grallas* LINNAEI pertinet et p. 1.

 inter

*) *Nachricht vom Hawichtswald.* Caſſel. 1775. M. Kuph.

inter gramina arundineſque habitat. Pedes tetradactyli fiſſi ſunt.

p. 4. 2. Cl. BARRINGTON *de characteribus ſpecificis, quibus cuniculus et lepus a ſe inuicem diſtinguuntur.* Magnitudo non inter characteres iſtos referri poteſt, cum v. c. lepores Americae ſeptemtrionalis cuniculis non maiores ſint. Nec omnes cuniculi foſſas ſubterraneas effodiunt. LINNAEVS in cuniculo auriculas nudatas eſſe putat, ſed non magis hoc de iis, quam de leporibus valet. Neque in cuniculo omni pupillae rubrae ſunt, (vidit enim Noſter cuniculos albos pupilla nigricante), aut aures ſemper capite longiores, cum in domeſtico longitudine illud ſuperent. Hinc Cl. Auctor differentiam hanc tantum in pedibus poſticis ponit, qui in lepore longiores ſunt, quam in cuniculo et dimidiam longitudinem corporis habent. Anteriores quoque pedes in cuniculis minores ſunt et craſſiores, quam in leporibus. Addit Cl. Auctor in animalibus, quae in ſeptentrionalibus regionibus hiemali tempore album colorem adquirunt, pilos non albos fieri, ſed inter veros pilos albam lanuginem pilis longiorem excreſcere, quae totum animal album reddat.

p. 15. 3. Cl. DON. MONRO *de aquis mineralibus* ad Caſtle-Loed, Fairbrunn *et* Pitkeathly *in* Scotia. Aqua mineralis, quae ex his prima hic nominata fuit, magnam ſulphuris copiam continet, licet nec calx nec alcali in illa reperiantur, quae ſulphuris ſolutionem in aqua efficiant. Vaporem ſulphureum volatilem emittit, quo emiſſo, odor quoque et ſapor ſulphureus perit. Secunda aqua priori debilior eſt, tertia vero ſal marinum et paruam ſalis cuiusdam terreſtris copiam continet.

4. *Obſer-*

4. *Obſeruationes eclipſium Solis in Inſula* Regis Georgii *factae* a Cl. WALLIS. p. 33.

5. Cl. BARKER *obſeruationes meteorologicae* Lyndoni *in* Rutlandia *factae.* p. 42.

6. *De vſu micrometri obſeruationes* Cl. BRADLEY. p. 46.

7. Cl. FORSTER *de variis radicibus, quibus incolae littoris circa fretum* Hudſonis *aculeos hyſtricum rubro luteoque colore inficiunt.* Rubrum colorem *Galii tinctorii,* flauum *Hellebori trifolii* ope obtinent. Huius quoque ope lanam egregio colore tingi Cl. Auctor experimento expertus eſt. p. 54.

8. Cl. SWINTON *de denariis quibusdam inſcriptione etruſca inſignitis.* p. 60.

9. Cl. EVLER *filius de parallaxi Solis ex comparatione obſeruationum in mari pacifico inſtitutarum cum Europaeis.* p. 69.

10. Cl. NEWLAND *charta geographica maris rubri.* p. 77.

11. EIVSDEM *obſeruationes nauticae in mari hoc factae.* p. 79.

12. EIVSDEM *deſcriptio methodi aquam marinam in nauibus ita deſtillandi, vt potui apta euadat.* Simplici apparatu vtitur, neque aliquid ante deſtillationem aquae addit, vti alii fecerunt. p. 90.

13. IDEM *de colore lacteo maris in India orientali, inprimis vero in mari rubro tempore nocturno obſerua-* p. 93.

obſeruato. Aquam hanc plurimis animalculis ſcatere vidit, quae vt cauſſam lactei coloris conſiderat, figuram tamen et naturam eorum non vlterius deſcribit.

p. 95. 14. Cl. DOLLOND *emendatio quadrantis Halleyani.*

p. 99. 15. a. Cl. MASKELYNE *Commentarius de eadem materia.*

p. 123. 15. b. Cl. WALKER *relatio de paludoſae cuiusdam terrae* (Solway-Moſſ) *ſubitanea mutatione.* Poſt pluuias diuturnas pars eius terrae cum aedificiis et arboribus eleuabatur, alio vero loco ita mutata fuit, vt magna pars adiacentis regionis aqua et muſco tegeretur.

p. 128. 16. Cl. HOLWELL *relatio de noua quercus ſpecie.* Semper ea viret atque longe celerius, quam vulgaris ſpecies creſcit. Ab eo, qui primum eam ſpeciem plantauit et magis communem reddidit, *Lucombe-Oak* vocatur.

p. 131. 17. Cl. HENLY *de effectu fulguris in templo quodam*, quo etiam homo occidebatur.

p. 137. 18. Cl. RONAYNE *de electricitate atmoſphaerae.* Haec inprimis nebuloſa tempeſtate maxima et quidem tunc ſemper poſitiua eſt. Maiorem quoque atmoſphaera electricitatis gradum hiberno tempore poſſidet, ſub aurorae borealis apparitione non multum augetur. Frigus aëri poſitiuam, calor vero negatiuam electricitatem communicare et eodem tempore contrarium forte apud antipodes obſeruari Cl. Auctoris eſt ſuſpicio.

19. Cl.

19. Cl. IOSEPH. PRIESTLEY *de diuerſis aëris ſpeciebus.* Cum experimenta Cl. PRIESTLEY eiusque ſententia his experimentis ſuperſtructa, nouitate ſua, non minus quam vtilitate, quae exinde in omnem phyſicam, chemiam et artem medicam redundat, omnium phyſicorum et medicorum attentionem excitauerit; gratum fore Lectoribus noſtris putamus, ſi de hac Commentatione, quae etiam tanquam libellus ſingularis *) ſeparatim impreſſa eſt, paullo fuſius ſequentibus paginis agamus, qua occaſione etiam varia alia ſcripta, de hac re publicata, praecipuaque eorum contenta indicabimus. p. 209.

Auctores ante PARACELSVM illum aërem, qui ſub combuſtione, fermentatione cet. e corporibus egreditur, *ſpiritus ſylueſtris* nomine inſigniebant. PARACELSVS aliique eiusdem temporis ſcriptores aërem eſſe illum ſpiritum cognouerunt; HELMONTIVS autem eum *gas ſylueſtre* vocauit, et ab aëre, quem reſpiratione attrahimus, diuerſum eſſe putauit.

Interim ROB. BOYLE, cui phyſica ſcientia plurima debet, ex conſideratione vſus, quem aër in pluribus naturae phaenomenis praeſtat, neceſſitatisque eius ad vitae animalium conſeruationem, allaborauit, vt modum detegeret, aërem adeo neceſſarium, ſi nullus adſit, producendi generandique. Hinc plurima experimenta inprimis circa fermentationem et putrefactionem inſtituit, cognouitque ſub inteſtino vegetabilium animaliumque corporum motu elaſticum fluidum ſiue aërem ex iis egredi, quem *factitium* ſiue *artificialem* appellauit. Vlterius autem in eius naturam inquirens, vidit eum ab aëre atmoſphaerico nonnihil differre, cum in eo

*) *Obſeruations on different kinds of air*, by IOSEPH PRIESTLEY. Lond. 1772. 4. De noua eius editione inferius dicendi erit locus.

eo flamma extinguatur animaliaque pereant*). Poſt BOYLEVM Cl. HALE'S inprimis in egregio ſuo libro inferius laudato **) experimenta BOYLEI de ſeparatione aëris, a variis, quibus inhaeret corporibus, continuauit. *Spiritum* quoque *mineralem elaſticum* aquarum mineralium aërem eſſe cognouit, eum tamen *aërem factitium* eſſe et cum vapore mephitico variorum antrorum, illoque vapore noxio fodinarum, quem Noſtri *der Schwaden* vocant, conuenire, ignorauit. Hinc Cl. SEIP qui de aquis Pyrmontanis egregie diſſeruit, primus affirmauit, aquas minerales vapore mephitico repletas eſſe et ab iis ſpiritum earum mineralem pendere ***). Errauit tamen in eo, quod hanc mephitidem, ſulphureo-ſpirituoſam naturam habere affirmaret. Poſt eum Cl. BROWNRIGG in Commentario *Philoſophicis Tranſactionibus* inſerto ****) demonſtrauit, vim aquarum mineralium potiſſimum ab aëre iis admiſto pendere, eoque egreſſo illas omnem acrem ſaporem et virtutem amittere terreasque particulas ab iis ſeparari. Cognouit quoque aërem illum reſpiratione minus aptum eſſe, ſed animalia in illum immiſſa ſtatim interire. Experimenta ſua cum Pyrmontanis et Spadanis potiſſimum aquis inſtituit *****).

Sequu-

*) vid. EIVSD. *Oper.* Vol. IV. p. 236.

**) *Statical Eſſays.* Vol. I.

***) *Phil. Tranſact.* n. 448. nec non paſſim. in egregio libro *Beſchreibung der Pyrmontiſchen Mineralwaſſer und Stahlbrunnen.* Conf. quoque Cl. F. G. SEIP, filii, Diſſ. de Spiritu et Sale aquarum mineralium. Gott. 1748.

****) Vol. LV. p. 228. Comm. noſtr. Vol. XV. p. 70.

*****) Pertinent quoque huc experimenta Cl. VENEL. cum aqua Selterana inſtituta vid. *Mém. préſ. a l' Acad. des Sciences* Vol. II. p. 53. 80. Comm. noſtr. Vol. VI. p. 503. ſequ.

Sequutus eſt hos Cl. CAVENDISSH, qui variis philoſophicarum tranſactionum locis de aëre fixo diſputauit. Nominauit vero fixum aërem eam aëris factitii ſpeciem, quae ex ſubſtantiis alcalinis per ſolutionem in acidis, vel per calcinationem elicitur. Plurimas non ſolum cum hac ſpecie, ſed et cum inflammabili aëre in metallorum ſolutione euoluto, nec non cum eo inſtituit obſeruationes, qui ex corporibus fermentantibus et putreſcentibus egreditur. Probauit quoque plurimum aëris fixi ab aqua recipi poſſe*) alioque loco, vbi phaenomena in aquae cuiusdam mineralis examine obſeruata enarrat **), ab aëre fixo terram calcaream ſolui annotauit. Hoc de ferro quoque valere Cl. LANE ***) in Commentario *de ſolubilitate ferri in aqua ſimplici ope aëris fixi*, ſuis experimentis demonſtrauit. Adnotauimus tamen iam eo loco, vbi de hoc Commentario ad Lectores noſtros retulimus, eſſe quaedam inter illa experimenta, in quibus ſolutio ferri, acido forte ſubtili ex materiis efferueſcentibus ex fermentantibus exhalanti, adſcribenda eſſe videntur.

Interim dum haec variorum Auctorum inuenta veram aëris in aquis mineralibus naturam magis explicabant, Blackiana ſententia de cauſſa efferueſcentiae calcis viuae cum aqua, nouam huic rei lucem praebere videbatur. Aſſerit enim ille, vti notum eſt, aërem fixum, calcareis terris, magneſia et ſalibus alcalinis adhaerere, ab iis autem ignis vi alioque modo ſeparari, iterumque cum iis coniungi poſſe, atque dum hoc in calce viua fiat, efferueſcen-

tiam

*) *Phil. Tranſact.* Vol. LVI. p. 141. Com. Vol. XV. p. 503.

**) *Phil. Tranſact.* Vol. LVII. p. 92. Com. Vol. XVI. p. 261.

***) *Phil. Tranſact.* Vol. LIX. p. 216. Com. Vol. XVIII. p. 651.

tiam inſignem oriri, caloremque et alia phaenomena omnibus nota inde produci. Succeſſit denique BLACKIO Cl. MACBRIDE*) et cum ex aëris fixi a corporibus ſeceſſu putredinem explicaret, eidem aëri corporibus putreſcentibus reddito ſummam vim antiſepticam tribuit**), eaque propter malti decoctum contra ſcorbutum commendauit.

Atque haec ſunt priorum inuenta, quae Cl. PRIESTLEY, cui tota haec theoria tantum debet, mouerunt, vt de methodo cogitaret, qua aqua aëre hoc fixo repleri et ita in medicorum potiſſimum vſum, vi eius antiſeptica impraegnari poſſit. Praeſtitit quoque hoc apparatu valde ſimplici, aëremque ex creta ope acidi vitriolici valde diluti extraxit, modumque et totum apparatum libello ſingulari deſcripſit***) de quo inferius aliqua adhuc adnotabimus.

Quae hactenus diſputauimus omnia ideo praemittenda eſſe duximus, quo ea clariora fiant, quae Cl. Auctor in illo commentario *tranſactionibus philoſophicis* inſerto, de quo hic agimus, hac de re diſputauit, cum ille continuationem quaſi libelli prioris ſiſtat. In eo plures aëris e corporibus diuerſis euoluti ſpecies conſtituit, ſingularumque proprietates explicat. Interim tamen facile patet, aërem ipſum non diuerſum eſſe, ſed diuerſitatem hic obſeruatam ab alienis admixtis particulis pendere,

*) Eſſ. and. obſeruations phyſ. and. liter. Edinb. Vol. II. p. 157. Com. Vol. VII. p. 74. Plura ſcripta, quibus Blackiana theoria contra Meyerianam de acido pingui calci admiſto, defenditur vid. in Comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 481.

**) *Experim. Eſſays* Lond. 1764. 8. Com. Vol. XIV. p. 336.

***) *Directions for impregnating water with fixed aër.* Lond. 1772. 8. c. f.

dere, cum aër vt menſtruum agat. Interim vel ex hac parte ad declarandam aëris et ſolutionum eo factarum naturam, Cl. PRIESTLEY labores maximam laudem demerentur.

Agit autem Cl Auctor primum de *aëris fixi* ea ſpecie, quam proprie *aërem fixum* vocat, et quae ex vegetabilibus ſub fermentatione euoluitur, ex calce et calcareis corporibus ignis vi expellitur et qua amiſſa, illa in calcem viuam mutantur, quae denique in ſalibus alcalinis quoque continetur, et aquae miſta ei praecipuas qualitates aquae Pyrmontanae tribuit. Plura cum ea experimenta Cl. PRIESTLEY inſtituit docetque illam praecipue obtineri poſſe ex cereuiſia fermentante, in cuius ſuperficie ad pedis fere craſſitiem ea, communi tamen aëre miſta, natat. Phaenomena primum deſcribit, quae, ſi flamma in aëre illo fixo extinguitur, circa fumum in eo volitantem et in vniuerſum circa motum eius obſeruauit. Non ſtatim cum aëre vulgari vnitur. Aëre vulgari multo grauior eſſe videtur, licet alia experimenta quoque adſint, quae contrarium ſuadent, vt itaque forte pondus in vulgari et fixo aëre aequale ſit. Si vas aqua vulgari repletum in atmoſphaeram aëris fixi ex cereuiſia fermentante adſcendentis ponitur, aqua haec illum aërem imbibit et mineralibus aquis ex parte ſimilis fit. Coniunctio haec acceleratur, ſi aqua ex vno vaſe in alterum ſaepe transfunditur. Inprimis vero aëre fixo aqua repletur, ſi ea in vas vitreum immittitur, in quo aër fixus eſt, qui ex creta acidi vitriolici ope expulſus fuit. Haec aqua, vt Cl. LANE iam obſeruauit, ferrum diſſoluit, nulla vero acidi vitriolici volatilis redditi veſtigia oſtendit. Aërem tamen fixum acidae naturae forte eſſe experimenta Cl. BERGMANN oſtendunt, qui heliotropii ſuccum eius aëris ope rubrum reddit. p. 148.

 Aëris

Aëris atmoſphaerici preſſio aërem fixum in aqua ea, impraegnatum retinet. In vacuo enim celeriter ex aqua Pyrmontana auolat. Sanguis in hac aqua congelatur, hinc animalia in ea moriuntur. In fele in hoc aëre extincto pulmones albi ſanguineque omni orbati erant. Inſecta vero licet mori videantur, tamen vitam in aëre atmoſphaerico breui poſt recuperant. Idem de ranis valet. Plantae quoque in hoc aëre pereunt, variaeque, vt Roſae colorem perdunt, aut mutant. Non omnis tamen aër fixus ab aqua imbibitur, ſed reſiduum aliquod remanet, in quo flamma quidem extinguitur, ſed animalia ſatis bene viuunt. Ferrum et ſulphur inter ſe miſta, aliquam aëris fixi portionem conſumunt efficiuntque, vt pars reſidui in aqua non ſolvatur. Hinc Cl. Auctor concludit aërem fixum phlogiſto ferri admiſto in aërem vulgarem mutari.

p. 162. Sequuntur *experimenta circa aërem, in quo flamma candelae vel ſulphuris accenſi* extincta fuit. Copia huius aëris imminuitur ita, vt decima quinta vel ſexta eius pars pereat. Putat Cl. Auctor flammae ope aërem fixum in aëre contentum praecipitari. Pondus vero aëris huius parum mutatur. Animalia ſatis bene in eo viuunt, ſi vapor ſulphuris acidus tranſierit. Ill. Comes DE SALVCES (in *Actis Taurin.* Vol. I. p. 41.) docuit, heterogeneas partes eidem aëri admiſtas frigoris, vel compreſſionis ope ab eo iterum ſeparari poſſe. Hoc tamen minus veritati conſentaneum eſt. Satis celeriter vero fieri poteſt, ſi vegetabilia in talem aërem poſita, in eo creſcant.

p. 170. Tertio Cl. Auctor de *aëre inflammabili* ſeu ea aëris fixi ſpecie exponit, quae ex metallis ſub earum ſolutione exit atque caloris ope ex omnibus corporibus inflammabilibus expellitur, cum quo iam Cl. CAVENDISH aliqua experimenta inſtituit, quae

loco

loco ſupra citato deſcripſit. Pertinent huc vapores inflammabiles in fodinis v. c. lithanthracum ſaepius reperiundi, quales Cl. LOWTHER veſicis incluſas Regiae ſocietati transmiſit, quibus veſicis in conuentu eius apertis vapores adhuc inflammabiles eſſe, repertum eſt *). Eiusmodi aërem inflammabilem Lowtheriano in omnibus ſimilem Cl. MAUD ex ferro quoque acidi vitriolici ope produxit **). Quo vero ad Cl. PRIESTLEY experimenta cum hac aëris ſpecie inſtituta accedamus, monendum eſt, illam aquae non miſcibilem eſſe et per plures menſes quoque aſſeruatam, vt iam LOWTHERI aër probauit, inflammabilem ſuam naturam retinere, tandem vero perdere. Quod dum fit, copia quoque eius dimminui videtur, interim tamen et tunc animalia in ea necantur. Plantae laete in hoc in flammabili aëre creſcunt, qualitas tamen eius vegetatione plantarum non, vt in aliis aëris fixi ſpeciebus mutatur. Animalia cito in eo conuulſionibus affecta pereunt. Si in aqua mouetur copia minuitur et inflammabilis natura abit, aqua vero nullum peculiarem ſaporem inde obtinet. Putredo quoque inflammabilitatem huius aëris non minuit. Electrica ſcintilla quae in aëre fixo alba eſt, in inflammabili purpureum colorem oſtendit. Acida quoque mineralia phlogiſton in hoc aëre contentum non abſorbent.

Quarta ſectione *aëris putredine vel reſpiratione animalium corrupti* natura examinatur. Haec aëris ſpecies letifera eſt, ſed non omnibus animalibus eodem gradu. Inſectis enim parum nocet. Mures maiores diutius in ea, quam alii viuunt. Plura animalia ſub prima reſpiratione eiusmodi aëris per- p. 181

G 2 eunt,

*) *Phil. Tranſact.* No. 429. p. 109.
**) *ibid.* No. 442. p. 282.

eunt, ſi vero ſenſim huic aëri adſueſcunt, diutius in eo viuere poſſunt. Aër ex pulmonibus egrediens eodem gradu nocet, quo aër putredine corruptus. Plura inſtituit Cl. Auctor tentamina, quo methodum eiusmodi aërem corruptum corrigendi inveniret. Sed fere omnia inutilia eſſe reperit. Tandem cognouit plantas in tali aëre non modo laete creſcere, ſed etiam vegetatione earum illum ita mutari et emendari, vt denuo reſpiratione aptus euadat. Hinc inſignis patet vegetabilium per totum terrarum orbem diſtributorum vtilitas. Corruptum enim animalium exhalationibus et putredine aërem priſtinae ſuae integritati reſtituunt, ideoque habitationes in ſyluis, ſi nullae aliae cauſſae aërem corrumpant, omnino ſalutares habendae ſunt. Cum vero aër putredine infectus, ſi cum aqua agitetur, denuo reſpirationi aptus fiat, Cl. PRIESTLEY concludit, maris agitationem et tempeſtates aërem atmoſphaericum quoque purificare.

p. 203. Suſpicatur quoque Cl. Auctor aërem fixum cum aëre putredine corrupto miſtum, ſalutarem effectum habere poſſe, licet vterque aër antea noxius fuerit. Hinc clyſmata ex aëre fixo parata in morbis putridis commendat, cuius quoque conſilii vtilitas, tum a Cl. HEY, in appendice huius commentarii, tum a Cl. PERCIVALL variis experimentis confirmata eſt.

p. 207. Quinta ſectio *de aëre, in quo mixtura ex ſulphure et ferro per aliquod tempus ſtetit*, Cl. Auctor diſputat. Ex HALESII experimentis patet, ſi ſulphur et ferrum inter ſe miſta in aëre atmoſphaerico conſeruentur eius copiam maxime diminui. Reſiduum animalibus valde noxium et odore acri et nauſeoſo praeditum eſt. Aqua non emendari poteſt.

Tranſit

Tranſit deinde ad *aërem nitroſum*, ſeu illum, qui ex metallis, plumbo et zinco exceptis, ſi in acido nitroſo ſoluantur, euoluitur. Communis aëris copiam minuit et aurantio colore profundo praeditus eſt. Si cum aëre inflammabili miſcetur, flamma viridis inde oritur. Odor eius cum odore ſpiritus nitri fumantis conuenit. Vegetabilia in eo pereunt, de reliquo vero ſummam vim antiſepticam poſſidet, quod plura experimenta hic fuſius enarrata probant. p. 210.

De *aëre exhalationibus carbonum ardentium inquinato* breuiter Cl. Auctor diſputat. Communis aër ab eo aëre minuitur, quod iam Cl. CAVENDISSH annotauit, flamma in eo extinguitur et animalia ſatis cito pereunt. p. 225.

Octaua ſectione *effectus calcinationis metallorum ac pigmentorum ex ceruſſa praeparatorum in aërem* deſcribuntur. Speculo ardente Cl. Auctor in his experimentis vſus eſt, vaporibus inde exortis copia aëris minuitur illeque noxias qualitates acquirit, aqua vero iterum purificatur. Pigmenta ex ceruſſa, vt calce plumbi imperfecta parata, ſimilia fere phaenomena oſtendunt. p. 228.

Sequuntur experimenta cum *aëre ex metallis acido ſalis ſolutis euoluto*. Nihil aliud eſſe videtur hic aër, quam vapores acidi ſalis. Varia experimenta, in quibus ſulphuris et nitri decompoſitionem Cl. Auctor huius aëris ope obtinuit, acidum ſalis nonnunquam vitriolico et nitroſo fortius eſſe, probare videntur. Addit Cl. Auctor nonnullas obſeruationes miſcellanei argumenti. Octodecim menſes communem aërem in perfecta quiete ſeruauit, nec tamen ille noxias qualitates acquiſiuit. Hinc aëris quies per ſe, niſi aliae nociuae partes admiſceantur, lente tantum eum corrumpere videtur. Vapor et camphorae et alcali volatilis animalibus non nocent. p. 234. p. 244.

 Sequuntur

p. 253. Sequuntur additamenti ad hunc commentarium loco aliquae obſeruationes a Cl. HEY, Auctori communicatae. In his primo aſſerit aquam aëre fixo impraegnatam nullum acidae naturae veſtigium oſtendere. Interim aquam, in qua ſapo ſoltus eſt, et ſolutionem ſacchari ſaturni turbidam reddit, quod vero phaenomenon Cl. Auctor alio modo explicare
p. 257. allaborat. Deinde idem Cl. HEY caſum enarrat iuuenis morbo putrido correpti, in quo clyſmata ex aëre fixo parata egregios praeſtarunt effectus, et ſummam vim antiſepticam oſtenderunt. Aquam quoque aëre fixo impraegnatam pro potu, non ſine inſigni fructu dedit. Ex creta ope acidi vitriolici aërem euoluit et machina vtitur ei ſimili, qua fumus herbae Nicotianae in inteſtinum introducitur.

p. 265. 20. Cl. BARRINGTON de *aduentu et ſeceſſu variarum auium diuerſis anni temporibus obſeruatio.* Negat aues trans mare migrare et aues in tantam altitudinem volatu adſcendere vix poſſe, vt a nauigatoribus non conſpiciantur, contendit. BVFFONII argumenta et ADANSONI obſeruationes refellit et oſtendit, hirundines ab hoc in Africa viſas non Europaeas fuiſſe. Hinc concludit aues, quas vulgo migratorias eſſe putamus, hyemali tempore ſopiri tantum et ſub aqua iacere. Variae aues, quas hyeme auolare putant, in noſtris terris manent, vt Cuculus. Scolopaces et in Anglia oua excludunt. Imo Cuculum ipſum hoc facere, vel pullos nutrire, variis teſtimoniis probatur. Cl. HVNTERVS in anatomica enim cuculi diſſectione inuenit, eum ad oua ſua excludenda aptum eſſe. Plures alias obſeruationes ornithologicas omittere cogimur.

p. 327. 22. Cl. HORSLEY *de cribro* ERATOSTHENIS.

23. Cl.

23. Cl. GVLLET *Obſeruatio de vi* Sambuci *plantas in vegetatione aduerſus inſecta et muſcas praeſeruandi.* Plantas iuniores foliis huius arboris contegere, vel ramo tantum tangere iubet. p. 348.

24. Cl. CALL *de ſignis Zodiaci in templo Indico ſeu* Pagoda *repertis.* p. 353.

25. Cl. COOK *de fluxu et refluxu maris in oceano auſtrali obſeruato.* p. 357.

26. *Deſcriptio noui electrometri* a Cl. HENLY *inuenti*, auctore Cl. PRIESTLEY. p. 359.

27. Cl. BORLASE *Obſeruationes meteorologicae* a. 1771. *in* Cornubia *inſtitutae.* p. 365.

28. Cl. FORSTER *Catalogus variorum quadrupedum* ex freto Hudſonis Regiae ſocietatis tranſmiſſorum. Ex hoc ſequentes tantum obſeruationes annotaſſe ſufficiat. In *Muſtela lutreola* membranam digitos pedum iungentem et maculam albam in collo reperire non potuit. *Hyſtricis dorſatae* caro optima eſt. Hyemali tempore oſſa huius animalis ex luteo virideſcentia ſunt, quod fortaſſe a corticibus abietum, quibus tunc veſcuntur, pendet. *Leporem Americanum* KALMIO iam dictum, quem vero LINNAEVS non habet, fuſius deſcribit. Aurium et caudae apex griſeus eſt et pedes poſteriores longiores, quam in lepore et cuniculo. *Caſtor zibethicus* ſimiles habitationes, vt *caſtor fiber* exſtruit. p. 370.

29. *Catalogus auium* ex freto Hudſonis *tranſmiſſarum*, auctore EODEM. Inter eas plures nouae ſpecies ſunt, quas Cl. FORSTER etiam in p. 382.

Fauna Americana deſcribit. *Tetrao Canace* et *Canadenſis* LINN. nec non *Anſer hyemalis* et *glacialis* ad vnam eandemque ſpeciem pertinent. Adiectae ſunt deſcriptiones nouarum vel rariorum ſpecierum. Sunt eae: *Falco ſacer: Strix nebuloſa: Tetrao phaſianellus: Emberiza leucophrys: Fringilla Hudſonias: Muſcicapa ſtriata: Parus Hudſonius: Scolopax borealis* et *Anas niualis.*

p. 447. 30. Cl. PEMBERTON *ſolutio geometrica trium problematum mathematicorum.*

p. 444. 31. Cl. IOANNIS HVNTERI *Commentarius de digeſtione ventriculi poſt mortem.* Putat Cl. Auctor in ventriculo etiam poſt mortem aliquam vim digerentem ſupereſſe, et ventriculum ipſum, vi eius vitali per mortem ſublata, digerendi vi non reſiſtere, ſed nonnunquam ita in maiore potiſſimum ſuo fine diſſolui, vt alimenta ex eo in cauitatem abdominis effluant. Vtrum vero hoc non forte effectus putredinis vel etiam acrimoniae alimentorum ſit, an a vi digeſtionis naturali poſt mortem ſuperſtite pendeat, aliis diiudicandum relinquimus. Liquorem gaſtricum in omnibus animalibus aceſcentem Noſter reperit.

p. 455. 32. Cl. PERCIVALL *Obſeruationes de aquis mineralibus Buxtonianis et Matlockianis in Comitatu Derbyenſi.* Priores terram calcaream, alcali minerale, et ſalis marini paruam copiam continent, caloque earum ad octuageſimum ſecundum gradum thermometri Fahrenheitiani adſcendit. Matlockianae vero aquae ſal terreum et marinum continent, ſatisque Briſtolienſibus ſimiles ſunt. Calor earum cum gradu ſexageſimo ſexto thermometri Fahrenheitiani conuenit.

33. Cl.

33. Cl. COLLIGNON *deſcriptio cadaueris ante ducentos vel trecentos annos ſepulti et nondum putrefacti.* Balſamatio et ciſta exacte clauſa ad conſeruationem eius plurimum contulerunt. Diaphragma, pulmones, cerebrum adhuc detegebantur, imo caro muſculi pſoas rubedine aliqua praedita erat. p. 465.

34. Cl. PVLTENEY *de vi medica plantae venenatae.* Eſt ea *Oenanthe crocata*, cuius vis deleteria pluribus exemplis conſtat *). In morbo cutaneo ſcorbutico pertinaciſſimo pluribus aliis remediis fruſtra tentatis, aeger tandem ſuaſu amici cuiusdam, vim *Sii aquatici (Water-Parsnep)* experiri voluit. Eius vero loco *oenanthe crocata* ei allata eſt. Hinc vehementiſſimi vomitus et lipothymiae quidem exortae, ſed aeger nihilominus in vſu huius plantae perſiſtens ſenſim in ſanitatem reſtitutus eſt. Succum radicis tantum in initio et deinde infuſum foliorum adhibuit. Cl. Auctor, qui aegrum poſt aliquod tempus viſitabat, ex ſpecimine plantae ei oſtenſo, cognouit, non *Sium* ſed oenanthem adhibitam fuiſſe. Interim vel hoc ipſum *Sium*, vt omnes vmbelliferae humidis in locis creſcentes, non ab omni venenatae indolis ſuſpicione liberum eſt.

35. Cl. NAIRNE *experimenta cum acu magnetica inſtituta.* p. 476.

Progredimur nunc ad volumen ſexageſimum tertium quod duabus partibus componitur. Ad primam vero ſequentes commentarii pertinent. V. LXIII. P. I.

*) vid. *Tranſact. Phil.* Vol. XLIV. p. 227. et Vol. L. p. 856. Comment. noſtr. Vol. X. pag. 157.

p. 1. 1. *Relatio de methodo ichthyocollam in Ruſſia praeparandi et deſcriptio modi, quo eadem etiam in Anglia ex piſcibus ibidem reperiundis parari poſſit.* Auctore Cl. HVMPHREY IACKSON. Iam in America ſeptemtrionali ex piſcibus, qui ad Acipenſeris genus pertinent, ichthyocollam praeparari, quae illam, quae in Ruſſia praeparatur, bonitate aequat, Cl. Auctor monet. Vis cereuiſiam aliosque liquores clarificandi, quam ichthyocolla poſſidet, non a ſolutione, ſed a cruda aliqua particularum eius diuiſione pendet, neque ea, vt vulgo putant, ſolutione particularum tendinoſarum piſcium obtineri poteſt. Componitur potius ea ex membranaceis partibus, quae naturali ſua mucoſitate orbatae, deinde conuolutae et in aëre libero ſiccatae ſunt. Inprimis ad hunc finem veſica piſcium aërea adhibetur, quae reliquas membranaceas piſcium partes flexibilitate et pelluciditate antecellit. Inteſtina quoque et peritonaeum ichthyocollam largiuntur, quae tamen ei, quam modo deſcripſimus, inferior eſt. Neque ex acipenſerum tantum veſica aërea ichthyocolla obtineri poteſt, ſed et ex veſicis aëreis aliorum minorum piſcium. Reliquis vero eae praeferri debent, in quibus fibrae longitudinales parallelae poſitae ſunt, nec ſe decuſſant aut inter ſe vario modo implicantur. In praeparatione vero ichthyocollae in Ruſſia vſitata, veſicae aëreae a ſordibus purgatae et paullulum exſiccatae, deinde conuoluuntur et tandem inter ſe fruſtulis ligneis vario modo vnitae in aëre ſiccantur Fragmenta minora in aqua calida paullulum macerantur, vt inter ſe cohaereant. Quo facto etiam exſiccantur. Ex *Gado Aſello* et *molua* ichthyocolla praeparari poteſt, quae in nulla qualitate Ruſſicae, ex acipenſere paratae, cedit. Si potus acidus, v. c. vinum, ichthyocollae admiſtae ope clarificatur, acidus

dus ſapor eiusdem viſcoſitate ichthyocollae inuolutus corrigitur. Calci commiſtum ad variorum corporum conglutinationem, inprimis ſi antea acido vitriolico diluto ſoluta fuerit, egregie inſeruit.

2. Cl. WALKER *relatio de antro* in Dumore-Park *prope* Kennedy *in* Hibernia *reperiundo.* Vt in reliquis eiusmodi cauernis plures tophaceae concretiones quoque in hoc antro reperiuntur. In calcareo monte foſſilibus conchis repleto illud antrum excauatum ſatisque profundum eſt. p. 16.

3. Cl. MORRIS *relatio de plumbo natiuo in* Mommouthſhire *reperto.* Tria fruſtula plumbi puriſſimi Auctori allata ſunt, quae in parua profunditate in campo aliquo effoſſa fuerunt. Erat vero plumbum cum plumbi minera commiſtum. Cum vero plumbi minera, et vtrum in vena metallica ea reperta ſit, an fruſtula disiecta effoſſa fuerint, non hic indicatum ſit, verendum omnino eſt, ne etiam hoc plumbum, vt ſtannum ante aliquot annos in Cornubia repertum et pro natiuo venditum, ignis vim iam expertum ſit. p. 20.

4. Cl. SWINTON *de moneta aliqua Romana cum inſcriptione Etruſca.* p. 22.

5. *Catalogus* 50 *plantarum ex horto Chelſeano Societati Regiae ad annum* 1771 *exhibitarum.* p. 30.

6. Cl. KINNERSLEY *de experimentis electricis cum carbonibus inſtitutis.* p. 38.

7. Cl. WATSON *de experimento cum thermometro inſtituto, cuius bulbus nigro colore tinctus* p. 40.

erat,

erat, *et quod directis radiis Solis exponebatur.* Gradus caloris a 108 gradu ad 118, cum bulbus thermometri nigro pigmento obduceretur, adſcendebat.

p. 42. 8. *De methodo domum, in qua puluis pyrius aſſeruatur a vi fulminis defendendi.*

p. 49. 9. Cl. WILSON *obſeruationes de fulmine et modo, quo aedificia ab effectu eius defendenda ſunt.* Conductores cuſpitatos reiicit.

p. 66. 10. *Epiſtolae variorum membrorum Societatis*, quae a Cl. WILSON hac in re diſſentiunt.

p. 67. 11. WOLLASTON *obſeruationes aſtronomicae.* Zonas et maculas Iouis deſcribit.

p. 79. 12. Cl. DVCAREL *de initiis botanices in Anglia et vita* IOANNIS TRADESCANTII. Primos botanicos libros recenſet, qui in Anglia conſcripti, vel poſt artis typographicae inuentionem publicati fuerunt. GERRARDVS et TRADESCANTIVS ſub fine ſeculi decimi ſexti et initio ſequentis hortos botanicos inſtruxerunt. Muſeum quoque corporum naturalium hic inſtruxit, quod deinde Aſhmoleani muſei initium fuit. De horto eius et reliquis, quae adhuc ſuperſunt, Cl. WATSON alio loco iam expoſuit *). Monumentum quoque ſepulcrale TRADESCANTII hic delineatur.

13. Cl. VAN SWINDEN *de intenſo frigore* Franequerae *menſibus Ianuario* 1767 et 1768 *et Nouembri* 1770 obſeruato.

14. Cl.

*) *Phil. Tranſact.* Vol. XLVI. p. 160.

14. Cl. HORNSBY *diſquiſitio quantitatis et directionis motus proprii Arcturi.* p. 93.

15. Cl. MVSTEL membri Societatis Rothomagienſis, *obſeruationes circa vegetationem.* Nullam in plantis eſſe ſucci nutritii circulationem, ſed vnamquamque plantae partem quantitatem ſucci ſufficientem ad primam foliorum euolutionem continere, experimento probat, quo planta in caldario hyemali tempore ita collocata, vt ramus eius per feneſtram in aërem frigidum emineret, aliaeque plantae exterius poſitae ramus per feneſtram caldarium ingrederetur, vidit ramos caldario incluſos foliis ornari et floribus, cum contra ii, qui in aëre libero eſſent, nulla vegetationis veſtigia oſtenderent. Alia quoque obſeruatio Auctoris omni attentione digna hic legitur. Vidit enim petalis et ſtaminibus in floribus mali a limacibus exeſis, vel conſilio reſciſſis, tamen poma ex his mutilatis floribus gigni. Capſulae autem vacuae erant, neque ſemina continebant. p. 126.

16. Cl. HIGGINS *obſeruatio de igne et detonatione, quae, ſi ſtanni folia ſale ex cupro et nitroſo acido compoſito tangantur, oritur.* Sal hoc paullulum, ſed non perfecte ſiccatum, ſtanno foliato in mortario lapideo includatur ac piſtilli ope quam citiſſime teratur, quo facto non calor ſolum, ſed ignis et exploſio oritur et ſtanni liquefactio contingit. Facillime ſal in vniuerſum accenditur, vel minimo caloris gradu adhibito. p. 137.

17. Cl. IOHNSON *de moribus et lingua Americanorum Septentrionalium.* p. 142.

p. 149. 18. Cl. FORSTER *de variis piſcibus ex freto Hudſonis allatis.* Sunt ii: *Acipenſer ſturio* L.: *Gadi lotae* L. Varietas maior, *Salmo lauaretus* L. et noua *Cyprini* ſpecies, quam C. (*Catoſtomum*) *pinna ani radiis octo, labio imo carunculato bilobato papilloſo, cauda bifida* vocat. Sugendo paſcitur et copioſe in ſinus Hudſonis fluminibus habitat. Pinna D. 12. P. 17. V. 10–11. A. 8. C. 17. radiis inſtruuntur.

p. 161. 19. Cl. WITHERING *experimenta cum variis margae ſpeciebus inſtituta.* Calcaream terram nitroſi acidi ope ſeparauit et reſiduum aqua commiſcuit et calcinauit, phaenomenaque in his experimentis obſeruata hic deſcribit.

p. 163. 20. Cl. BRYDONE *de meteoro igneo* d. 10 Febr. 1772 *obſeruato et variis experimentis electricis.*

p. 171. 21. *Deſcriptio foſſilis in* Hamptonienſi comitatu *nuper reperti.* Auctore Cl. DAINES BARRINGTON. Squamae piſcis, quem *acum maximam ſquamoſam* Noſter eſſe putat, in eo reperiuntur.

p. 173. 22. Cl. BERGII *deſcriptio Plantae Americanae rarioris, quae ad* Brownaeae *genus pertinet. Brownaeam* (Roſa de monte) eam Noſter dicit. LOEFLINGIO (Hiſt. p. 278.) *Hermeſias* audit. Floribus eſt aggregato-capitatis ſeſſilibus, ſtaminibus longiſſimis, eaque in montoſis Terrae firmae habitat.

p. 177. 23. Cl. KIRKSHAM *relatio de ictu fulminis,* quo homo aliquis occiſus eſt. Hic diu calorem poſt mortem retinuit.

p. 180. 24. *Obſeruationes de incremento populi in Inſula* Angleſey. Auctore Cl. PANTON. Olim piſcibus nutrie-

nutriebantur incolae huius inſulae. Iam frumentum, inprimis vero ſolanum tuberoſum colunt. Mortuorum autem numerus imminutus, natorum contra auctus eſt inſigniter.

25. Cl. BAILLY *literae de noua methodo emendandi theoriam ſatellitum Iouis.* p. 185.

26. Cl. BERKARD *de exploſione aëris in fodina lithanthracum.* Ignein fodinam immiſſo aër inflammatus et inſignis fragor editus eſt. p. 217.

In altera parte huius voluminis ſequentes commentarii reperiuntur. P. II.

27. *Obſeruationes meteorologicae in* Rutlandia a Cl. BARKER factae a. 1772. p. 221.

28. Cl. BARRINGTON *obſeruationes circa Lagopum.* Varia Cl. Auctor in iis emendat, quae Ill. BVFFONIVS de Lagopo et vniuerſo Tetraonis genere tradidit. Primo in digitis et vnguibus nullae plumae creſcunt, ſed eae tantum circa digitos accurate circumuoluuntur. Deinde pedes hyemali tempore tantum lanati, aeſtiuo vero nudi ſunt. *Tetrao tetrix* ſecundum Ill. BVFFON per hyemem torpidus eſt. Sed male intelligit LINNAEI verba, qui eum *hyeme ſaepe ſub niue ſepeliri* aſſerit, quod tantum ſignificat eum cuniculos quaſi in niue agere, ſeque niue condere. Tandem pedes hyeme lanati, non vnicae tantum lagopi ſpeciei propriae ſunt, ſed in omnibus ſpeciebus *tetraonis*, quas LINNAEVS *pedibus lanatis* eſſe dixit, imo in *noctua* quoque *freti* HVDSONIS reperiuntur. Character ſpecificus, quem LINNAEVS in rectricibus nigris apice albis cet. ponit, pro diuerſo p. 224.

anni

anni tempore variat. His expoſitis Cl. Auctor oſtendit *Tetraonem canadenſem* LINN. et T. *lagopum* vnam eandemque eſſe ſpeciem.

p. 231. 29. Cl. KING *relatio de effectu fulminis in* Steeple Aſhton *et* Holt *in* Comitatu Wiltenſi.

p. 241. 30. *Obſeruationes circa incruſtationem ſingularis naturae ſpathoſam, in comitatu* Somerſet *repertam.* Auctore EODEM. Tubum quadratum in fodina lithanthracum topho repletum deſcribit, et modum exponit, quo aqua deſcendens laminas quadratas formauerit. Cum tophus ipſe elegantiſſimus ſit, illum ad formationem variorum vtenſilium eodem modo adhiberi poſſe, quo id narrante Cl. RASPE in Italia fit *). Auctoris ſuſpicio eſt.

p. 249. 31. Cl. BARRINGTON *obſeruationes de cantu auium.* Cum difficillimum ſit has obſeruationes in epitomen ita contrahere, vt lectoribus non obſcurae ſint, annotaſſe tantum ſufficiat Cl. Auctorem putare: cantum auium non innatum iis eſſe, ſed eodem vt loquelam et diuerſam, qua diuerſae gentes vtuntur, linguam, a parentibus tantum addiſci vel ab educatione earum pendere. Tonos muſicos vocis diuerſarum ſpecierum accurate deſcribit.

p. 292. 32. *Relatio de cultura vini* Tokayenſis *et aliorum vinorum Hungariae.* Auctore Cl. DOVGLASS.

p. 303. 33. Cl. WILLIAM HEWSON *Commentarius de figura et compoſitione partium rubrarum ſanguinis, quae vulgo globuli cruoris ſeu globuli rubri vocantur.* Microſcopicae hae obſeruationes Cl.

HEWSONI,

*) *Phil. Tranſact.* Vol. LX. p. 47. Comm. noſtr. Vol. XX. pag. 484.

HEWSONI, nuper praematuro fato erepti, ad globulos cruoris pertinentes, plurima continent, noua, quorum veritatem dies et vlteriores phyſiologorum obſeruationes docebunt. Simplicibus microſcopiis vſus eſt et quidem eiusmodi lentibus, quae obiectorum magnitudinem non toties augerent, quam lentes a Cl. DE LA TORRE Societati Regiae olim miſſae faciunt *), ſed ea longe clariora examinantis oculis repraeſentant. In omnibus animalibus vero ſanguis eiusmodi globulos continet, nec ipſis inſectis exceptis, in quibus vero vel album colorem vt in aſtacis et cancris,vel pallide virideſcentem, vt in erucis et gryllis habent. Vidit quoque eos Cl. Auctor in ſanguine inſecti minimi ex monoculorum genere, quod magnitudinem capitis acus non ſuperat. Ex his iure concludi poteſt, ſummum et maxime vniuerſalem eorum vſum eſſe debere. Iam, quod propius ad noua a Cl. Auctore propoſita inuenta pertinet, globulos hos primum non globularem figuram habere, ſed in vtroque latere complanatos eſſe aſſerit, deinde eos ex duplici ſubſtantia compoſitos eſſe exiſtimat, ex macula ſcilicet obſcura et ſolida, quae medium globuli tenet et ex veſica membranacea complanata, cuius mediam partem macula haec tantum replet, et cuius margines excauati atque vel vacui vel tenuiore aliquo fluido repleti ſunt. Annulatos eſſe hos globulos ſeu in medio perforatos, quod Cl. DE LA TORRE ſe vidiſſe autumauit, Noſter plane negat. Miram vero ſtructuram, quam modo deſcripſimus, tunc optime detegi poſſe Noſter monet, ſi gutta cruoris ſero diluti vitro imponatur, illudque ita inclinatur, vt ſanguis defluat, ſub quo defluxu

*) v. Vol. LVI. p. 67. ad annum 1766. Comm. noſt. Vol. XV. p. 499.

defluxu et deſcenſu globuli circumuoluuntur, et complanata eorum figura conſpici poteſt. Si vero ſanguini ex rana deſumpto, in quo animali globuli maiores ſunt, quam in aliis, aqua ſenſim additur, veſica aqua ita impletur, vt globularem nunc figuram oſtendat. Porro quod magnitudinem globulorum attinet, tenendum eſt, eam in diuerſis animalibus differre. Maximi ſunt in amphibiis nantibus, vt *Raia*, minores in ranis, piſcibus, cetaceis, auibus, homine et variis quadrupedibus, ita quidem, vt eorum magnitudo ſecundum ordinem, in quo haec narrantur, decreſcat. Putredine macula ſolida in minores partes dehiſcit, quorum tamen numerus et figura variat. Partes quoque hae rubrum colorem retinent, non flaueſcunt, vt LEEVWENHOEKIVS ſtatuit. Cum globuli in aqua diſſoluantur, non oleoſae naturae eſſe poſſunt, neque inflammabiles eos eſſe, ſuis experimentis Noſter cognouit. In vaſis iam complanati ſunt, quod cauſſa eſt, cur varii Auctores ellipticam eos in vaſis minoribus aſſumere figuram, ſcripſerint. Sero non diſſoluuntur, quod a ſalinis partibus ſero admiſtis pendet. Addito enim ſale medio, aqua eos non amplius diſſoluit, ſed veſicam contrahit et corrugat. Alcalia quoque globulos non ſoluunt, ſed acida, ſpiritus vini cet. hoc faciunt. Si vero ſalia magna doſi addantur etiam globuli mutantur, hinc certa in proportione tantum adeſſe debent. In fine Cl. Auctor mutationes globulorum ex inſectis deſcribit, qui illis accidunt, ſi aëri libero exponantur et tandem eos ex variis animalibus delineat, quo figurae et magnitudinis eorum diuerſitas eo melius pateat.

p. 324. 34. *Deſcriptio effectuum fulminis* Neapoli d. 15 Mart. 1773 *in domo* Ill. TILNEY *obſeruatorum.* Ex literis Ill. HAMILTON.

35. Cl.

35. Cl. NOOTH *deſcriptio machinae electricae* p. 333.
emendatae.

36. Cl. IONES *de quantitatibus ſectionum co-* p. 340.
nicarum.

37. Cl. DICQVEMARE *Commentarius illuſtra-* p. 361.
tioni hiſtoriae naturalis Actiniarum (Sea-Anemones) *inſeruiens.* Nouum naturae miraculum et reproductionis animalis exemplum Cl. Auctor in tribus Actiniae ſpeciebus, *equina* ſcilicet, *ſenili* et *felina* LINNAEI deſcribit. Has enim vario modo vulneratas, mutilatas, imo diuiſas, iterum noua membra producere et partes diſciſſas in perfecta animalia mutari, Cl. Auctor pluribus experimentis fuſius hic recenſitis et a 1772 inſtitutis, cognouit. Omittimus reliquas obſeruationes, quae ad Actiniarum hiſtoriam naturalem in vniuerſum ſpectant. Licet oculos non habeant, tamen luce illas affici Cl. Auctor expertus eſt.

38. *Deſcriptio noui hygrometri*, Auctore Cl. p. 404.
DE LVC.

39. *De vi electrica torpedinis*, auctore Cl. p. 467.
IOANAE WALSH. Piſcem hunc omnes, qui eum attingunt, ſtupore aliquo afficere, iam veteres cognouerunt, licet vera phaenomeni huius cauſſa nondum ad noſtra vſque tempora detecta fuerit. Cl. de REAUMVR ſedem vis ſtupefaciendi eius in duobus ſtratis muſculoſis eſſe cognouit, quae ad latus piſces poſita ſunt *); et ex vibratili et oſcillatorio eorum motu corpus tangentis validiore hoc ictu affici autumauit. Iam vero Cl. WALSH

 experi-

*) Hiſt. de l'acad. Roi. des Scienc. 1714.

experimentis Rupellae primum a 1772 inſtitutis cognouit, muſculos hos organa electrica, ſeu virtutem electricam in iis ſitam eſſe et hinc tangentis manum eodem modo affici, vti in experimento Lugdunenſi, ſi phialae vitreae tanguntur, fieri ſolet. Nullae tamen ſcintillae prodeunt. Iam Cl. BACCROST, vbi de *gymnoto electrico* agit *), ſimilem torpedinis vim ſtupefacientis cauſſam eſſe ſuſpicatus eſt.

p. 487. 40. *Anatomicae obſeruationes circa torpedinem*, auctore Cl. IOANNE HVNTERO. Cl. Auctor organa electrica torpedinis, quae in vtroque latere ſtatim ſub cute poſita ſunt, ſedulo examinauit et eleganter hic delineari curauit. Compoſita ſunt ea ex pluribus faſciculis ſeu columnis perpendicularibus, quae parallelae ſibi adiacent, et ad quas plurimi et maximi nerui diſtribuuntur. Septis diuiduntur vaſculoſis et in vniuerſum quoque vaſculoſam ſtructuram habent. Ex numero et magnitudine neruorum ad haec duo organa diſtributorum, Cl. Auctor illos ad vim electricam horum organorum producendam neceſſarios eſſe, concludit. Voluntariam quoque eſſe in torpedine organorum electricorum actionem, experimenta Cl. WALSH confirmarunt. Quae omnia ſummam inter fluidum nerueum et materiam electricam analogiam indicare videntur.

Vol. LXIV. Iam ad vltimum quatuor voluminum a nobis hic indicatorum progredimur, quod triginta tribus Commentariis componitur. En eorum ſummam.

1. Cl.

*) Nat. Hiſtory of Guiana p. 194.

1. Cl. WILSON *obſeruationes de maculis ſolaribus.* His ſolis ſuperficiem fluido aliquo ſplendente obduci, ipſum ſolem opacum eſſe et ex defectu materiae huius luminoſae maculas ſolares oriri, ſed iterum eam reſtitui, Cl. Auctor probare annititur. p. 1.

2. *Aſtronomicae obſeruationes a miſſionariis R. Catholicis* Pequini *in China factae.* p. 31.

3. *Eclipſis lunae* a 1772. d. II. *oct.* Cantoni *obſeruata.* p. 46.

4. *Experimenta circa modum colorem nigrum parandi,* auctore Cl. BLAKE. Calcem viuam colorem nigrum non exaltare, variis experimentis hic demonſtrat. p. 48.

5. *De numero incolarum in vrbe* Mancheſter *et in vicinis locis,* auctore Cl. PERCIVAL. Numerum incolarum multum auctum fuiſſe obſeruationes hae oſtendunt. Probant quoque multos morbos acutos v. c. variolas non amplius, regimine et methodo medendi emendatis, ita funeſtos eſſe.

6. *Obſeruationes in indices mortuorum urbis* Cheſter auctore Cl. HAYGARTH. In his indicibus morbi quoque indicantur, quibus mortui in hos indices relati, diem obierunt ſupremum. p. 67.

7. *Elementa electrica* a Cl. EDWARD NAIRNAE *cum machina electrica, quam ipſe fabricauit, inſtituta.* Plantarum rami electrico ictu tacti breui marceſcunt. p. 79.

p. 90. 8. *De noxia qualitate effluuiorum lacuum putreſcentium.* Auctore Cl. PRIESTLEY. Alio loco iam monuimus, Cl. ALEXANDER putare, exhalationes aquarum ſtagnantium, in quibus animales et vegetabiles partes putreſcentes reperiuntur, innoxias eſſe, nec putredinem producere *). Cl. PRIESTLEY vero vulgarem opinionem tueri tentat. Suis enim experimentis cognouit: Aërem ex eiusmodi aqua prodeuntem, noxium, nec reſpirationi aptum eſſe.

p. 96. 9. Cl. PRICE *vlterior probatio inſalubritatis paludoſarum regionum.* Vtitur Cl. Auctor mortuariis potiſſimum indicibus vrbium et regionum, quae paludibus proxime adiacent.

p. 96. 10. *De cultura et vſu* Crotalariae iunceae (*Son* ſ. *Son - plant*) *in India orientali.* Auctore Cl. IRONSIDE. Paratur ex ea papyri ſpecies, et modus, quo fabricatur, fuſius hic expoſitus legitur. Funes ex ea fabrefacti, iis ſimillimi ſunt, qui ex cannabi parantur.

p. 105. 11. Cl. WILSON *emendatio teleſcopiorum.*

p. 108. 12. Cl. SIMMONS *hiſtoria aegrae, in qua ex vlcere fiſtuloſo in lumbis orto, calculi minores, nullum vero lotium, egrediebatur.* In femina 52 annorum, nephriticis ſymptomatibus per plures annos praegreſſis, tandem vlcus in regione lumbari ſiniſtra ortum eſt, ex quo per quindecim annos ichor et tandem vulnere

*) vid. EIVSD. experimental enquiry concerning the cauſes, which have generally been ſaid to produce putrid diſeaſes. conf. Com. Vol. XX. p. 721.

vulnere iterum inflammato calculi quoque egrediebantur. Plures ſimiles obſeruationes, vt alios Auctores taceamus, in diſſertatione hic citata collectas videre licet *).

13. *Obſeruationes circa annulum Saturni*, auctore Cl. VARELAZ. p. 112.

14. *De Salmonis Trutta ſpecie, quae in Hibernia* Gillaroo - Trout *dicitur*, auctore Cl. BARRINGTON. In hoc piſce ventriculus eiusmodi ſtructuram muſculoſam habet, qualem fere in auibus graniuoris oſtendit. Pro varietate tantum truttae vulgaris hunc piſcem Cl. BARRINGTON habet, ſed ex aliis obſeruationibus adiectis patet, eum trutta latiorem eſſe. p. 116.

15. Cl. WATSON *deſcriptio anatomica ventriculi huius truttae.* Patet ex ea ventriculum quidem huius piſcis magis muſculoſum eſſe, quam in piſcibus huius generis, neutiquam tamen illum cum graniuororum auium ventriculo, in quo grana trituratione comminuuntur, comparari poſſe. Interna quoque eius ſuperficies ſcabra eſt et villoſa, villis quidem adeo magnis, vt nudo oculo conſpici queant. p. 121.

16. Cl. DOBSON *deſcriptio ſtrati petrificati, quod aquae minerales prope* Matlock *in comitatu Derbyenſi formarunt.* Aqua in flumen decurrens ſedimentum tophaceum depoſuit, quod ſatis durum eſt et varia peregrina corpora includit. p. 124.

*) vid. Cl. REICHEL diſſ. de calculis renalibus Lipſ. 1772. 4. c. f. Comm. noſtr. Vol. XX. p. 425.

p. 128. 17. Cl. WINN *annotationes circa auroram borealem.* Poſt auroram borealem ſemper ſequenti die auſtrum flare et pluuiam oriri Cl. Auctor obſeruauit.

p. 133. 18. Cl. HENLEY *de differentia vis conductorum electricorum obtuſorum vel cuſpidatorum, in aedificiis a fulminis ictu defendendis.*

p. 153. 19. Cl. WINTHORP *annotationes in locum quendam in* CASTELLONI *vita* NEWTONI *reperiundum.*

p. 158. 20. Cl. MASKELYNE *Expoſitio methodi* Cl. DE LUC *altitudines locorum ope barometri menſurandi.*

p. 171. 21. Cl. ROLLAND *obſeruationes aſtronomicae in America Septentrionali circa eclipſes ſatellitum Iouis inſtitutae.*

p. 177. 22. *Similes obſeruationes* auctore Cl. SPROVL.

p. 182. 184. et 190. 23. 24. 25. Cl. HOLLAND *obſeruationes aſtronomicae.*

p. 194. 26. Cl. MARSHALL *obſeruationes circa maculas ſolares.*

p. 196. 27. *Relatio de hirundine domeſtica* (Houſe martin *ſiue* Martlet). Ex literis Cl. WHITE. Modum, quo ea hirudinis ſpecies nidum ex limo conficit, fuſius Auctor Cl. deſcribit, variasque circa mores et vitae genus huius auis obſeruationes addit.

p. 202. 28. *Obſeruationes meteorologicae in* Rutlandia a Cl. BARKER factae.

29. Cl.

29. Cl. IOANNIS HVNTERI *deſcriptio receptaculorum nonnullorum aëris, quae in auibus repe-riuntur.* p. 205. Miram fabricam eorum receptaculorum Cl. Auctor hic deſcribit, quae in auibus cum pulmonibus communicant et non ſolum intra carnoſas partes, ſed in ipſam oſſium ſubſtantiam ſe extendunt. Celluloſam fabricam haec receptacula habent. Interim earum cellulae, non cum cauitate telae celluloſae vniuerſalis communicant, ſed earum caua nonnulla, tum inter ſe immediate, tum omnia mediante pulmone coniunguntur. Alia horum receptaculorum ſaccos formant, qui in maioribus cauitatibus, v. c. abdomine poſiti ſunt, alia vero in interſtitiis partium ita diſponuntur, vt primo intuitu vix a communi tela celluloſa diſtingui queant, qualia circa pectus, axillam cet. reperiuntur. Magnitudo eorum pro magnitudine partis, in qua collocantur, variat. Oſſa vero, quae in auibus aërem recipiunt, duplicis generis ſunt, cum vel earum ſubſtantia interna in plurimas cellulas minores diuiſa ſit, quod in ſterno, coſtis cet. fit, vel vnicus canalis in iis deprehendatur, vt in humero et femore. Ea autem oſſa, quae aërem recipiunt, minus vaſculoſa, reliquis leuiora, albidiora, et minus denſa ſunt, nec medullam continent. Aperturae, quae in receptaculum in oſſe contentum ducunt, in ea oſſis extremitate conſpiciuntur, quae trunco propior eſt. Margo huius aperturae ſemper rotundatus et laeuis eſt, qua in re ab illis foraminibus differunt, per quae vaſa, et nervi ad os tendunt. Aues non, vt vulgo dicitur, ſepto tranſuerſo carent. Adeſt enim loco ſepti muſculoſi ſatis firma, ſed pellucida membrana, quae inferiorem pulmonum partem tegit eique adhaeret, et in quam nonnulli muſculi tenuiores, ex interiore coſtarum ſuperficie oriundi, inſeruntur. Septum

hoc inſpirationis tempore concauitatem pulmonum verſus abdomen minuit, et hac ipſa re aërem quoque in receptacula aërea impellit. Poſterius quoque pulmones auium variis ligamentis cum vertebris et coſtis coniunguntur et firmantur. In diaphragmate varia foramina ſunt, per quae adpendices pulmonum abdominales exeunt, vti anterius in pulmonibus aliae aperturae exiſtunt, quae ad receptacula pericardio adhaerentia et ſterni cellulas ducunt. Superius alia receptacula circa aſperam arteriam oeſophagum cet. poſita ſunt, quae in variis auibus, ſi ira commouentur, ita inflantur, vt exterius tumor inde productus appareat, quod v. c. in gallo pauone, columba turcica cet. fit. Ex his cellulis quoque via ad canalem oſſis humeri aëreum patet. Poſterius tandem ex pulmonibus variae aperturae ad cellulas coſtales, vertebrales et ex his ad os femoris ducunt. Omittimus varietates generalis huius fabricae ex variis auium ſpeciebus deſcriptas. Intra cranii oſſa etiam aëreae cellulae ſunt, quae in nonnullis auibus per tubam EVSTACHII aërem recipiunt. His propoſitis Cl. Auctor experimenta in viuis auibus inſtituta deſcribit, in quibus arteria aſpera ligata et eiusmodi receptaculo ita aperto, vt aër externus in illud penetrare poſſit, reſpirationem continuari vidit. Hoc vero non ſolum per receptaculum abdominale ſed etiam, oſſe humeri abſciſſo, per eius canalem factum eſt.

Iam quod ad vſum harum cellularum et receptaculorum attinet, totus hic mechaniſmus non volatui et maiori corporis leuitati conciliandae inſeruire poteſt, cum in ſtruthione v. c. adſit, veſpertiliones contra nil eiusmodi oſtendant. Hinc magis adpendices pulmonum receptacula illa eſſe, ac inſpiratione in volatu impedita vel etiam in cantu vſum ſuum praeſtare videntur.

30. Cl.

30. Cl. HORSLEY *de methodo* Cl. DE LUC *altitudines locorum ope barometri menſurandi.* p. 214.

31. *Catalogus 50 plantarum horti Chelſeani Societati Regiae a 1773 exhibitarum.* p. 302.

32. Cl. IOANNES HVNTERI *obſeruationes anatomicae de ventriculo truttae illius, de qua ſuperius n: 14 et 15 iam dictum eſt.* (Gillaroo-Trout) Nomen huius truttae iam fabricam ventriculi eius indicat, cum *gillaroo* idem quod *gizzard* ſeu auium granivorarum ventriculum muſculoſum ſignificet. Interim ſtructura ventriculi huius piſcis a fabrica ventriculi auium, quae trituratione eius grana deglutita cum minuunt, maxime differt. Hoc, vt Cl. Auctor probet, ventriculum talem fuſius deſcribit, et diuerſos porro gradus indicat, quibus muſculoſus ventriculus graniuorarum in membranaceum carniuorarum, pro varietate ciborum, quibus ſingulae auium ſpecies vtuntur, mutatur. Piſces, qui mollioribus animalibus veſcuntur, nullos dentes aut eiusmodi tantum habent, qui capiendae praedae inſeruiunt; ii vero, qui teſtaceis victitant, pluribus dentibus inſtruuntur. Nonnullorum autem ventriculus ſemimuſculoſus comminutioni ſeu maſticationi et digeſtioni ciborum ſimul inſeruit. Atque ad hos etiam piſcis, de quo hic agitur, pertinet, cuius tamen ventriculus ab auium graniuorarum ventriculo in eo differt, quod nulla trituratio ciborum fieri poſſit, neque ille intus cornea tunica veſtiatur. p. 310.

33. Cl. SWINTON *de quinario aliquo nummo.* p. 318.

In parte ſecunda huius voluminis ſequentes commentarii reperiuntur. P. II.

34. *Ob-*

p. 329. 34. *Obſeruationes aſtronomicae a 1773 factae* a Cl. WOLLASTON.

p. 340. 35. *Relatio de femina caſu combuſta*, auctore Cl. WILMER. Femina quinquaginta circiter annorum in vrbe *Couentry* viuens, potus ſpirituoſi abuſu multum dedita erat, ita vt quotidie fere inebriata cubitum iret. Caſu tandem fortuito incendio in conclaui eius orto, totum eius corpus breui in cineres redactum fuit, femoribus tantum et variis oſſibus ſuperſtitibus, conclaui ipſo et vtenſilibus in eo deprehendendis parum laeſis. Concludit hinc Cl. Auctor, ſpirituoſi liquoris abuſu ſolida et fluida huius feminae materia inflammabili ita impraegnata fuiſſe, vt quam celerrime combureretur *).

p. 344. 36. Cl. DARWIN *experimenta cum fluidis animalibus ſub antliae pneumaticae recipiente inſtituta.* Cum ſanguis e vena miſſus ſub antlia pneumatica intumeſcat et magnam ſpumae atque aëris elaſtici copiam emittat, nec non aëre externo cucurbitularum ope remoto in parte corporis, cui cucurbita applicata fuit, rubor et tumor oriatur, aërem elaſticum in vaſis animalium contineri, plurimi aſſeruerunt. Oſtendunt vero experimenta hic relata, venis ligatura incluſis et e corpore exſciſſis ſanguinem in iis contentum non ſub antlia expandi. Idem quoque in veſicula fellea, et veſica vrinaria factum eſt. Hinc ſub ſanguinis e vena effluxu magnam ei aëris atmoſphaerici copiam admiſceri, neque in vniuerſum aërem humoribus admiſtum

*) Similes hiſtorias vide apud Cl. DVPONT diſſ. de corporis humani incendiis ſpontaneis. L. B. 1763. It. Phil. Tranſact. N. 476. p. 447.

miſtum vel externi aëris pondere mutato elaſticitatem ſuam facile recuperare Cl. Auctor probat. In ſurdaſtris cucurbitam ſiccam externae aperturae meatus auditorii, nonnunquam egregio cum ſucceſſu, applicauit. Concludit enim ſurditatem ſaepe ab exceſſu vel defectu interni aëris pendere. p. 349.

37. *Relatio de effectu tempeſtatis et fulminis in urbe* Wakefield *obſeruato.* Auctore Cl. NICHOLSON. p. 350.

38. Cl. BENT *Obſeruatio de femina, quae capite oſſis humeri dextri exſciſſo tamen brachio hoc uti poteſt.* Iam olim ſuſpicati ſumus in caſu ſimili a Cl. WHITE *) deſcripto, non totum caput humeri exemptum, ſed epiphyſin ſeparatam et relictam fuiſſe. Hanc noſtram ſuſpicionem veram fuiſſe, Cl. Auctor hic fuſius probat. Ipſe vero in femina, cuius caput oſſis humeri carie affectum erat, deltoideum anterius a clauicula ſeparauit, capſulaque articulari aperta, caput humeri ſerra a reliquo brachii oſſe diuiſit. Vulnus perfecto conſolidatum eſt et femina aliquem membri motum recuperauit. p. 353.

39. *Continuatio experimentorum circa naturam ſpiritus mineralis elaſtici, ſiue aëris, in Spadana et aliis acidulis contenti.* Auctore Cl. W. BROWNRIGG. De priore parte horum experimentorum, quibus Cl. Auctor naturam veram ſpiritus ſic dicti mineralis elaſtici demonſtrauit, iam alio loco diximus **). Hic vero Cl. Auctor oſtendit ferrugineas p. 357.

et

*) *Phil. Tranſact.* 1769. Comm. noſtr. Vol. XVIII. pag. 644. et XX. 355.

**) vid. *Phil. Tranſact.* Vol. LV. p. 233. Comm. noſtr. Vol. XV. pag. 70.

et abſorbentes terreas partes, quae in aqua Spadana continentur, ſolutas eſſe ope aëris fixi, cum his terris vniti. Aëre hoc ab aqua ſeparata, particulae hae ſtatim praecipitantur. Licet vero hic aër cum aqua vniatur, ſapore ſubacido praeditus ſit, et terreas martialesque partes diſſoluat, et hinc pluribus proprietatibus cum acidis conueniat, tamen ſyrupum violarum non rubro colore tingit. Subtilitas huius aëris fixi, vis eius terrea corpora ſoluendi, elaſticitas et antiſeptica natura, efficiunt, vt aquae minerales, quibus vnitur, reliquas virtute longe antecellant.

p. 372. 40. *Deſcriptio terrae* Labrador *in America ſeptentrionali.* Auctore Cl. CVRTIS. Omnis haec regio deſerta fere eſt, montibus et ſaxis tecta, aditusque ad illam tum ob glaciem, qua littus tegitur, tum ob rupes difficilis et periculoſus eſt. Pauciſſimae incolae in ea deprehenduntur.

p. 389. 41. *Varia experimenta electrica.* Auctore Cl. HENLY. Ex his plurima ad electricitatem atmoſphaerae et nebularum ſpectant, circa quam Cl. RONAYME experimenta inſtituit.

p. 432. 42. Cl. MACBRIDE et Cl. SIMON litterae, *in quibus de reditu nonnullarum cochlearum, per plures annos in muſeo* Cl. SIMONS *reſeruatarum ad vitam exponitur.* Cochleae per quatuordecim annos in muſeo aſſeruatae, caſu in aquam immiſſae ad vitam redierunt. Mira hiſtoria, ſi nulla fraus vel error in hac re commiſſus ſit.

p. 438. 43. *Index mortuorum vrbis* Warrington a 1773. a Cl. AIKIN et PERCIVAL communicatus.

44. *Experimenta circa vim olei vndarum vim infringendi.* Ex variis litteris a Cl. FRANKLIN, BROWNRIGG et FARISH ſcriptis. Oleum aquae infuſum vndarum adſcenſum impedit et aquae motum imminuit. Haec olei qualitas, quam veteres iam cognouerunt, nouis hic experimentis confirmatur et in cauſſas miri huius phaenomeni inquiritur. p. 445.

45. *Relatio* Cl. STAEHELIN *de maſſa ferri natiui in Sibiria reperta.* Cl. PALLAS in ſuo per prouincias Ruſſiae regni itinere, prope locum *Neulis* dictum haud longe a *Ieniſea* fluuio diſtantem, in vicinia fodinae maſſam ferri natiui inuenit pondus 2000 circiter librarum habentem. Malleabilis eſt et omnes proprietates ferri oſtendit, nec vlla adeſt ſuſpicio illam arte productam fuiſſe, inprimis cum fluore hyacinthini coloris miſta ſit. p. 461.

46. Cl. WALSH litterae, *in quibus* Raiam torpedinem *in oris Anglia reperiri oſtendit.* In Angliae quoque oris maritimis piſcis hic occurrit, licet rarius. Hoc Cl. Auctor pluribus teſtimoniis probat, eaque occaſione varias obſeruationes circa hiſtoriam eius naturalem addit. Nonnunquam piſcis hic, ſi in maris refluxu in ora relinquitur, cuniculum ſibi in arena effodit, in quo totus latitat, duobus tantum paruulis foraminulis relictis, per quae aërem attrahit. p. 464.

47. *Deſcriptio vteri et vaginae duplicis.* Auctore Cl. PVRCELL. In feminae in partu demortuae cadauere, Cl. Auctor vterum inuenit, qui perfectum fetum continebat, ſed vnico tantum ouario et vnica tuba Fallopiana inſtructus erat. Ad ſiniſtrum vero eius latus alius vterus erat, haud impraegna- p. 474.

praegnatus, cui ouarium et tuba ſiniſtri lateris adnexa erant. Hi duo vteri ſepto a ſe inuicem ſeparati erant, ita vt in collo tantum cauitates eorum communicarent. Vagina quoque ſepto diuiſa erat, in quo tamen fiſſura reperiebatur, ita vt impraegnatio per vtramque vaginam fieri potuiſſet.

p. 481. 48. Cl. BROWNRIGG *catalogus variorum ſalium natiuorum ab eo collectorum et Societati Regiae exhibitorum.* Sal amarum natiuum, quod in lithanthracum fodinis efflorescit; ſal Ebshamenſe depuratum variaque alia ſalia ei analoga; vitrioli plures ſpecies et alumen natiuum, quae omnia ex variis Angliae prouinciis Cl. Auctor multo ſtudio collegit, hic deſcribit.

X.

Directions for impregnating water with fixed air; in order to communicate to it the peculiar ſpirit and virtues of the Pyrmont water and other mineral waters of a ſimilar nature. By IOSEPH PRIESTLEY LL. D. F. R. S. London Printed for J. Johnſon 1772. 8. pl. 2. tab. aen. 1.

i. e.

Methodus aquam aëre fixo impraegnandi, quo ei ſpiritus peculiaris et reliquae vires aquae Pyrmontanae et aliarum aquarum mineralium ſimilis naturae communicetur. Auctore IOSEPHO PRIESTLEY.

Fuſius a Cl. Auctore hic methodus deſcribitur, cuius iam ſupra mentionem fecimus, qua ſcilicet, aër ex creta acido vitriolico diluto ſoluta

ſoluta ſub efferueſcentia ſurgens aquae communicatur eaque ratione aqua haec ſapore et vi aquarum mineralium impraegnatur. Phiola, quae orificio p. 5. anguſto praedita eſt, aqua repleta in vaſe maiori etiam aqua repleto ita collocatur, vt orificium eius deorſum ſpectet. Huic orificio vero tubus flexilis ex corio v. c. immittitur, cuius alterum extremum in veſica ſuilla latet. Haec ſuperius cum hoc tubo inferius vero cum phiola communicat, in qua creta et pauxillum olei vitrioli, multa aqua diluti, continetur. Iam phiola cum creta et acido vehementius commota, aër in veſicam aëre perfecte vacuam et ex hac in tubum, tandemque in aquam in phiola contentam tranſit. Ad ſex vel ſeptem vncias cretae tres vnciae circiter aquae et drachma dimdia olei vitrioli ſumitur, eaque quantitate tres circiter librae aquae aëre fixo impraegnantur. Aqua deſtillata aërem celerius attrahit et diutius retinet, quam vulgaris. Si aliquot guttae tincturae martis cum ſpiritu ſalis aquae ita praeparatae inſtillantur, vel limatura martis tantum additur, ea Pyrmontanae aquae exacte ſimilis fit.

Simili ratione etiam vinum vel cereuiſia vap- p. 16. pida aqua impraegnari et vappidus potus corrigi poteſt. In morbis putridis, et ſcorbuto aqua aëre fixo repleta inſignem vtilitatem promittit, et Pyrmontanae loco adhiberi poteſt. In clyſmatibus putridam ſaburram primarum viarum corrigit. Suſpicatur etiam Cl. Auctor inhalationem aëris fixi et potum aquae ea impraegnatae vtiliſſimam eſſe. Cancri quoque acrimonia aëre fixo corrigitur et in vniuerſum ille et liquores eo repleti varium vſum in medicina praeſtare poſſunt.

XI.

A diſcourſe on the different kinds of air, deliuered at the anniverſary meeting of the Royal Society November 30, 1773. By Sir IOHN PRINGLE. Bar. Preſident. London printed for the Royal Society. 1774. 4. p. 36.

i. e.

Sermo de variis ſpeciebus aëris, habitus in conuentu publico Societatis Regiae Londinenſis a Viro Illuſtri IOANNE PRINGLIO.

Ill. Auctor ſermone hoc, quem illo die habuit, quo Clariſſimo PRIESTLEY ob ea, quae circa aëris fixi naturam inſtituit et publicauit experimenta, moneta aurea ex legato Copleyano traderetur, hiſtoriam eorum tradit, quae ad Cl. PRIESTLEY vſque a variis circa aëris fixi veram indolem propoſita fuerunt. Praecipua iam ex ea ſuperius adduximus.

XII.

Experiments and Obſeruations on different kinds of Air. By IOSEPH PRIESTLEY London printed for J. Johnſon 1774. 8. pag. 324. tab. aen. 2.

i. e.

Experimenta et obſeruationes circa varias ſpecies aëris. Auctore Cl. PRIESTLEY.

Commentarius Cl. PRIESTLEY, Philoſophicis tranſactionibus inſertus et ſupra a nobis indicatus

catus *) ſeparatim etiam impreſſus **), pluribus nouis experimentis et obſeruationibus auctus hic iterum publicatur. Inſtituta vero ſunt experimenta, quae in noua hac edditione acceſſerunt ab anno 1772, quo prima editio prodiit, ad annum vſque 1774, iisque variae aliae obſeruationes adduntur, quae ab aliis Cl. Auctori communicatae fuerunt.

Conſtituunt vero experimenta et obſeruationes, quae huic editioni acceſſerunt alteram eius partem, in qua primo Cl. Auctor *de alcalino aëre*, ſeu tali, qui vapore alcali volatilis repletus eſt differit Inprimis phaenomena deſcribit, quae eo cum aliis vaporibus ſeu aëris, vt Noſter loqui amat, ſpeciebus commiſto, obſeruauit. Aqua hoc aëre impraegnata ſpiritu ſalis ammoniaci exacte ſimilis eſt. Sequuntur experimenta varia, in quibus Cl. Auctor aërem vulgarem vario modo quoad volumen eius diminuit et noxium reddidit. Fit hoc inprimis flamma candelae, reſpiratione animalium, putrefactione animalium et vegetabilium corporum, efferueſcentia ferri et ſulphuris inter ſe commiſti, calcinatione metallorum, effluuiis pigmenti ex ceruſſa et oleo parati, admixtione aëris acido nitroſo impraegnati cet. Omnibus his rebus copia phlogiſti in aëre contenti nimium augetur. Fit vero ille iterum reſpirationi aptus aqua et vegetatione vegetabilium, quae ſuperfluum phlogiſton inhalant. Addit Cl. Auctor indicem aliorum corporum, quibus aëris moles imminuitur inter, quae ſcintilla electrica eſt. Phlogiſton ſuperfluum aërem fixum in vulgari contentum praecipitare videtur. Augmentum ponderis metallorum in calcinatione ab

p. 163. p. 177.

I 2 aëre

*) v. p. 470.
**) Obſeruations on different kinds of the air, by I. PRIESTLEY Lond. 1772. 4. p. 120. tab. aen. I.

aëre fixo iis adhaerente Noſter deducit. Cauſſam mortis animalium in aëre phlogiſto nimis repleto Cl. Auctor ponit in eo, quod aer iam phlogiſto ſaturatus, phlogiſton ex pulmonibus exiens non recipere poſſit. Hinc quaſi ſtimulo aliquo conuulſiones excitantur et omnis vis vitae vno quaſi momento exhauritur. Additae ſunt huic capiti litterae Cl. Auctoris ad Cl. PRINGLE, de noxia qualitate effluuiorum paludum, quae iam ſuperius indicatae fuerunt *).

p. 203. Tertia ſectione de *aëre nitroſo* Cl. Auctor varias obſeruationes proponit. *Nitroſum* vero, vt ſupra iam monuimus, eum vocat, qui ex variis metallis ope acidi nitroſi expellitur. Cum experimenta hic relata vix in compendio tradi poſſint, iis omiſſis, monemus tantum Cl. Auctorem ob vim huius aëris antiſepticam et qualitatem eius, qua omnia inſecta necat, putare illum in clyſmatibus forte contra vermes adhiberi poſſe. Canis tamen in cuius inteſtina talis immiſſus erat, ab eo male afficiebatur.

p. 229. Quarta tandem ſectione de *acido aëre* quinta *de inflammabili* et ſexta *de fixo aëre* varia experimenta noua recenſentur. Poſt haec varia alia experimenta ſequuntur, tandemque quaeſtiones et hypotheſes
p. 258. nonnullae proponuntur, quibus de conſtitutiuis principiis diuerſarum ſpecierum aëris, conſtitutione et origine atmoſphaerae, de ſimilitudine inter electricam materiam et phlogiſton etc ſuas con-
p. 277. iecturas proponit. Animalia ex Auctoris Cl. hypotheſi phlogiſton ex crudo ſtatu, quo illud ex alimentis recipiunt, in electricum fluidum ope cerebri potiſſimum et per motum oſcillatorium fibrarum eius conuertunt, quod per neruos ad

*) vid. *Phil. Tranſact.* Vol. LXIV. p. 90. Comm. noſtr. Vol. XIX. p.

ad muſculos ducitur eosque ad actionem et contractionem eodem modo ſtimulat, vti illud, ſi ſcintilla electrica exterius ad muſculum accedit, fieri ſolet. In exſpiratione vero phlogiſton potiſſimum cum aëre e corpore iterum exit.

In appendice huius nouae editionis Cl. PERCIVAL obſeruationes de medico vſu aëris fixi additae ſunt, de quibus vero ibi erit dicendi locus, vbi de libro eius *), ex quo deſumtae ſunt, diſſeremus. Adiectae ſunt quoque aliae Cl. FALCONER, BEWLEY, FRANKLIN et HENRY epiſtolae, quae varias obſeruationes in Cl. PRIESTLEY librum continent. p. 300.

XIII.

Détail des ſuccès de l' établiſſement que la Ville de Paris a fait en faveur des perſonnes noyées; Avec les différentes inſtructions qui y ſont relatives, & la manière dont on doit faire uſage des objets contenus dans la Boîte où ſe trouvent réunis les principaux ſecours qu' il faut adminiſtrer aux Noyés; On y a joint une Notice chronologique des différens Ouvrages connus, publiés ſur cette matière: Par Mr. P. A. Seconde édition revue, corrigée & augmentée par l' Auteur. — A Paris, chez Lottin l'aîné, Imprimeur - Libraire Ordinaire de Mgr le Dauphin & de la Ville; & Eugène Onfroy, Libraire. MDCCLXXIV. 8. pagg. 111.

*) *Eſſays* Medicae and *Experimental* Vol.II. Lond. 1773. 8.

Détail des ſuccès de l' établiſſement que la Ville de Paris a fait en faveur des perſonnes noyées. Premier Supplément: Depuis le 1 Avril. 1773, juſques â compris le mois de Décembre ſuivant. Par Mr. P. A. — ib. eod. pagg. 115.

i. e.

Expoſitio ſucceſſus, quem habuit inſtitutum vrbis Pariſienſis, ad auxilium merſis praeſtandum cet. Auctore P. A. editio ſecunda correctior et auctior.

Eiuſdem ſupplementum primum a die primo aprilis 7773, vſque ad finem decembris eiuſdem anni.

Intenſe gaudemus, negotium hoc, ex quo ſummi magiſtratus eiuſdem curam in ſe ſuſceperunt *), adeo egregia incrementa cepiſſe, nec, quod nuperrime publica teſtimonia palam fecerunt, in noſtris quoque terris vſu ſuo, certiſſime impoſterum ampliore futuro deſtitui. Quare non poſſumus non laudare conſilium auctoris noſtri, anonymi quidem, ſingulis annis rationem auxiliorum miſeris iſtis hominibus adhibitorum reddendi. Prior libellus, qui nunc in manibus noſtris eſt, quantum ex cenſura priuilegioque praefixis colligere licet, anno 1773 prima vice typis excuſus eſt: edictum autem
p. 3. magiſtratus Pariſienſis iunio 1772 prodiit. Viuide
p. 6. in ſolemnitates olim in eiusmodi infortuniis adhiberi

*) Vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 170. 360. 552. Vol. XVII. p. 352. ſeq. Vol. XVIII. p. 359. 541. 722. Vol. XIX. p. 649.

beri ſolitas inuehitur Noſter, quarum obſeruatio-
ne vix fieri potuit, quin tempus hic, ſi vnquam,
pretioſſimum elaberetur, omniaque auxiliorum ge-
nera tunc demum tentanda fruſtranea redderet.
Subiungitur dein tabula merſorum ex aqua ex-
tractorum a die 16 iunii 1772 vſque ad finem
martii 1773, et primo quidem viginti trium, qui p. 11.
ſeruati ſunt (ex quibus tamen, qui n. 4. adducitur,
tertio die ex aliis forte cauſſis obiit); deinde quin- p. 35.
que, in quibus auxilia incaſſum adhibita ſunt,
quae tamen in vno alteroue peruerſe in vſum du-
cta eſſe nullum fere dubium remanet; tandem duo- p. 41.
rum, in quibus experimenta nulla capta ſunt,
quum eadem inutilia cenſerentur, quod tamen iure
quidem reprehendit Noſter. Ex addita notula vide- p. 44.
mus inſtitutum ſocietatis Amſtelaedamenſis, eum, qui
merſum in vitam reuocauerit, numo ſingulari no-
mine ipſius inſcripto, condecorandi, magiſtratui
Pariſienſi etiam ad imitandum propoſitum fuiſſe,
ſed ob cauſſas particulares nondum acceptum; ſpe-
randum tamen eſſe, illud in poſterum futurum.

Sequitur reſcriptum anno 1740 Pariſiis euul- p. 49.
gatum *), cuius, Ill. quondam DE REAUMUR
auctor fuit, et quum exempla per totum Gal-
liae regnum diuulgata eſſent, recentior editio cura-
ta eſt 1758, et rurſus 1769. Cl. LE CAT anno p. 58.
1755 ſuperiorum iuſſu iudicium de eo tulit, vt ci-
ves ad auxilia haec praeſtanda incitaret: eodem
quoque anno Inſulis Cl. ROBERT, ſenatus prae-
fectus (*Prevoſt*), cum chirurgis huius vrbis, Cl.
VINCHANT et CHASTANET, praecipua eius- p. 59.
dem momenta in compendium redacta ciuibus
ſuis propoſuerunt. Pariſiis vero tunc demum,

*) vid. comm. noſtr. Vol. III. p. 517.

p. 61. quum Cl. DE LA MICHODIERE ſenatui praeeſſet, ſedulo coeptum eſt opus, publicato reſcripto magiſtratus, quod hic inſeritur, in quo merito illud auxilii genus, quod in priori edicto ſuadebatur, vt merſus in dolio circumuoluatur, tanquam noxium interdicitur, ſimulque (quod forſan vnum adhuc defuerat ad exſequendum adeo laudabile in-
p. 69. ſtitutum) praemium 48 librarum Gallicarum conſtituitur, ſeruata proportione quadam inter eos, qui opem tulerant, diſtribuendum; dimidia ſumma tunc ſoluenda, quum auxilia fruſtra adhibita fuerint. In ſingula domo ad excipiendos milites ſtationarios extructa (*Corps-de-Garde*), quarum quindecim ſunt in diuerſis vrbis regionibus, eſt
p. 74. ciſta (*Boîte-Entrepôt*), quae continet inſtrumentum ad clyſterem ex fumo nicotianae, ſpiritum ſalis ammoniaci, ſpiritum vini camphoratum, pannos rudiores (*flanelle*), pileum et induſium ex lana confecta, denique doſes aliquot emetici, et vncias duas nicotianae in quatuor partes pro totidem doſibus diuiſas; quibus remediis quomodo vtendum ſit, ſchedula operculo ciſtae agglutinata docet.

p. 78. Succedit epiſtola Cl. Abbatis JACQUIN ad editorem diarii illius, quod *Mercure de france* dicitur, eiuſdem menſi auguſto anni 1772, p. 185. inſerta, qua ſuadetur, vt praeter conſueta auxilia merſi cineribus calidis obtegantur: ad quam reſpondit
p. 83. Noſter in eiuſdem diarii menſe nouembri 1772, p. 181. qui illud tamquam minus commodum, imo adeo, partim ob iacturam temporis, partim ob ambuſtiones metuendas periculoſum reiicit, neque vllum exiſtere de vſu eius teſtimonium, ſolo excepto Cl. ISNARD *), contendit. Concedit tamen, admini-

*) Le cri de l'humanité en faveur des perſonnes noyées;

adminiculis in ciſta contentis addi poſſe tibialia ex p. 89.
panno confecta: ceterum ſi quis cineribus vſus
eſſet, qualis etiam a balneis calidis patet, tamen Pariſienſes in auxiliis ſupra allegatis poſſe acquieſcere.

Sequuntur conſilia Ill. DE HAEN *), adiuncta p. 92.
verſione Gallica, et index chronologicus ſcriptorum, p. 200.
qui de merſis atque auxiliis iiſdem ferendis ſcripſerunt, ſatis ille quidem imperfectus, cuius vero ſupplementa vt ad librarios, qui libellum hunc vendunt, tranſmittant eruditi, modeſte ab Auctore noſtro rogantur. Pari modo externae Galliae prouin- p. 111.
ciae inuitantur ad communicandas obſeruationes ſuas cum Cl. PIA, ſenatus olim Pariſienſis aſſeſſori (*ancien Echevin*), qui officium directoris auxiliorum merſis praeſtandorum in ſe ſuſcepit.

In ſupplemento, praemiſſa introductione, pri- Supl. I.
mo iterum epiſtola Cl. JACQUIN, et huic ſubiun- p. 6.
cta reſponſio Auctoris Noſtri anonymi exſcriptae p. 16.
ſunt: horum denique vterque, argumentis in vtramque partem prolatis, in ſua perſiſtit ſententia. Poſtea catalogus merſorum, eodem vt in priori libello modo, nempe viginti duorum, qui ſeruati p. 29.
ſunt, ex quibus duae feminae ex conſilio ſe merſerant, et foricarius, prius mephitide cloacae ſuffocatus, in aquam illapſus erat; ſeptem, in quibus p. 65.
auxilia fruſtra impendebantur; ac denique infantis, p. 73.
qui nimio iam tempore elapſo ad ea loca defere-

I 5 batur,

noyées; ou moyens faciles pour les rappeller à la vie; ouvrage très-intereſſant, qui a remporté le prix des arts à l'Académie des Sciences de Beſançon; par Mr. ISNARD. Paris 1762. 8.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 648. ſeq.

batur, vbi auxilia applicari potuiſſent. Praeterea per totum hoc tempus nouem menſium viginti cadauera merſorum ex Sequana extracta fuerunt.

p. 79. Poſtmodum recenſentur experimenta quaedam in diuerſis regni locis, quamquam non eodem cum ſucceſſu, capta, vbi ſimul iuſtiſſimis laudibus ornantur inſtituta Ill. ducum DE LA VRILLIERE et DE LIANCOURT, illius in ducatu eius, huius Salmurii. p. 90. Cl. SALMON, ſupremus chirurgus legionis deſultoriae Rupefucaldienſis primariam cauſſam infelicis euentus, quem expertus eſt, in omiſſa deligatione venae iugularis, quae ſeſquihoram antea, quam adueniret, ſecta fuerat, ponit: conſuetam autem in hac operatione deligandi rationem faſciamque reiicit, et vel ichthyocolla (id enim commodiſſime ſub *veſſie de carpe* intelligi poſſe arbitramur) vulnus obtegi, vel eodem modo tractari ſuadet, quo fabri ferrarii in venae ſectione equorum vti ſolent.

p. 97. Sequitur hiſtoria quaedam de ſuffocatione a mephitide cellae vinariae, quam fuſius expoſuit Cl. BAUMÉ *): lumen in cella exſtinguebatur, canis duos homines, alterum virum, iuuenem alterum, deſcendentes conſequens protinus moriebatur et vterque hominum protinus ſtupidus poſt 15 minuta ſecunda regredi conabatur, ſed fruſtra; iuuenis poſt varios irritos conatus inter duo dolia ſpiritu terebinthinae repleta ſupinus cadens ſuffocabatur: vir autem, duobus minutis primis a deſcenſu in cellam elapſis, cum dulciſſima quadam, ſed nullo modo exprimenda, ſenſatione omnium ſenſuum priuabatur, vt ſic in ſcala collocatus

*) in diario Cl. Abb. ROZIER: obſervations ſur la phyſique, ſur l'hiſtoire naturelle, & ſur les arts, Ianvier 1774. p. 16.

catus (quum inuenis ſub eam ſe contuliſſet adeoque halitus deleterios largius hauſiſſet) poſt ſeſquihoram inuentus demum eſt. Tunc enarratur hiſtoria cuiuſdam ex ſcriptis ſocietatis Amſtelaedamenſis, qui ex vapore carbonum ſuffocatus inuentus eſt, ſed indefeſſa cura Cl. STILTINGII in vitam reuocatus: ac denique infantis recens nati, qui pro mortuo habitus, ſed tamen reſuſcitatus eſt. ex diario gallico, quod *l'Avant-coureur* dicitur. p. 103. p. 111.

XIV.

Le Secret des SUTTONS dévoilé ou l'inoculation miſe a la portée de tout le monde Par I. I. GARDANE à la Haye & ſe trouve à Paris chez Ruault libraire rue de la Harpe 1774. 12. pagg. 96.

i. e.

Secretum Suttonianum ſiue vbique vulgata inſitio variolarum a I. I. GARDANE detectum.

Inquirit hic Noſter primum in methodum Suttonianam variolas implantandi et in eas methodos, quae inde ſunt ortae; dein ratione aeque ac experientia hanc methodum Suttonianam praefert reliquis et eam vulgat. Finit hunc libellum, in germanica verſione *), iudicium de methodo Suttoniana, datum a medicis et chirurgis regiis Anglicis.

Nihil

*) I. I. GARDANE *entdecktes Geheimniß derer* SUTTONS *oder die der ganzen Welt bekanntgemachte Einimpfung der Pocken. Aus dem franzöſiſchen überſetzt von* D. R. C. F. OPITZ. *Berlin und Leipzig.* 1775. 8.

p. 1. Nihil amplius dici poteſt, vti Noſter putat, contra inſitionem hancque oportet praeferri naturali infectioni. Praefert Cl. GARDANE cum Ill. SVTTONS, DIMSDALE et GATTI *) puncturam, ita tamen, vt ne ſanguis emanet. Pus varioloſum ſiccum et recens eſſe poteſt. Specificum Suttonianum eſt aër liber. Puluis e mercurio et aliis remediis, quem et Cl DIMSDALE **) ſuadet, a Noſtro reiicitur. Reditum variolarum tam naturalium, quam artificialium non omni exceptione maiorem iudicat.

p. 65. Recens pus veteri eſt praeferendum et maturum eſſe debet. Dentitio videtur Noſtro contra inoculationem indicare, item menſtrua, licet Noſter vidit et tum, cum menſtrua fluebant, feliciter inſeri variolas. Mercurialia in praeparatione reiicit et laudat rhabarbarum. Optat et Noſter noſocomium, quo inoculatio fieri poſſit.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 211. ib. XVI. p. 694 et 698. ib. Vol. XVII. p. 468.

**) vid. ib. Vol. XVI. p. 695.

XV. HEN-

XV.

HENRICI IOSEPHI COLLIN obſeruationum circa morbos acutos et chronicos factarum Pars II Vien. apud Rudolphum GRAESSER 1772. 8. pagg. 208. Camphorae vires ſiue obſeruationum circa morbos acutos et chronicos factarum Pars III. ib. apud eundem 1773. 8. pagg. 160. Florum Arnicae vires et quaedam de muſti hordei vſu ſiue obſeruationum circa morbos acutos et chronicos factarum Pars IV. ib. apud eundem anno et forma iisdem. pagg. 173.

Ad has tres partes, quas hic coniungimus, pertinet prima pars, quae inſcripta eſt annus medicus tertius et a nobis iam indicata *), vbi et operis huius rationem dedimus. Hae itaque quatuor partes ſiſtunt volumen vnum ſeu annum medicum tertium, cuius primum et ſecundum iam dudum Ill. DE STOERCK **) edere coepit.

Offert hic nobis haec pars ſecunda tria capita de colchico in hydrope, de aconito et hyoſcyamo, atque de polygalae amarae radicis contra ſuppurationem pulmonum et phthiſin pulmonalem vſu. P. II.

Colchici autumnalis vſus medicus tutus, quem Ill. STOERCK ***) et Cl. KRATOCHVILL ****) P. I.

et

*) v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 521.

**) v. comm. noſtr. Vol. IX. p. 475. Vol. X. p. 271.

***) v. ib. Vol. XIII. p. 127.

****) v. ib. p. 130.

et in aliis morbis difficillimis monſtrauit, hic in hydrope exemplis triginta octo probatur feliciſſimo cum euentu, aſſeritque Noſter non omnes felices caſus eum hic narraſſe, cum nihil diuerſi amplius habeant, quam ii, quos hic retulit; alias vltra centum obſeruauit. Semel illud remedium fruſtra dedit. Lene et tutum eſt remedium, in aſciticis ſtricta fibra praeditis citius et minori doſi agit colchicum, quam laxa. Vis eius eſt ſoluens et diuretica, potens in abdomen aeque, ac in pectus. Pulmones enim a glutine tenaci inopinato liberat. Bonum ſignum inter eius vſum eſt vrina fuſceſcens vel fuſca cum enaeoremate fuſco, nigroue craſſo, ſedimento mucoſo leui mixto granulis varie coloratis. Si alui fluxus nimius oriatur, inprimis in debilioribus, coercendus eſt opio; quippe quod non raro ſalubrem ſudorem efficit, nec excretionem vrinae turbat. Interdum ſudore quoque per totum corpus tollitur morbus; quandoque nulla facta notabili euacuatione tumor hydropicus ſub vſu colchici collabitur.

p. 128. Doſis colchici non poteſt determinari. Bulbus vero recens et ſucculentus eſſe debet. Dedit Noſter per diem vncias quatuor hydropicae eamque curauit. A minori doſi eſſe incipiendum ſuadet Noſter. Colchicum omnibus antihydropicis remediis praefert Cl. COLLIN, ſecure poteſt exhiberi et praeſente febre, cui medetur. Nihilominus tamen ſunt aliquando hydropes, qui colchico non cedunt, ſed aliis medicamentis. Sic vidit Noſter, Ill. STOERCKIVM mixtura ex vino Auſtriaco et lapidibus cancrorum hydropi mederi et Noſter eadem mixtura ipſe cuidam hydropico profuit, cui ſalia, millepedes, ſquilla, colchicum aliaque fruſtra fuerant exhibita. Interdum et alia medicamenta colchico ſunt apponenda, vt leniter ſtimulantia,

lantia et ſalia, roborantia e. gr. cortex Peruuianus et limatura martis, cet. Plerumque autem colchico curatur morbus et dein aliis medicamentis cura confirmatur.

Aconiti *) vſus in morbis arthriticis febre quartana, ſimilibuſque hic laudatur atque confirmatur. Extractum hyoſcyami **) conuulſiones ſedauit. Exhibuit vero illud ad duodecim, viginti quatuor grana et drachmam dimidiam quotidie. p. 160.

Vſus eſt Noſter radice polygalae amarae in ſuppuratione pulmonum et pthtiſi pulmonali. Communicat hic Noſter caſus quindecim, quibus multo plures addere aeque felices noluit. Apparet enim ex his obſeruationibus radicem polygalae amarae eſſe remedium balſamicum detergens, conſolidans roborans inſimulque demulcens, nec non in hoc morbo princeps remedium. Iis, qui habent pulmonum indurationes, ſcirrhos, pulmones valde conſumtos ſeu adnatos, hepar, pancreas, meſenterii glandulas cet. obſtructa indurataue, polygala non conducit. Exhibuit Noſter in his caſibus cicutam cum emollientibus et minori polygalae doſi cum bono effectu. Solidis nimis tenſis irritatis, emollientia, paregorica ſunt praemittenda polygalae, item in pectoris conſtrictione. Absque his cautelis nihil efficitur aut pariter nocetur, ac ſi cortex Peruuianus, viſceribus obſtructis datur. Radix eſt inefficax, cortex ideo eligendus eſt. Decocti polygalae vncias duas exhibuit Noſter praeſtitit autem et effectus minor eius portio. Decoctum p. 152.

*) vid. comm. noſt. Vol. XI. p. 237. ib. Vol. XVII. pag. 669. et 673.

**) ib. Vol. XI. p. 237. ib. Vol. XVIII. p. 535.

coctum ita paratur: ℞ radic. Polygal. unc. ʒ. conſc. coq. c. aqu. ſimpl. lib. III. ad remanent. lib. jß. addat. Syr. hyſſop. diacod. aâ unc. j. M. D. Bonus effectus eſt, ſi decrementum ſudoris plerumque comitatur maior diureſis. In hydrope a nonnullis haec radix ſuadetur, a Noſtro autem non laudatur. Pleuritide inflammatoria affectis polygala augendo ſymptomata nocet; ſi vero in ſuppurationem abiit pleuritis, cautelis, quas paullo ante dedimus obſeruatis, prodeſt. Non raro lichen Islandicus, qui pariter huic morbo medetur, cum polygala combinatur. Haec planta veteribus iam nota et ab iis adumbrata hic curatius deſcribitur. Finiunt hanc partem ſecundam formulae nonnullae.

P. III. Veniamus nunc ad tertiam. Praemiſſis viginti et nouem morborum hiſtoriis, quae plerumque vlcera gangraenoſa et ſphaceloſa carcinomatica, maligna ſatisque magna atque periculoſa ſiſtunt, vbi et oſſa ipſa corrupta et exfoliata ſunt, corollaria, quae camphoram eiusque vires et vſum ſpectant, ſunt addita. Exhibita eſt camphora ita, vt quotidie vncia dimidia vterentur aegri, nonnullis interne pariter et externe illa applicata eſt in vnguentis, in in enematibus iniectionibusque vterinis et in ſinuoſis vlceribus. Cum gummi Arabico optime combinatur. Conduxit in doloribus arthriticis, in oculi conuulſionibus, in leucorrhoea, camphora cum gummi arabico compoſita. Ac quidem fluorem album malignum enemata camphorata vterina egregie iuuarunt.

p. 145. Camphora eſt efficaſſimum remedium contra putredinem. Putridam humorum diſſolutionem ſponte vel a contagio natam cito ſiſtit, naturalem ſanguinis reſtituit mixtionem; gangraenam partium

ſolida-

ſolidarum promtius et efficacius nihil, quam camphora ſiſtit et mortua a ſanis cito ſeparat. In acrimonia ſcorbutica, rheumatica, arthritica, ſpecie quadam putredinis in humoribus, vires vitales et animales labefactantis, efficax eſt remedium camphora. Vlcera inde nata eius vſus tam internus, quam externus purat, ſuppurationem iis conciliat atque conſolidationem. Vlcera cancroſa a ſpeciali humorum et ſolidorum degeneratione orta extra glandulas ſita, conſumpta fungoſitate, cicatrice firma obducit. Mammae cancro putreſcente atque ſigna letalia efficiente affectam 84 annorum vetulam camphora Noſter ſeruauit per aliquod tempus. Subito gangraenae ſucceſſit ſuppuratio et vires refocillabantur, reſpiratione tamen praeternaturali, quae, vti ex cadauere apparebat, e ſcirrhis et vomicis pulmonum pendebat, ſcirrhi ſimiles et in meſenterii glandulis reperiebantur.

Sudores a putrida reſolutione humorum cum inde natis ſolidis laxis corrigit, ſitim, calorem, febrim, vaſorum tenſiones, tendinum ſubſultus ab acri putrido oborta promte tollit camphora. Vires inde proſtratas cito reſtituit, humores denſat et ſolida firmat. Excretionem acrimoniae ſedando vel minuendo febrim promouet. Emphyſemata cito diſſipat, niſi humorum putredo nimia ſit. Camphora non eſt remedium prophylacticum contra miaſma epidemicum putridum, licet putredinem humorum corrigat, vires ſuſtineat erigatque ad venenum e corpore eliminandum. Venerei larga camphora doſi ſpaſmis atque febre corripiuntur, aliiſque ſymptomatibus: putredine autem humorum praeſente, et his prodeſt. Plethorici camphoram non ferunt et omnino nocet ea ſanitati firmae. Nerui eorum obtuſi et ſenſu priuati eſſe debent, qui camphora ſunt vſuri, alias ebrii vertiginoſique fiunt p. 147.

ſpaſmisque male afficiuntur. Camphora mucilaginoſis optime miſcetur. Humoribus ſpiſſioribus redditis, camphora non vlterius opus eſt.

p. 154. In excreſcentiis fungoſis vlcerum externe praeſtat puluis camphorae, digitis tritus. In pyxide enim aſſeruatus cito in moleculas coit, quae irritant et cicatricem impediunt. Si puluis hic non ſufficit, camphora ſpiritu nitri forti ſaturata, in oleum deliqueſcens leniſſimum fit eſcharoticum. Externus eius vſus vbique locum habet, gangraena praeſente. In ſicca conuenit mucilago camphorae tepefacta, in humida puluis et vel ſicci puluilli vel mucilagine camphorata illiti. Finiunt hanc partem formulae camphoratae.

P. IV. Quarta pars haec habet capita 1) denominatio et deſcriptio plantae a Cl. WELL. 2) Flores arnicae antiparalytici. 3) Flores arnicae contra amauroſin. 4) Antiſpaſmodici. 5) De muſto hordei.

p. 5. Paralytici caſus ſunt viginti et octo, quibus flores arnicae profuerant, interpoſitis laxantibus,

p. 59. praeter vnum, qui mortuus eſt febre. Habebat autem pulmonem dextrum gangraenoſum, vertebras carioſas et inter eas abſceſſum. Nonnullis aegris, vlteriorem florum vſum non ferentibus, extractum aconiti exhibuit.

p. 79. Nouem exempla hic Noſter narrat, in quibus flores arnicae amauroſin iuuarunt. Pupillae minus dilatatae magis mobiles reddebantur et ad contractionem diſponebantur inter eorum vſum. Circa finem curationis dolores acerbi in oculis ſentiebantur.

p. 107. Caſus ſeptem probant vim antiſpaſmodicam florum arnicae. Quidam vi electrica quaſi tacti concutiebantur ab vſu eorum, alii ſenſum formicarum ſecundum dorſi ſpinam ſentiebant.

Sequuntur

Sequuntur iam ex his tribus capitibus corolla- p. 124.
ria, vires florum arnicae ſpectantia. Hi in corticis cerebri obſtructa infarcta debilitataque vaſcula, quibus tenella medulloſa ſtamina continuantur, agunt. Materiam ibi collectam, vel per metaſtaſin illuc delatam ſoluunt, mouent, vaſcula deobſtruunt et ſpirituum neruoſorum ſecretioni idonea reddunt. Conducunt quoque in hydrope articulorum et oedematoſis tumoribus. Vires roborantes exſerunt in languidis, cachecticis et cacochymicis et animi praeterea alacritatem iuuant. Paralyſes, a neruis compreſſis ortas, iuuant flores, niſi a neruis collapſis concretiſque immedicabilis obſtructio nata fuerit. Amauroſin, pariter inde ortam feliciter curant, memoriam infirmam firmant, deliriis officiunt, ſenſibilitatem caloremque reſtituunt. Videtur itaque hoc medicamentum virtute quadam ſpecifica in ſenſorium commune et neruos agere.
Vſum florum plerumque comitantur formicatio, p. 129.
dolores lancinantes, vrentes, electricis ſimiles concuſſus et ſunt ſigna bona prognoſtica. Secretionem enim ſpirituum in cortice cerebri denuo fieri, neruos iterum peruios euadere videntur probare haec ſigna. Flores arnicae in quibuſdam vrinam pellunt, ſubinde ſudores mouent, ſaepe curant ſine euacuatione ſenſibili. Si neruorum et ſenſorii communis morbi febrim magnam, plethoram et ſpiſſitudinem inflammatoriam prodant, tunc euacuantia, refrigerantia, antiphlogiſtica cet. arnicae floribus ſunt praemittenda, alias morbi vires augent, et ſi aliqua ſuſpicio reſtet, nitrum et poteſt addi floribus arnicae. Aluus inter eorum vſum ſemper libera eſt ſeruanda; igitur laxantia ſunt interponenda partim ad deriuandam, partim ad eliminandam motam materiam. Ab initio ex vſu horum florum ſentiunt aegri quandam interdum moleſtiam in epi-

gaſtrio, hypochondriis, quam varie explicant, raro vomitum cauſſant. Haec moleſtia vero poteſt leniri additis inuoluentibus, demulcentibus, paregoricis, quae vim remedii in neruos ventriculi et vicinorum viſcerum obtundunt. Ad odorem et ſaporem, ſi diſplicent aegris, mutandum, alia laudata contra paralyſin remedia addi poſſunt arnicae floribus, qui hoc conſortium non reſpuunt. Praeterea Noſter pollicetur alia occaſione dicere de virtute horum florum et in aliis morbis.

p. 133. Viginti exempla declarant vſum muſti ſiue infuſi malthae hordei varium. Laudatum hoc iam a Cl. MACBRIDIO *) remedium egregium eſt antemeticum, antiputredinoſum, antiſcorbuticum, digeſtionem ciborum iuuans et corrigens, ſitim cito ſedans et bonum nutrimentum. Conuenit itaque in ſcorbuto, in ventriculi debilitate, in appetitus proſtratione, dyſenteria cruenta ſeu rubra, vomitu, oedemate corporis a cachexia, in putredine cet. Pariter finitur haec pars formulis.

XVI.

BARTHOLOMAEI PARR diſſ. inaug. de balneo. Edinburgh. apud Balfour et Smellie academiae typographos 1773. 8. pagg. 47.

p. 1. Ergo de aquae ſimplicis calefactae effectibus praecipue diſſerere fert animus Noſtri; quibus rite conſtitutis, de aliis facilius erit iudicium. Ac primum quidem de caloris humani incremento ex balneo diſſerit, qui definitur ad normam thermometri Fahrenheitiani. Experimenta ea propter inſtituit varia et cum pediluuio et ſemicupio comparauit balneum. En effectus balnei.

Muta-

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 459. Vol. XIV. p. 344.

Mutationes ſolidi ſimplicis. Vis illa emolliens, p. 8.
qua pollet balneum, explicatu certe difficilis eſt. Solidi ſimplicis conditio ab aqua et materia quadam alia concreſcente praecipue pendere videtur et huius quantitate aucta rigidior, illius autem flexibilior euadit. Articulorum flexilitas balnei ſequela forſan mutationibus vaſorum, membranoſis partibus inſtructorum, eſt adſcribenda.

Mutationes, quae a balneo *ſanguini* inferuntur, p. 9.
duae ſunt, tenuitas et moles aucta: vnde, vt nonnullis viſum eſt, auctae ſecretiones, tumor et rubor faciei.

Mutationes ſolidi vitalis. De conſenſu ſeu ſym- p. 14.
pathia neruoſarum atque ſenſilium partium cum vaſis diſputans, ſyſtema neruoſum ſenſilius et debilius fieri debere balneo monſtrat.

A balnei in ſolida viua actione manifeſto ſunt p. 16.
effectus primarii, et ad eos potiſſimum in medela eſt reſpiciendum. Vis, qua pollet aqua calida, eſt relaxans et ſedans, ſed calore aucto, ſtimulum quam maxime generalem praebet. Ab hoc igitur diuiſio primaria petenda eſt et ex vi ſedante et ſtimulante indicationes de balnei vſu ſunt deriuandae.

Dum itaque balneum relaxat indeque ſedat et p. 17.
humores deriuat, eo morbis ab imminuta irritabilitate vel nimia fibrarum motricum contractione occurritur. Inprimis obſeruandum eſt, hanc contractionem aut permanere conſtanter, aut cum relaxatione alternari; illa ſpaſmus, haec conuulſio nuncupatur. Sequitur vero Cl. GAVBIVM, qui vtrumque affectum ad idem genus refert. Hyſteria, epilepſia, tetanus et triſmus, ſimilesque morbi ferunt balnea.

Febres a ſpaſmo vaſorum extremorum pendent, p. 21.
inde iis prodeſt balneum. Aegyptii eo in omnibus omnino febribus familiariſſime vſi ſunt in earum

declinatione et Cl. CVLLEN aſſerit, balneum in febrium initio nequaquam tantas, quantas in declinatione exſerere vires.

p. 33. Exemplis probat Noſter balneo in omni inflammatione caute eſſe vtendum, neque vnquam prius,quam tollatur diatheſis phlogiſtica, qua ablata, omnino ſublatus plerumque videtur morbus.

p. 37. Hactenus de balnei relaxante vi in haemorrhagiis, phlegmaſiis, phrenitide, peripneumonia, rheumatiſmo, amenorrhoea cet. a Noſtro dictum eſt, iam de eius vſu in morbis ex acrimonia agitur. Atque hi morbi ſunt, morbi cutanei, hydrophobia et ſyphilis, in quibus balneum ad deriuandam et eliminandam acrimoniam laudatur. Nec minus conducit balneum in morbis ab inaequali ſanguinis circuitu, e. gr. diarrhoea et inueterato catarrho.

p. 40. De balnei vſu, quatenus ſtimulat. In paralyſi generatim diſſentiunt medici de balnei vſu Noſter ea propter in cauſas inquirit indeque eam litem ita dirimit: *Cauſae efficientes ſunt, eae quae ſanguinis copiam maiorem ad caput deriuant, in cerebri vaſis rupturam, ſaltem ſeri effuſionem producturam. Aliae ſedandi vi pollent et mutationem quandam cerebro inferunt, cultro anatomico minime indagandam. Vtrum vero haec in ipſam neruorum organiſationem, an in ipſum fluidum agant, incertum eſt; cum vero effluuia nullam vim ſolidae neruorum compagi inferre queant, a fluido, quod inhaeret neruis, mutato, oritur forſan malum. Hinc facile videmus, huic caſui vtile eſſe balneum, illi vero noxium.*

p. 43. De balnei abuſu in corporibus relaxatis, in chloroſi, amenorrhoea et ſcorbuto a debilitate, in peſte, febribus putridis, aſthmate cet. hic a Noſtro diſputatur, ac finitur hic libellus academicus lectu dignus monitis de adminiſtratione balnei.

XVII. D.

XVII.

D. IOACHIM FRIDERICH BOLTEN *Nachricht von einem mit dem künſtlichen Magneten gemachtem Verſuche in einer Nervenkranckheit. Hamburg in der Heroldiſchen Buchhandlung* 1775. 4. *Seiten* 16.

i. e.

Relatio experimenti cuiuſdam, magnete artificiali in morbo neruoſo facti. Auctore Cl. IOACHIM FRIDERICO BOLTEN.

Variae hactenus obſeruationes ad vim magnetis medicam definiendam et confirmandam ſunt collecta *). Inter alios morbos et neruoſis affectionibus mederi dicitur magnes. Quapropter narrat hic Cl. BOLTEN morbum conuulſiuum hyſtericum, cum tetano maxillae et deglutitione impedita, in quo, multis aliis remediis fruſtra exhibitis, et a magnete exoptatum et ab aliis laudatum bonum effectum minime vidit. Variis corporis locis ſubinde applicati ſunt magnetes artificiales a *Schüblero* fabrefactae ſine vllo aegrae nec grato nec ingrato ſenſu, absque vlla morbi et eius ſymptomatum mutatione.

Ipſe Noſter malo iſchiadico interdum vexatus p. 12. magnetem per duodecim horas loco dolenti appoſuit ſine vllo ſenſu et dolorum decremento. Nihilominus tamen non plane negat Cl. BOLTEN magnetis effectum in corpus humanum, quoniam ſanguini inſunt particulae, in quas magnes ſua vi, quae ab hoc vel illo ſentiri poteſt, agat; verum enim vero in neruoſis affectionibus de eius virtute valde dubitat.

 Finiunt

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p.

Finiunt hanc obſeruationem de ſingulari hoc morbo neruoſo, cuius finem eſt communicaturus Cl. BOLTEN nec curatio locum in eo habere videtur, aduerſaria ex diario IOSEPHI DA FONSECA; ex quibus pariter apparet, magnetes, licet nouem ſimul vna vice ſint applicati variis locis corporis, plane nihil praeſtitiſſe, nec ad morbum leuandum, nec ad ei medendum.

XVIII.

Bifolium chemico - phyſico - metallicum, *beſtehend in zwo beſondern Abhandlungen, deren die erſte den Zink und Galmey, die andere aber den Arſenik, benebſt einigen Merkwürdigkeiten, gründlich unterſuchet. Ausgefertiget und zu weiterer Vnterſuchung ans Licht geſtellet, von* I. L. AB INDAGINE, L. M. *Amſterdam und Leipzig, bey Iohann Schreuder,* 1771. 8. pagg. 227. ſine praefat.

i. e.

Diſſertationes duae ſingulares, prima de Zinco et lapide calaminari, altera de arſenico cet. Auct. I. L. AB INDAGINE.

De auctore huius aeque ac ſubſequentis libelli nihil nobis conſtat, niſi, quod ipſe tradit, ſe 1757 edidiſſe tractatum, cui titulus: MONTESCI *gründliche Anweiſung zur hermetiſchen Wiſſenſchaft.* Neque iam in ſcribendi genere morabimur, quod variis videatur minus accommodatum ad praeſentis ſeculi genium; nec myſticorum effatorum veterum chemicorum explicationes, ſaepius aeque myſticas, iam ſtudioſius adducemus: ſed quae intellectum noſtrum non ſuperare inuenimus, nunc Lectoribus noſtris tradamus.

Primo

Primo igitur de Zinco eique cognato lapide ca-
laminari, de quibus admodum paucos auctores egiſſe
conqueritur Noſter. Zincum eſt ſubſtantia ſemime- p. 9.
tallica, cuprum flauo colore tingens. Vtrum illud
veteribus incognitum fuerit? ideo dubitari poteſt, p. 14.
quoniam ars orichalcum conficiendi, quae ope
principii Zincoſi in lapide calaminari reperiundi
fit, antiquiſſima cenſenda eſt. De origine Zinci, p. 17.
ex HENKELII pyritologia. Error eorum, qui p. 20.
illud ex ſtanno et ferro oriri aſſerunt. De relatio- p. 24.
ne Zinci ad biſmuthum, plumbum, ſtannum, mer-
curium, antimonium, auripigmentum et cuprum.
Si mercurius cum Zinco ſine igne amalgamatur, p. 28.
in retorta deſtillatur, et duabus adhuc vicibus
cum recenti Zinco amalgamatur iterumque deſtilla-
tur, *Anima Zinci* imbutus facultatem nanciſcitur
argentum deaurandi: quod etiam vidit Noſter,
cum mercurium in alembico vitreo ex ſolutione
Zinci, ope aceti vini et ſalis ammoniaci parata, co-
xiſſet. De regulo, debitis cautelis adhibitis, ex
Zinco et auripigmento obtinendo, multa praeclara p. 31.
et ſingularia pollicetur. Ad metallum ſic dictum
robertianum optimum efficiendum, praecipit li- p. 33.
bram dimidiam cupri iaponici et vnam vel ſeſqui-
vnciam Zinci indici, ita quidem, vt metallo lique-
facto iniiciatur compoſitio ex tartaro et vitro cum p. 26.
pauxillo cinerum clauellatorum; cum iniecto Zinco
in particulas minutas diuiſo, ignis ſubito augendus,
et maſſa quam primum fluit, effundenda eſt. Por- p. 35.
ro de rapacitate et volatilitate Zinci, qua adiuncta
etiam metalla in ſublime rapit: neque crucibula p. 37.
luto obturata Zincum in furro anemio per dimi-
dium tantum horae tractatum continere poſſunt.
De dubia ſignificatione vocis cadmiae fornacum p. 38.
(*Ofenbruch*) deque variis eius ſpeciebus, ex HEN-
KELIO ſuperius iam laudato.

p. 40. Caput ſecundum de mineris Zinci. Zincum natiuum res a veri ſimili prorſus aliena eſt: neque vero minera quaedam eiuſdem, in ſenſu proprio, exſtat, ex qua illud eliquetur. Goslariae ex congerie minerarum, quae illud ſublimando ſuppeditant, plura ſimul alia metalla ac mineralia educuntur.
p. 44. Praecipua vero harum minerarum dici debet lapis calaminaris.
p. 46. De mineris quibuſdam, falſo pro mineris Zinci aſſumtis, et potius ad biſmuthum referendis.

p. 49. Caput tertium de lapide calaminari in ſpecie agit, primo de ambiguitate vocis cadmiae foſſilis. Noſter minerale iſtud (quod quidem minus adaequate *lapidem* dici ipſi largimur) cadmiam foſſilem zincoſam nominat, et definitionem ſubiungit,
p. 52. quod conſiſtat ex terra limoſa martiali, in qua principium Zincoſum ſatis inſigni copia ſe inſinuaverit.
p. 54. De characteribus accidentalibus eiuſdem, figura, colore, pondere, inflammabilitate. De ſtratis terrae et matricibus, in quibus reperitur, ex HENKELIO.
p. 56. Notae bonitatis eiuſdem. De mira eius in vnionem cum cupro procliuitate.
p. 60. Acris cenſura IVGELII, virtutem cuprum tingendi principio martiali adſcribentis; quum ipſa experientia monſtret, orichalcum cum tinctura martis fuſum colore flauo penitus priuari.

p. 67. Caput quartum de productis ex lapide calaminari, nimirum floribus, vitriolo, et ſpiritu minerali,
p. 76. cuius praeparatio prolixe ex IVGELII chemia experimentali adducitur.
p. 82. De vſu lapidis calaminaris in expellendo acido nitri et ſalis communis. De ſale viridi, ex lapide calaminari et nitro ad
p. 84. mentem GLAVBERI parando: ſal tartari idem praeſtat, ſiquidem nitrum non, niſi in alcali mutatum

tum agit; magnum huius ſalis vſum in fundendo au.) memorat Noſter. De productis Zinci, flori- p. 90. bus, cinere, et fraudibus hic obuiis, eaſdemque detegendi ratione, de mercurio Zinci, de tutiae variis ſpeciebus et eam adulterandi modis cet. Si flores Zinci in aceto deſtillato, cui tertia pars p. 98. ſpiritus nitri addatur, ſoluuntur, ſolutio ad mellis conſiſtentiam inſpiſſatur, poſtmodum pluuiali ſolvitur, filtratur, et ad geneſin ſalis euaporatur, huic poſtea aequale pondus offae HELMONTII additur, per tres quatuorue dies in vaſe bene clauſo digeritur, tum addita ſpiritus rorismarini ſufficiente quantitate per aliquot dies digeſtio continuatur, ac denique tinctura haec per alembicum deſtillatur, vt ſimul ſal tranſeat: medicamentum inde habebis egregium neruinum, ad decem guttas pro doſi exhibendum. Tandem de depu- p. 108. ratione zinci, ex HENKELII annotationibus ad RESPVRIVM.

Sequitur iam relatio LOEHNEISII *) et p. 111. CRAMERI **) de ratione Zincum parandi, et denique appendix de aere corinthiaco et auro viridi. Poſtquam de antiquitate orichalci diſſeruit Noſter, p. 117. aſſumit Cadmum lapidis calaminaris eiuſque vſus primum fuiſſe inuentorem, artificiumque iſtud Corintho primum ad altiorem gradum effectum, ſed pro ſingulari arcano habitum eſſe, vnde etiam prouerbium natum ſit: non cuiuis contingit adire Corinthum (quam quidem originem vtrum vnus criticus hariolando tantum aſſequuturus fuiſſet, nos vehementer dubitamus); indeque aes corinthiacum et orichalcum res eſſe eiuſdem tenoris.

Experi-

*) *Bergbuch*, p. 83.
**) *Probierkunſt*, P. I. §§. 461—464.

p. 124. Experimentum aliquod cum lapide calaminari, auro colorem viridem conciliante, eo deducit Noſtrum, vt colorem primitiuum auri caeruleum ſtatuat, adeoque lapidi calaminari colorem flauum tribuit: de hoc vero aliisque experimentis, quibus auro color albus, et ruber conciliatur, horumque vſu ſingulari, prorſus ſilet.

Secunda diſſertatio de arſenico, olim iam publici iuris facta *), nunc correctior et auctior pro-
p. 134. dit. Monet autem Noſter ſtatim in introitu, diſtingui oportere arſenicum factitium a naturali, in matricibus adhuc haerente, reſpiciendumque in-
p. 136. primis eſſe ad realgar lunare, ſeu arſenicum ad mutationem in argentum quam maxime diſpoſitum, quod in biſmutho et minera argenti rubra purum exſtet, doletque, biſmuthi mineras deſtrui, vt ſmalta inde paretur, quum tamen coeruleus color aliis modis ex ferro parari poſſit. Arſenicum ve-
p. 142. ro, quatenus cum aliis corporibus mineralibus coniunctum conſideratur, eſt mercurius metallicus, mutationi in metallum proximus, idem fere quod terra tertia BECCHERI, non quidem prorſus eiuſdem indolis cum mercurio vulgari, vim cauſticam tamen aeque ac mercurius ſublimatus ab
p. 144. acido ſalis communis adeptus. Notandum vero eſt, varias huius mercurii metallici exiſtere ſpecies, v. c. ſaturninum, lunarem cet. Abſentia reliquarum duarum terrarum impedit, quo minus metallum perfectum fieri poſſit: addito vero phlogiſto ſeu terra ſecunda, regulum ſiſtit, et ſi huic terra prima, vitreſcibilior, fixa, adderetur, ille aeque ac reliqua

*) *Zwo chymiſch - phyſikaliſche Abhandlungen, deren die erſte den Arſenik, die andre den Salpeter gründlich unterſuchet, Leipzig* 1769. 8.

reliqua ſemimetalla, perfecta fierent: et ex huius
terrae fixae diuerſa indole etiam diuerſum metal- p. 154.
lum proficiſceretur. Ex generatione metallorum
ex halitibus facile concludendum eſt, quum ii vel
arſenicales vel ſulphurei ſint, arſenicum autem cum p. 159.
metallis arctius, quam ſulphur ſeſe vniat, ipſos hali-
tus arſenicales, maximam hic ſymbolam conferre,
ſolo ferro excepto. Omnium vero metallorum
facillime ſtannum ex arſenico enaſci, inde patet, p. 163.
quod minerae eius numquam arſenico carent, ipſi-
que ſtanno arſenicum ſubtiliſſimum ineſt. Videtur p. 165.
etiam eius cum argento affinitas arſenico magis,
quam phlogiſto tribuenda. De generatione argenti. p. 170.
Si ad diuerſos gradus metalliſationis et fixationis
attendere velimus, primum in cobalti et biſmuthi
mineris deprehendimus, in quibus arſenicum pu-
rum, ſulphure non remixtum, adeſt: monet prae-
terea Noſter terram coeruleſcentem habendam eſſe p. 175.
pro receptaculo arſenici lunaris, eamdemque lati-
tare in ſic dictis floribus cobalti ſeu rectius biſmu-
thi, item in vitriolo diuerſi coloris biſmuthico,
quem HENKELIVS memorat. Ad hos primos
metalliſationis gradus porro etiam minera argenti
rubra pertinet.

De relatione arſenici ad alia corpora minera-
lia. Ferrum appetentiſſimum eſt arſenici, quia p. 181.
ipſum principio mercuriali, quo reliqua metalla
gaudent, prorſus deſtituitur. De tinctura argenti,
quam arſenicum plumbo impertit. De vitro ſa-
turni arſenicali, eiuſque in fundendis mineralibus
vſu. De miranda depuratione arſenici per mercu-
rium. Quomodo arſenicum lunae corneae addi-
tum eamdem figat et argentum reductum octaua
ponderis parte ex arſenico augeat. De relatione
arſenici ad aurum Lectores ad HENKELIVM
amandat Noſter. De relatione arſenici ad ſales

quoſdam.

p. 192. quoſdam. Arſenicum fixum vulgo dictum, rectius nitrum arſenico fixatum, melius ſpiritum nitri ex retorta deſtillando, quam in igne aperto paratur, quia ſpiritus iſte aliis adhuc vſibus impendi
p. 194. poteſt. Salem mirabilem GLAVBERI cum tribus partibus arſenici albi cryſtallini Noſter coniungere non potuit, arſenico ſolo ſublimato; forſan
p. 195. mutata proportione res melius ſuccederet. Tandem monita quaedam de iactura argenti, quae fit, quum conſuetis modis minerae eius vſtulantur: quum minerae eiuſdem in vaſis clauſis tractantur, et arſenicum ſublimatione ſeparatur, centenarium quatuor ad ſex marcas argenti praebere videmus, qui conſueta methodo vix vnciam largitur. Ad iacturam vero hanc cauendam duo momenta bene ponderanda inculcat Noſter: quae ſit ratio quantitatis arſenici ad argentum; et quomodo arſenico indoles volatilis rapacitaſque (quae tamen ipſa in quo conſiſtat, prius enodandum eſt) demi poſſit.

p. 199. Iam ſubiungitur corollarium, cur ferrum ex genealogia metallica excludendum ſit? quia illud tantum ex terra fixa et phlogiſto coniungitur, et, vti ex notiſſimo experimento BECCHERI patet, arte etiam hoc modo parari poteſt: quare etiam ferrum natiuum maximis adhuc dubiis ſubiectum eſt. Principio autem mercuriali deſtitui ferrum, patet cum ex eius ſyntheſi iam adducta, tum analyſi; porro ex geneſi diuerſa a geneſi reliquorum metallorum per halitus, ex difficillima fuſione et denegata amalgamatione cum mercurio, quae duo momenta in reliquis metallis et ſemimetallis a principio mercuriali pendent.

p. 206. Tandem adduntur notiones quaedam theoreticae, ad ſupplendam ſuperiorem diſſertationem.

Vberior

Vberior explicatio mercurii metallici et acidi ſalis communis, quae coniuncta arſenicum ſiſtant. De diuerſa indole iſtius mercurii: plerumque lunaris eſt, ſolaris rarior, tamen in fodinis Hungaricis interdum deprehenditur; facilius detegitur in ſtanno et cupro, quam in plumbo. Arſenicum potius ſemimetallis, quam ſalibus, annumerari debere, patet ex eius grauitate ſpecifica, indiſſolubilitate in aqua, et regulo ex eo parando; vbi error inſignis, a IVSTI commiſſus, arguitur. De analogia inter arſenicum et mercurium, ex HENKELIO. De ſelectu arſenici in experimentis ad maturationem metallorum inſtituendo: pro diuerſitate rei ſumendum eſt ex minera argenti rubra, auripigmento, vel minera biſmuthi, quae ſi ſublimentur, flores non ſubtiliſſimi, farinae ad inſtar, primum aſcendentes, ſed qui ſequuntur ponderoſiores, in vſum vocandi ſunt. In conſideratione metalliſationis praeterea eo reſpiciendum eſt, vtrum arſenicum ſit in aſcenſu, an in deſcenſu, i. e. vtrum metallum generari incipiat, an deſtrui.

p. 211.

p. 212.

p. 215.

p. 217.

p. 219.

In genere vero tria momenta penſitanda ſunt, nempe vt arſenico dematur acidum corroſiuum, a quo eius volatilitas pendet; deinde, vt addatur phlogiſton, et denique terra figens, ſeu tria ingredientia neceſſaria ad formationem cuiuslibet metalli. Tandem diſquiritur, an ferrum metalliſationi arſenici inſeruire poſſit? quod quidem non prorſus improbabile Noſtro videtur.

p. 223.

p. 225.

XIX.

Trifolium chemico-phyſico-ſalinum, *oder, Dreyfache chimiſch-phyſikaliſche Abhandlung, worinnen drey berühmte Salze, namentlich Salmiac, Salpeter, und Borax, nach ihrer Natur und Weſenheit, Namen und Erfindung, benebſt einigen Merkwürdigkeiten, betrachtet werden. Ausgefertiget von einem Kenner und Liebhaber chimiſcher Wahrheiten, der ſich nennet* INNOCENTIVS LIBORIVS AB INDAGINE. *Amſterdam und Leipzig, bey Iohann Schreuder,* 1771. 8. pagg. 202. ſine praefatione.

i. e.

Tractatus triplex chemico phyſicus de tribus ſalibus notatu dignis, nimirum ſale ammoniaco, nitro et borace cet. Auctore EODEM.

Prima tractatio potiſſimum contra ſalem ammoniacum, qui Brunſuigae in officina Grauenhorſtiana paratur, directa eſt, et primo characteres veri ſalis ammoniaci oſtendit, deinde monſtrat, in quibus ſal iſte ab iis recedat, et tandem ſupplementa quaedam ad prius propoſita ſubnectit. Cauſſam, cur aqua fortis auri, et aqua regis argenti ſolutio-
p. 22. nem recuſet, in figura ſalium diuerſa Noſter ponit. De virtutibus mediis auri fulminantis nil
p. 23. niſi effectum diaphoreticum nouit, ſoli ſali adhae-
p. 32. renti adſcribendum. Specimina a GRAVENHORSTIIS ad magnos chemicos tranſmiſſa, quibus hi perſuaſi fidem nouo inuento habuerunt, nil fuiſſe niſi verum ſalem ammoniacum depuratum, aperte declarat. Docet deinde, nouum iſtum ſalem de-
p. 41. ſtitui proprietatibus vero ſali ammoniaco competentibus, quod pateat per notas externas ſenſibus

obuias,

obuias, ſublimationem et analyſin chemicam: vſum quidem eiuſdem in artibus mechanicis aliquem eſſe poſſe concedit, ſed in medicina prorſus improbat. Deteriorem quoque eius conditionem p. 57.
in eo ponit, quod ad eius praeparationem ſal communis, ex fontibus excoctus, adhibeatur, quum tamen is, qui Venetiis paratur, aeque ac natiuus, qualis haud procul a Puteolis reperitur, ſali marino originem debeat, qui a radiorum ſolarium actione maiorem virtutem nanciſcatur. Alia explica- p. 63.
tio, cur ad praeſtandam auri ſolutionem acido ſalis communis opus ſit: vtrumque acidum, nitri aeque ac ſalis, *ſpecificans* quoddam ſeu *determinans* habeat neceſſe eſt, quod in illo phlogiſton ſeu principium ſulphureum, in hoc principium mercuriale eſt. Inde axioma fluit in ſcientia chemica et hermetica probe attendendum: ad menſtruum auri requiri mercuriale, neque vllam abſque eiusmodi menſtruo fieri poſſe ſolutionem. Flores ſalis p. 65.
ammoniaci martiales, ex croco martis de ſcoriis reguli antimonii martialis enato parati, addita quadam portione ſalis ammoniaci rurſus ſublimati, ſi ſublimatio abſque additione huius iterum vna vel duabus vicibus repetitur, tandem metallicas partes ſolas relinquunt ſub forma fluida, coloris rubicundi, cuius maſſae vncia dimidia marcae dimidiae argenti puri fluentis addita, fluxione ad dimidiam horam vel paullo longius continuata, inſignem partem auri ex argento ſeparandam largitur. Sal hic cum coralliis rubris in puluerem redactus et commiſtus ſi ſublimatur, tincturam ex p. 67.
iis extrahit, ſpiritus vini optimi ope per digeſtionem ex floribus ſic enatis obtinendam. De ſale alembroth et menſtruo PARACELSI eiuſque p. 70.
vſu in referandis metallis. De ſale ammoniaco

fixo, et de aqua regis inde paranda, qua ſulphur figi queat. De praecipitatione argenti ex aqua forti per ſalem ammoniacum, indeque obtinenda luna cornea. Tandem monet, ſalem hunc Brunſui-
p. 76. genſem ideo ſuſpectum in medicina habendum eſſe, quod vrina ad eius confectionem impendenda in iis locis publicis, vbi multorum confluxus eſt hominum, colligatur, indeque dubium non ſit, miaſma venereum hoc modo in ipſius praeparationem ingredi.

Secunda tractatio in libro ſuperius adducto iam prodiit. Praeter introitum, in quo generalia quaedam de nitro traduntur, in duas ſectiones, primam theoreticam, alteram practicam, diſpeſcitur. In prima euincit auctor Noſter, artificialem accelerationem generationis nitri poſſibilem eſſe.
p. 92. Primo, generationem ipſius a natura ſola non perfici, nullumque exiſtere natiuum: quod dein ex partibus eius conſtitutiuis accuratius conſideratis
p. 102. probat. De acido ſpecifico nitroſo, eius origine ex acido vniuerſali, huiusque ad formanda acida mineralia in genere concurſu: quod quidem, ſi mineras ſulphureas ingreditur, in acidum vitriolicum; ſin alcali minerale, vbique in interioribus terrae diſperſum, attingit, in acidum ſalis communis; ſin phlogiſton, in acidum nitroſum mutatur.
p. 110. De iis anni temporibus, in quibus haec mutatio
p. 118. contingere poteſt. Nitrum non in terra ipſa exiſtere, ſed in hac demum, addito alcali vegetabili, generari. Maiorem ergo eius copiam gigni debere, ſi maiori copia acidi requiſiti et phlogiſti terra impraegnetur: acidum hoc vniuerſale vero numquam copioſius reperiri, quam in ſale communi, in eoque mutationi huic aptiſſimum eſſe, dummodo praeuia fermentatione ab alcali minerali liberetur.

liberetur. De calcis viuae virtute ad augendum p. 128.
magnetiſmum terrae generationi nitri inſeruiturae, ſeu vim eius, acidum vniuerſale attrahendi.
An phlogiſton nitro inſit? quod non quidem ex p. 132.
eius inflammabilitate, ſed ex rubro vaporum eius colore; ex praeſentia phlogiſti in praeparationibus cum nitro factis, v. c. phoſphoro BALDVINI et argento per ſpiritum nitri ſub quibuſdam encheireſibus tincturam auri adepto; ex impoſſibilitate acidum vniuerſale quocumque alio modo, abſque additione phlogiſti, in nitroſum conuertendi; ex aliis acidis mineralibus, addito phlogiſto et alcali vegetabili in nitrum conuertendis, probatur.

Altera ſectio magis practica eſt. Terra ad ge- p. 137.
nerationem nitri impendenda, quamuis nil niſi matricem ei praebeat, tamen ſine diſcrimine adhibenda non eſt, ſed ſit leuis, non compacta; optime huic ſcopo inſeruit humus nigra, cum decima parte fuliginis permixta, radiis ſolis, pluuiae, et zephyris non expoſita: neque parietibus exſtruendis p. 143.
opus eſt, ſed ſufficit terram in aggeres coaceruare, quo melius ſubigi et ab aëre penetrari queat. Ad partes conſtitutiuas nitri ipſius copioſius inter ſe coniungendas requiruntur acidum vniuerſale, quod cum in aëre haerens nimis longum tempus requirat, antequam in terra ſe figat, praeſtat ex ſale communi depromere, phlogiſton, ex animali regno ob maiorem ſubtilitatem petendum; denique alcali vegetabile, ex vegetabilibus combuſtis, item ex lixiuio ſaponariorum depromendum.
De commiſcendis his ingredientibus et terra prius p. 150.
adducta, indeque obtinenda nitri generatione.
Rurſus de diuerſitatibus acidorum mineralium, et p. 150.
quantum ab acido vniuerſali recedant, neque cum acido vitriolico comparari poſſe. Reſolutio

problematis ex ſale communi nitrum parandi:
p. 153. Non niſi duo genera ſalium ſimplicium, acidum et alcali, in natura exiſtere. Error DE IVSTI, arſenicum tertium ſalem ſimplicem naturae dicentis. De diuerſitate ſalium mediorum, ex coniunctione adductorum ſimplicium orienda. De diuerſitate nitri et ſalis communis, cum ratione partium conſtitutiuarum, tum proportione acidi et alcali in iiſdem; adhibita ſimul comparatione inter ſalem mirabilem GLAVBERI et nitrum cubicum.

p. 164. Ex his bene expoſitis concludit Noſter, quatuor momenta requiri ad ſoluendum problema propoſitum: primo vt acidum ſalis communis ab alcali minerali liberum reddatur; ſecundo phlogiſton cum eodem combinetur; tertio alcali vegetabile loco mineralis addatur; quarto denique iuſta his partibus conſtitutiuis proportio inter ſe concilietur. Decompoſitio ſalis communis, cuius poſſibilitatem iam HENKELIVS agnouit, fermenta-
p. 170. tione quadam indiget, quae praeſtatur, ſi ſal iſte terrae et calci viuae inter ſe coniunctis admiſcetur, haecque compoſitio lixiuio ex vrina et ſtercore columbino vel gallinaceo irroratur. Calcis vſus cum in attrahendo alcali minerali, tum in iuuanda com-
p. 173. binatione alcali cum phlogiſto conſiſtit. De neceſſitate alcali vegetabilis ad praebendam baſin nitri.
p. 175. De variis modis haec ingredientia inter ſe commi-
p. 176. ſcendi et nitrum extrahendi. Rurſus quaedam de calcis requiſitis et vſu: praeſtat ea, quae in aëre libero exſtincta eſt, quia purior eſt, et facilius terrae admiſceri ſe patitur. Praeter iuſtam proportionem partium conſtitutiuarum nitri, quae ab illa efficitur, etiam nimiam quantitatem ſalium vrinoſorum, ſub ipſa putrefactione euolutorum, praecipitat. Tandem ſubiungitur experimentum ad
p. 179. probandam poſſibilitatem, acidum aliud in acidum

nitroſum

nitroſum conuertendi, quo ſuperius vſus fuerat Noſter ad demonſtrandam praeſentiam phlogiſti in nitro. Ferrum vel zincum in ſpiritu ſalis ſoluta flores praebet, inflammabile horum metallorum continentes, qui ſi rurſus in ſpiritu ſalis recenti ſolvuntur, is ſpiritus vapores rubros emittit, verumque ſpiritum nitri ſiſtit, et alcali vegetabili ſaturatus verum nitrum praebet: adiuncto vero alcali volatili non in ſalem ammoniacum, ſed in nitrum flammans abit.

Tractatio tertia de borace admodum breuis eſt, et Auctor Noſter lectores ad Cl MODELIVM, et quantum analyſin chemicam ſpectat, ad Cl. LVDOLFVM amandat, mentione ſimul Cl. POTTII facta, cur vero Cl. BARON et CADET prorſus ſilentio praetereat, nos quidem diuinare non potuimus. Boracem natiuam negat: a cruda enim hanc p. 193. probe diſtinguendam eſſe monet. Poſſibilitatem p. 194. boracem ſola arte parandi omnino perhibet, modo terra ſubtilis vitreſcibilis cum ingredientibus neceſſariis rite coniungatur: neque partes conſtitutiuae ipſi videntur eſſe multiplicis indolis, ſed paucae. Turgeſcentiam et vitreſcibilitatem in igne conſpexit etiam in ſale quodam eſſentiali microcoſmi. Haec vero ſcientia cognitioni boracis, quatenus relationem habet ad alia corpora, eiuſque analyſi chemicae innititur, vbi ſimul monet boris p. 198. ſeu borith Hebraeorum, boracem, tincar ſeu tincal, et chryſocollam vnum idemque, baurach vero prorſus aliud quid eſſe. Ex hac vero duplici via cognitionis generalem regulam colligit, in quo totum arcanum lateat: Solue et coagula. Tandem repetit ea, quae Cl. CRAMERVS de origine p. 200. boracis habet.

XX.

Specimen academicum de aqua. Praeſide M. SAMVEL HEVRLIN In Fac. Phil. Docente Reſp. *Iacobo E. Nelander* Lundenſi, Londini Gothorum d. IX. April. CIƆIƆCCLXXIV. 4. plag. 4. cum dedicatione.

Cum Clariſſimus Auctor phyſicam aquae hiſtoriam accuratiſſime pertractauerit, ita vt elaboratio ipſa nobis vehementer placeat, non ſuperfluum arbitramur, ſi totius opuſculi accuratiorem breuemque enarrationem exhibuerimus.

p. 9. Aquam ita definit vt et a ſalinis et oleoſis et ſpirituoſis et metallicis humoribus recte poſſit di-
p. 10. ſtingui; quo facto in cauſas fluiditatis inquirit, eaſque tam in calore, quam in forma duritieque aquae ipſius collocandas eſſe cenſet. Calorem enim et vi expanſiua et mouente et expulſiua praeditum eſſe phyſicis obſeruationibus probat.

p. 11. His pertractatis, particulas conſtitutiuas aquae ipſius phyſicis potius quam chemicis rationibus explicat atque definit. Eas vero ſubtiliſſimas et homogeneas eſſe, partim ex facultate ſeſe in minutiſſimas partes ſoluendi, partim ex Newtoniano illo cum pendulo inſtituto experimento, firmat corroboratque ſatis.
p. 12. Porro aquam vi per corpora meandi eaque ſoluendi praeditam eſſe obſeruationibus recte demonſtrat.

p. 13. Deinde particulas heterogeneas aquae naturali, tam minerali quam communi, immixtas contemplatur, cauſasque, vnde ortum habeant, commemorat, eaſque vel in exhalationibus ponit, vt in aquis aëreis, vel in loco, quem alluat aqua mineralis et communis, quaerendas eſſe, vel denique in limo ac ſordibus ab hominibus beſtiisque in fluuios lacuſque iniecto poſitam eſſe aſſumit.

Tum

Tum ad contemplationem euaporationis progreditur; Cl. vero KRATZENSTEINII opinionem quam de hoc phaenomeno in libro ab ipſo edito (*Abhandlung von den Aufſteigen der Dünſte und Dämpfe*) propoſuit, aſſumit, cuius rei commemorationem a nobis ineundam ſuperfluam arbitramur. p. 15.

Illud porro conſiderat phaenomenon, quod aqua in calore, qui ebullientis gradum ſuperauerit, celeriter in vapores abeat. Huius rei cauſſam non tam ab expanſione, quam a vi repulſionis particularum aquae, a nimio calore orta, quae quidem ipſarum aquae particularum grauitatem ſuperet, repetendam eſſe demonſtrat, exque hac hypotheſi varia euenta Noſter explicat. Vapores aquae ipſius in atmoſphaera meteora aquea emphatica conſtituere docet. Tum phaenomena varia quae, cum aqua in glaciem conuertitur, in frigidis regionibus obſeruantur, proponit. Quaedam illorum afferamus, ſimulque quatuor illa problemata, quae ad explicandum phaenomenorum nexum hic tradit: p. 16. p. 19. p. 20.

1. Non omne φλόγιϛον, quod *accidentale* dicit, quod quidem compoſitionem corporum ingrediatur, fixum eſſe, ſed certam quandam huius particulam in certa proportione frigoris auolare, calore vero redeunte quoque reſtitui.

2. Si duo corpora, inprimis ſi vnum ſolidum, alterum fluidum fuerit, in contactum veniant, quorum vnum nondum perdidit φλόγιϛον accidentale a frigoris praeſentis iniuria, alterum attrahere abundantiam prioris, ſicce aequilibrium ratione frigoris quodammodo effici.

3. Duos eſſe fontes quantitatis caloris, quam varie ſuſcipere et communicare poſſint corpora, denſitatem ſcilicet corporis quantitatemque phlogiſti.

4. Denique tenacitatem fluidorum tum demum oriri, quando certa portio φλογίςȣ vi frigoris iam auolauerit.

Ex his itaque quatuor axiomatibus, ſeptem conglaciationis, phaenomena explicat. Quatuor tantum, ne nimis longi fiamus, commemorare propoſuimus.

α) Aqua non ſemper in glaciem conuertitur, cum mercurius in thermometro ad punctum conglatiationis deſcendit.

β) Aqua in vaſis metallicis prius in glaciem mutatur, quam in vitreis.

γ) Aqua, quae maiore frigore afficitur, celerius coaleſcit.

δ) Conglatiatio aquae ad marginem vaſis incipit et ſtellae in fundo ortae vndiquaque ſurſum vergunt tegumentum ſuperficiei conſtituunt.

p. 25. Glaciem vi magna expandi, perpetuo euaporare, et bullas perpetuo increſcentes excitare, vnde
p. 27. aquae innatet, phaenomenis demonſtrat. Aquam in terram conuerti et arte vel triturationis, vel deſtillationis, vel putrefactionis, vel denique euaporationis ope contendit, et a natura ipſa in trium naturae regnorum corporibus, commemorat. Vlti-
p. 29. ma denique paragrapho, quaeſtionis de diminutione aquarum abſoluta mentionem facit, cuius rei explicatio ipſi tam difficilis viſa eſt, vt eam praetermittendam eſſe cenſeret.

XXI.

XXI.

Noua medico phyſica.

Caeſarea ſcientiarum Academia *Petropolitana* optat vt *explicetur ſanguificatio*, et vrget Eadem potiſſimum duo. Ac primum quidem ex chymicis tentaminibus iiſque certis partes conſtitutiuae ſanguinis debent oſtendi, quae in ſanguinem cadant, nec in chylum, lac aliosque liquores corporis animalis et vnde pendeant ſanguinis proprietates, inprimis color et calor, (vbi tamen quodammodo ad globulos ſanguinis erit reſpiciendum, etiamſi illi et in lacte cernuntur parum diuerſi a globulis ſanguinis). Dein eſt explicandum, qua ratione hae particulae conſtitutiuae chyli in ſanguinem mutandi eliciantur ſiue etiam, ſi in chylo lateant, explicentur, fiat modo hoc per quandam fermentationem ſ. motum internum ſeu quouis alio modo. Proceſſum 91 in chemia BOERHAAVII ad hanc quaeſtionem perutilem iudicat Academia et ille totam hanc rem plene explicuerit, qui hanc artificioſam mutationem chyli in ſanguinem ita monſtrauerit, vt chylus, qui mouetur, calorem nanciſcatur et haec mutatio naturali ſanguificationi ſimilior reddatur, quae leniter et ſine coctione fiat.

Altera quaeſtio eo redit: *explicare, qualis ſit indoles ſonorum a tubis aequaliter amplis et in latere foramine inſtructis editorum, et quaenam ſit horum ſonorum reſpectu grauitatis et acuminis varietas pro diuerſa iſtius foraminis poſitione et amplitudine.* Exſpectat Academia huius theoriae explicationem et per tentamina confirmationem.

Omnes, exceptis Academiae huius ſodalibus, viri docti has in res poſſunt inquirere. Commen-

tarii ante 1 diem iulii 1776 Ill. IOANNI ALBERTO EVLERO, qui Academiae ab epiſtolis eſt, tradendi ſunt et ſcribendi, Ruſſice, Latine, Germanice et Gallice. Auctor nomen ſuum tegit in charta obſignata, quae aperitur tum, cum elaboratio praemium nanciſcitur, quod eſt centum numorum aureorum Hollandicorum. Ceterae cautiones ſunt notae.

Societatis ſcientiarum *Harlemenſis* quaeſtio ad annum 1778. *Quanta cernatur vtilitas pſychologiae in educatione et in directione hominum et felicitate humanae ſocietatis? dein quanam ratione haec pſychologia perfectior reddi et vlterius explicari poſſit?*

Praemium eſt moneta aurea et commentarii ſunt mittendi ante 1 diem ianuarii non multum ante dicti anni. Reliqua, quae ſunt notanda, item nonnullas quoque quaeſtiones, a Societate repetitas, iam ſupra *) cum Lectoribus communicauimus.

Monachienſis ſcientiarum academia Electoralis Bauarica per inſtituti, quod alibi narrauimus **), rationem, propoſuit quaeſtionem pro anno 1776, quae ſequitur: *Quomodo arborum in Bauaria incrementum facile poſſit effici? item quod ſoli genus ſingulis arborum generibus conuenientiſſimum ſit habendum et quinam ſitus optimus ſit iudicandus arborum ſemiferarum.*

Praemium optimae elaborationis auctori conſuetus numus aureus tribuetur. Diatribae ſuper hanc theſin tranſmittendae ſunt ad ſummum ante finem decembris ſupra dicti anni ad Cl. KENNEDY, qui claſſi philoſophicae Academiae huius ab epiſtolis

L 3

*) v comm. noſtr. Vol. XX. p. 551.

**) v. ibid. Vol. II. p. 721.

ſtolis eſt. Quae praeterea ſint obſeruanda iis, quibus in hanc quaeſtionem inquirere placebit, in antecedentibus *) narrauimus.

Ex claſſe phyſica, reliquis, cum ad nos non pertineant, omiſſis, Regiae ſcientiarum Academiae *Mantuanae* quaeſtionem hanc communicamus: *Eſt, ſi, aſſerente medico, diſpoſitio ad putredinem alicui corporis parti ineſt, cortex Peruuianus vtilis?*

Praemii valorem et alias cautiones iam ſupra **) adiecimus. Elaborationes vero menſe octobri 1776 Cl. GIOV. GIROLOMO CARLI, qui perpetuo academiae ab epiſtolis eſt, ſunt tradendae.

Inter ea problemata a Societate regia ſcientiarum *Hafnienſi* data et a nobis indicanda, reperimus hoc, ad phyſicam claſſem pertinens: *Experientia docente, oculus hominis ſanus obiecta viſa coloribus peregrinis a diuerſa refrangibilitate ortis non inquinat, quamdiu pupilla integra radios excipit; hac vero ad dimidium tecta, obiecta viſa omnino coloribus peregrinis cinguntur. Deſideratur itaque ratio huius phaenomeni et diſquiſitio: numne ad normam oculi, noua ſpecies vitrorum obiectiuorum achromaticorum componi queat.*

De ea quaeſtione, quae *metallorum analyſin* attinebat, iam diximus ***). Praemium vero conſtat moneta aurea centum thalerorum Danicorum. Commentarios Ill. HIELMSTIERNA ante finem martii 1776 exſpectat et iudicium ſocietatis dabitur ſub

*) v. comm. noſtr. Vol. VIII. p. 180. Vol. X. p. 182.
**) v. ib. Vol. XX. p. 147.
***) v. ib. Vol. XIX. p. 710.

ſub finem eiuſdem anni aprilis. Ceteras cautiones iam indicauimus loco non multum ante dicto.

Quum Regia Societas *Gottingenſis* inſtituta optet tentamina de *vſu vitrioli albi oeconomico* *), ac ille Auctor, qui dicto: *noſſe res ſcopus ſapientis: vti rebus ſcopus prudentis*, commentarium miſit Societati doctum et bene elaboratum: ſecum conſtituit Societas eandem quaeſtionem iterum proponere et vſque ad iulium 1777 differre, quo tentamina poſſint accurate et appoſite inſtitui ab Eodem Auctore, qui dolet ſe non potuiſſe pericula facere.

Reliquas quaeſtiones iam communicauimus cum Lectoribus **).

Societas Regia *Gottingenſis* in numerum amicorum ſubrogauit duumuiros doctiſſimos Viros IOANNEM ERNESTVM WICHMANNVM Regi magnae Britanniae ab Aula medicum et IOANNEM TAVBE ab Eadem Aula, ciuitatisque et agri Cellenſis in rebus forenſibus medicum.

Cl. I. C. VNZER phyſices hiſtoriaeque naturalis profeſſor in academia *Altonauienſi* eſt creatus.

Lugduni Batauorum Cll. ADRIANVS VAN ROYEN et HIERONYMVS DAVIDES GAVBIVS ob ſenium ſummum munere ſe abdicarunt et eorum loca obtinuerunt Cll. IOANNES DAVIDES HAHN profeſſor medicinae Traiecti ad Rhenum et NICOLAVS GEORGIVS OESTERDYK profeſſor medicinae Harderouici.

Excel-

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 371.
**) v. ib. Vol. XX. p. 553.

Excellentiſſimus IOANNES PHILIPPVS IVLIVS RVDOLPHVS *Erlangenſis* profeſſor medicinae extraordinarius, cum oblatum in exteram Academiam munus recuſauerit, medicinae ac chirurgiae profeſſor ordinarius eſt electus conſiliariique aulici honoribus praeditus in eadem academia.

Cl. GVELDENSTAEDT ſub finem anni 1775 cum ſociis redibit MOSCAVIAM. Cl. LOWIZ vero miſere ſuam vitam finiuit.

Cl. DIEZ conſiliarius aulicus Darmſtatienſis b. ALEFELDO *) *Gieſſae* ſucceſſit.

HIOB BASTER ob opera ſubſeciua aliaque ad hiſtoriam naturalem pertinentia notiſſimus non diu ante hocce tempus mortuus eſt, nec diu ante mortem alterius oculi vſu plane priuatus.

Cl. FRANCISCVS QVESNAY mathematicis pariter ac medicis notus, die 10 decembr. 1774 octuageſimo ſecundo aetatis anno vitam cum morte commutauit *Verſaliae.*

Die 24 martii 1775 *Petropoli* Cl. I. G. MODEL conſiliarius Imperatricis Ruſſicae aulicus, medici collegii aſſeſſor, apothecae Petropolitanae ſupremae director, variarumque academiarum et ſocietatum ſodalis morte ereptus eſt. Scripta vero ſua chemica memoriam eius ſeruabunt.

Cl. RANNIERIVS MAFFEVS Lector anatomiae *Florentiae* die 5 maii. 1775 ereptus eſt e viuis.

Die,

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 730.

Die 5 iunii 1775 ſeptuageſimo quinto aetatis anno obiit Cl. IOANNES PHILIPPVS BVRGGRAVE Archiater Conſiliarius aulicus Moguntinus *Francofurti ad Moenum.* Eius memoria tradita eſt a Cl. BOERNERO *).

Illuſtriſſimus Comes DE KINSKY muſeum corporum naturalium in vſum iuuentutis ſtudioſae colligere inſtituit *Pragae* et collectionem ſuam totam eidem impendit. Cuius muſei augendi ergo Celſiſſimus Princeps DE FÜRSTENBERG ſuum muſeum valde amplum et pretioſum donauit, promittens praeterea ſe etiam poſthac hoc eſſe continuaturum et Cl. DE BORN non pauca corpora naturalia his addidit. Hac re audita ab Imperatore Clementiſſimo atque Liberaliſſimo erga litteras, theſaurum rerum rariorum collegii Ieſuitici Auguſtiſſimus Imperator addi iuſſit huic muſeo, atque ita huius profecto mirifice aucti muſei, Directorem perpetuum Illuſtriſſimum Comitem DE KINSKY et Celſiſſimus Princeps DE FÜRSTENBERG Protectorem nominauit. Illuſtriſſimus Comes DA WIESCHNIK in vniuerſitatis aedificio, nonnulla domicilia aptare iuſſit, in quibus haec plena ſatis collectio, quae plus quam 6000 e regno minerali, nonnulla millia e vegetabili et multa eaque rara corpora ex animali continet, ſeruabitur. Cl. DE BORN omnium harum rerum naturalium deſcriptionem accuratam, vti ſolet, ideoque hiſtoriae naturalis cultoribus eo gratiorem, pollicetur proximo 1776 hieme.

Soler-

*) *Nachrichten der Lebensumſtände und Schriffien ietzt lebender Aerzte und Naturforſcher in Deutſchland. 3ter Band.*

Solertiſſimus et ſagaciſſimus ADANSONVS, quae per longam experientiam et curioſiſſimam naturae contemplationem collegit et cogitauit, atque manu iam ſcripta habet, edet octo operibus ſucceſſiue deſcriptionem et diſtributionem naturalem omnium corporum naturalium. Primi operis titulus erit:

Orbe vniuerſel de la Nature. ou Méthode naturelle comprenant tous les Etres connús, leurs qualités matérielles et leurs facultés ſpirituelles, diſtribués ſuivant leur ſérie naturelle, indiquée par l' enſemble de leurs rapports. i. e.

Vniuerſus naturae orbis, ſ. Methodus naturalis omnium rerum cognitarum, in qua proprietates materiales atque facultates ſpirituales recenſentur, eaeque ad ſeriem naturalem diſtribuuntur, indicanturue rationes earum ad ſe inuicem. — Huius operis erunt 27 volumina, ſtylo breuiſſimo ſcripta. Diuiſio omnium erit in tres orbes. 1. materiam, 2. qualitates, 3. ſpiritus complectetur.

Alterum opus inſcribetur, Hiſtoire naturelle du Sénégal i. e. Hiſtoria Senegali naturalis, 27 faſciculis, quorum dimidia pars in forma octaua, dimidia autem totius folii edetur; propter regionum icones (Chartes) et obſeruationes meteoricas.

Tertium opus: Méthode naturelle des êtres materielles. In qua methodo naturali omnia corpora ex habitu ſ. ex conuenientia omnium partium, et qualitatum ordinantur. Conſiſtit hoc opus 15 voluminibus folio.

Quartum opus ſiſtit: Cours d'hiſtoire naturelle ſur l' orbe Phyſique préſentés ſuivant la methode naturelle. In hoc curſu nexus corporum indicatur, methodus naturalis confirmatur, aliaeque methodi indicantur.

In

In quinto opere continetur vocabularium vniverſale hiſtoriae naturalis. In quo nomina corporum naturalium, et termini technici explicantur, litterae ABCD ſunt abſolutae, et reliquarum quarta pars.

Sextum opus inſcribitur: Dictionnaire vniuerſel d' hiſtoire naturelle. Traditur hic hiſtoria vniverſalis et particularis omnium cognitorum trium naturae regnorum corporum, numero 40000, tres priores ABC litterae ſunt iam factae.

Septimo opere 40000 icones, totidem ſpecierum corporum naturalium. Ex his ſunt 15000 ſpecies nouae, quae ſigillatim, earumque partes microſcopii ope ſunt delineatae, in forma quarta; ſunt tamen 17 tabulae quoque in forma folii, vbi omnia, quae ad naturam corporum delineatorum pertinent, repraeſentantur; additaeque ſunt deſcriptiones caracterum, rerum, colorum aliarumque proprietatum, adiectaque eſt ſcala magnitudinis naturalis. Hae 17 tabulae ſiſtunt corpus naturale de vnaquaque claſſi ſumma (grande claſſe), vt normae inſtar inſeruiant, ad quam omnes reliquae poſſint perfici. Sunt vero 1. nouum mammalis genus, Koïak Senegalli dictum. 2. Trichecus manatus verus (Léréou). 3. Hippopotamus (Lébar) 4. Aper cornutus (Bamal) 5. Turtur paſſerina (Kallé, tourterelle moineau) 6. Volol, nouum hirundinis genus. 7. Mpick, ſine dubio Parus Pendulinus 8. le Killer nouum genus *de guepier* mordoré. 9. le Leï nouum genus teſtudinis aquaticae. 10. Kaktor, ſpecies chameleonis. 11. Diaſik, crocodilus viridis. 12. Maïmaï. Crocodilus niger. 13. Scytale ou petit ſerpent des ſables. 14. le Kouleul, ou la couleuvre qui s' entortille dans les arbres.

arbres. 15. le Nkio, Serpens gigas. 16. Gian, vipera nigra. 17. le Baobab, quae eſt *Adanſonia* LINN. maxima mundi arbor.

Octauum opus continet enumerationem muſei Adanſoniani, quod 34000 corpora naturalia, nempe 12000 animalia, 16000 plantas, et 8000 mineralia continet.

Quod ſi, quae hic indicantur, et ab ADANSONO maximam partem perfecta dicuntur, ipſa re prodibunt, et recte, vti certe a tanto viro ſperandum, tractata erunt, magna ſane augmenta hiſtoriae naturali orientur. Ea enim vera et vna forſan eſt ratio, qua cognitio naturae perfecta obtineatur, ſi deſcriptiones vberiores omnium naturae phaenomenorum attente obſeruentur, et noua iconibus illuſtrentur. Ad quam rem, ſi quis, certe Illuſtris ADANSONVS eſt maxime idoneus.

Floram Danicam olim a Cl. OEDERO *) diligenter curatam continuabit Cl. OTTO FRIDERICVS MÜLLERVS eodem ordine, accuratione atque diligentia.

Praeterea autem Cl. MÜLLERVS *animalium rariorum Daniae icones deſcriptionesque* promiſit, cuius operis haec erit ratio, vt rara minusque cognita Daniae animalia aeri incidantur. Figurae vel nigrae venduntur, vel coloratae, illarum pretium thalerorum Danicorum ſex, harum vero erit duodecim. Primus faſciculus prodibit ad feſtum Paſchatos 1776 ſimulque breuis ſyſtematicaque omnium Danicorum animalium deſcriptio.

Ill.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 181. it. Vol. XVII. p. 163.

Ill. ALBERTVS DE HALLER nouam elementorum phyſiologiae curabit editionem.

Norimbergi librarius *Flecker* promittit ſuo ſumtu verſionem operis Mülleriani Dictionarii hortulanorum dicti continuatam fore, ita quidem, vt mercatu paſchatos 1776. tomus. III. eodem 1777 IV. prodeat. Quo opere ad finem perducto, eiusdem Mülleriani operis compendium indicit.

Lipſiae in officina Gleditſchiana prodiit 1775 *in* 8. mai. IOHANN GEORGE WALCHS *philoſophiſches Lexicon, worinnen die in allen Theilen der Philoſophie vorkommende Materien und Kunſtwörter erkläret, aus der Hiſtorie erläutert, die Streitigkeiten der ältern und neüern Philoſophen erzehlet, beurtheilet und die dahin gehörigen Schrifften angeführet werden, mit vielen neuen Zuſätzen und Artickeln vermehrt und bis auf gegenwärtige Zeiten fortgeſetzet, wie auch mit einer kurzen kritiſchen Geſchichte der Philoſophie aus dem Bruckeriſchen groſſen Wercke verſehen von* IOHANN CHRISTIAN HENNINGS. *Vierte Auflage in zween Theilen.* Vtilis iam ſtudio Ill. WALCHII hic liber auctior multiſque in locis emendatior vulgatus eſt a Cl. HENNINGIO, qui fontes recentiores veteribus quoque multa cum accuratione atque magna ſtudii aſſiduitate addidit. Nos quidem hic nonnulla exempla, quae noſtro inſtituto reſpondent, ad intelligendam huius libri vtilitatem commemorare non ſuperuacaneum iudicauimus. *Achat.* Hic WALLERII, WALCHII, CRONSTAEDTII, VOGELII, SVCCOWII MARTINIQVE ſcripta ſunt laudata. *Ackerbau.* ZINCKII, BECKMANNI SCHOENFELDIIQVE aliorumque mentio eſt iniecta. *Ader.* Hic Lectores ad WINSLO-

WIVM

WIVM, HALLERVMQVE ſunt amandati. Atque ita in reliquis articulis, breui rei naturae explicatione eaque non raro perſpicua addita, optimi quoque Auctores, qui de ea ſcripſerunt, et ex variis eruditorum actis ſunt nominati. E. g. *Alchymia*, *Alp*, *Alter*, *Anatomia*, *Anthropologia*, *Anziehen der Körper*, *Arſenick*, *Asbeſt*, *Atomi*, *Auflöſung*, *Auge*, *Automaton*, *Balſamus*, *Balſamirung der Leichnamme*, *Baroſcopium*, *Bart*, *Beſtie*, *Bewegung*, *Donner*, *Donnerſtein*, *Gedächtniskunſt*, *Imagination*, *Magnet*, *Metall*, *Phoſphorus*, *Schwere*, *Temperament*, *Trialiſten*, *Tropfſtein*, *Zwitter*.

Appendix ex IACOBI BRVCKERS hiſtoria critica philoſophiae cum nonnullis additamentis. Praeterea index titulorum latinus eſt additus. Primus porro index Germanicus continet perſonas, gentes et ſectas et eorum ſententias, ſecundus index contenta in hoc lexico praecipua tradit.

Memoria IOANNIS ERNESTI GREDINGII Medicinae Licentiati, et Medici ordinarii in Ptochotropheo Waldheimenſi.

Si qui hominis cuiuſdam docti laudes et merita non metiri ſolent, niſi honorum, quibus ornatus fuit, ſplendore, munerum, quae adminiſtrauit, amplitudine, atque nominis, quod ſcriptis illuſtrauit, claritate et celebritate; hi fortaſſe mirabuntur, quamobrem GREDINGIVS locum hic obtinuerit, qui alias non niſi viris longe clariſſimis et celeberrimis debetur. Verum enim vero ſi verum eſt, quod non facile in dubium vocare licet, veram laudem gloriamque honeſtatis virtutisque notione eſſe aeſtimandam, atque animi probitatem, et doctrinae exquiſitae copiam amplitudinemque, ſine iactatione auraeque popularis aucupatione, et ſine nominis celebritate, alicui contingere poſſe, et ſaepenumero contigiſſe; vtique Noſter digniſſimus habendus eſt, qui hic commemoretur, atque nomen eius, quantum fieri poteſt, ab obliuionis vindicetur iniuria. Namque, vti nobis ex moribus hominis conſuetudineque ſatis colligere licuit, ſemper id dedit operam, vt non tam videretur doctus, quam eſſet. Sed potius vitam breuiter delineabimus.

Vinariae, vrbe Thuringiae haud ignobili, anno huius ſeculi duodeuigeſimo, natus eſt Noſter patre *Bethmanno Henrico*, capillamentorum concinnatore, et tunc a cubiculis Principis Vinarienſis. Eadem in vrbe primum, et paulo poſt Graecii, oppido haud obſcuro Ruthenorum, quo

Pater

Pater ſedem ſuarum rerum tranſtulerat, elementis religionis et litteris iis, quibus aetas puerilis hominum vel plebeiorum inſtitui ſolet, imbutus, mature ad Patris artem diſcendam tractandamque eſt coactus; quam ad annum aetatis ſeptimum et decimum vſque exercuit, ſed, vti in ingenio admodum liberali eſt veroſimile, admodum inuitus. Flagrabat enim puer tanto litterarum amore, vt, abſolutis laboribus, quod otium vulgo tribuunt rebus ludicris, omne Noſter conſumeret in libris legendis, ageretque otium negotioſiſſimum fructuoſiſſimumque. Cum vero in dies magis magisque litteras amare coepiſſet, nec Patris animum in rem ſuam vllo modo ipſe commouere poſſet: adiit Inſpectorem Scholae Graecenſis, atque ab eo multis precibus lacrymisque petiit, vt, mutato Patris animo, inter litterarum ſtudioſos reciperetur. Quo facto, tanto ſtudio tantaque cupiditate litteris diſcendis operam dedit, vt, vix biennii ſpatio abſoluto, ſumma cum laude et Praeceptorum conſenſu ex diſciplina ſcholaſtica dimitteretur. Hoc nemini adeo mirum debet videri, vt nimiae feſtinationis inſimulet Noſtrum. Nam praeter incredibilem diſcendi cupiditatem, de qua diximus, inprimis in aetate adulta, vbi corporis animiue vires magis, quam in pueritia, vigent, etiam a natura nactus erat memoriam praeſtantiſſimam, ingeniumque maxime docile. Anno igitur ſeculi trigeſimo ſeptimo profectus Ienam, cum diſciplinis philoſophicis aliisue, tum arti potiſſimum medicae per biennium, et quod excurrit, operam dedit. Cum vero, Patre mortuo, rebus omnibus deſtitutus, non videret, vnde Ienae vitam ſuſtenta-

 ret;

ret; Lipſiam ſibi migrandum eſſe exiſtimauit, meliorem ſortem exſpectaturus. Nec ſpes eum fefellit. Nam diuinae prouidentiae beneficio, quam rebus ſuis ſemper affuiſſe, ſaepiſſime praedicabat, factum eſt, vt praeter HEBENSTREITIVM, CRAMERVM, PLATNERVM, et WALTHERVM, quos vt fideliſſimos in omnibus rei medicae partibus praeceptores, ita liberaliſſimos habuit patronos, breui innoteſceret beato LVDWIGIO, qui, vt erat eius natura et ſingularis humanitas, Noſtrum omnibus liberalitatis officiis, quibus poſſet, ſubleuauit adeo, vt, cum primum veritus eſſet, ne vix vnum annum Lipſiae poſſet commorari, nunc per tres fere annos facile et commode litteris vacaret. Ab hoc tempore nata eſt illa ſumma atque arcta inter illos amicitia atque familiaritas, quae nullo tempore, niſi morte alterius eſt interrupta. Sub huius Patroni, ſeu, ſi mauis, certiſſimi amici, praeſidio quoque Diſputationem illam, *an fluidum nerueum nutrire poſſit*, publice defendit. Eiuſdemque quoque commendatione et auctoritate factum eſt, vt HARTRAMFTIVS, cui publice cura aegrotantium in Noſocomio Lipſienſi demandata erat, Noſtri opera vteretur in aegris inſpiciendis, eumque, vti mos HARTRAMFTII praeclarus et ſingularis induſtria erat, vna cum aliis ſelectis adoleſcentibus, in morbis inſpiciendis iudicandisue, et eorum remediis praecipiendis diligenter et fideliter exerceret, diligentiamque, Medico bono digniſſimam, ſatis acueret.

Poſtquam igitur praecepta artis medicae vſu et exercitatione adeo ſibi firmauit, vt ipſe, proprio

prio Marte, morbis recte et tuto curandis, idoneus eſſe videretur: ſtatuit Cygneam migrare, ibique et aegris ſalutem et ſibi victum parare. Verum ne nominis obſcuritas apud imperitos ſibi officeret, aut potius, vt publicum doctrinae virtutisque teſtimonium a prudentibus viris exhibitum oſtenderet: Ienam redeundum eſſe ſibi exiſtimauit, ibique ſummos in Arte Medica honores petendos, defenſa publice Diſputatione, pro Licentia, de *Cadaueris inſpectione* ſiue *Sectione legali* *). Quo facto Cygneae vita medicinam fecit, vt eius conſilium et opera in valetudine ſecunda tuenda et aduerſa curanda expeteretur certatim; conſtituto etiam Medico agrorum vrbisque publico: cui muneri per ſedecim annos non minori cum fide et fructu, quam laude et amore omnium praefuit. Cum igitur fama viri delata eſſet ad amicos Electoris Saxoniae: anno ſeculi duodeſexageſimo cura et inſpectio aegrorum in Ptochotropheo Waldheimenſi cubantium ei eſt oblata. Huius muneris quamquam non ignorabat rationem et difficultatem: tantum tamen abfuit, vt rei moleſtia, quae illiberales ignauosque tantum mouet animos, ſe deterreri ſineret, vt in illa hominum ibi aegrotantium copia, morborumque et diuerſitate et nouitate, maiorem ſibi dari facultatem gauderet, non modo artem ſtudio et experientia comparatam exercendi, miſerorumque ſaluti proſpiciendi, ſed noua etiam experimenta inſtituendi, remediaque tentandi. Id quod etiam ſumma cum laude fe-

 cit.

*) Quae prodiit Praeſide HERMANNO FRIDERICO TEICHMEYERO Ienae 1742. 4.

cit. Etenim in morbis examinandis, eorumque ſymptomatis tantam adhibebat diligentiam, vt ne vllum quidem praetermitteret diem, quin aegrotos inſpiceret et obſeruaret, quae ad rem cauſamque pertinebant. Nec eos deſerebat, quorum morbus nullam amplius curationem admittere videbatur, ratus inhumani et barbari Medici eſſe eius modi conſuetudinem; praeſertim cum non ignoraret, vel certiſſima mortis et deſperatae ſalutis ſigna interdum fefelliſſe hominum ſagaciſſimorum coniecturam atque opinionem. Inprimis vero epilepticorum et atra bile laborantium aegrotorum, quorum numerus eſt in illis aedibus haud exiguus, ſingularem omnino geſſit curam. Nam cum notis et ſolemnibus medicamentis eius modi morbos non expugnari poſſe ſaepe vidiſſet: prudenter et caute inſtituit experiri noua, quorum vim et vſum a Medicis rerum peritis admodum probari cognouiſſet; veluti, Extractum Hyoſcyami, Stramonii, Sulphur venereum, Belladonnamque, atque diligentiſſime, quae illorum eſſent vires, et quem praeſtarent vſum, quotidie obſeruabat. Ne vero ſolus ſibi ſapere videretur, ſed et alii cognoſcerent, quid illis eſſet ſtatuendum pretii; in Aduerſariis Medicopracticis *), auctore et ſuaſore b. LVDWIGIO, rem ſatis expoſuit; caeterum tamen remotiſſimus fuit ab eorum conſuetudine et faſtu, qui, ſi in quoddam primi inciderint medicamentum, aut aliquam ei vim ineſſe cognouerint tanquam panchreſtum ſummis extollunt laudibus, atque promiſcue omnibus aegris obtrudunt.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 488. it. Vol. XIX. p. 103. Vol. XX. p. 674.

dunt. Inſtituit quoque aliorum medicamentorum tentamina, eaque conſcripta reliquit, quae, quo minus in lucem ederet, mors, quae nunquam non praeſtantiſſima vana reddit, conſilia impediuit. Nec minorem diligentiam et induſtriam adhibuit in cadaueribus ſecandis (ad trecenta fere diſſecuit) quocunque morbo demortuorum, inprimis epilepſia et melancholia vexatorum. Hic omni diligentia, qua potuit, originem cauſamque mali indagare conatus eſt. Quae hoc in genere reperit notatu digna, ea vel in Aduerſariis Medicopracticis edita leguntur, vel in Manuſcriptis adhuc conſeruata latent. His rebus omnibus effecit, vt laudem docti et fidelis conſequeretur Medici.

Quod ad animum attinet, erat ei ſumma integritas, probitas, et conſtantia in dictis factisque admirabilis, quae nulla re facile frangi et perturbari poterat. Praeter acre et ſollers ingenium facultatemque iudicandi, praeſtantiſſima praeditus a natura erat memoria, quae minima rerum temporumque momenta fideliter referebat, nec facile, ne in ſenectutis quidem imbecillitate, dubia et fallax reperiebatur. Nunquam erat otioſus, ſed quicquid temporis a publicis officiis vacuum habebat, impendebat legendo, meditando, aut ſcribendo. Nam ex Anglica lingua Societatis Edinburgenſis ſcripta, NESBITII Oſteogeniam, et alia in patriam ſcite tranſtulit linguam Etſi corpore ſatis firmo ac robuſto vtebatur, quod ſpem firmam ac conſtantem videbatur facere valetudinis amicis: nihilominus proximo anno correptus eſt apoplexia, ex qua praeſtantiſſimis remediis, ſeu vt verius dicamus, natura, optimo Medico, quae in ſiniſtra pectoris parte per-

magnam materiae malignae copiam collectam ſua ſponte excreuit, ita conualuit, vt iterum munus obire poſſet, quamquam languoris et imbecillitatis aliquo relicto ſenſu. Verum non diu illa ſalutis ſpes amicis fuit. Nam ineunte hoc anno hoc malum vehementius reuertit ita, vt Noſtrum die 27. Febr. 1775. interimeret.

XXI.

Supplementum indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1770 prodierunt.

Collection academique compoſée des mémoires, actes, ou journaux de plus célèbres Académies & Sociétes litteraires, des extraits des meilleurs ouvrages périodiques, des traités particuliers & des piéces fugitives les plus rares, concernant l' hiſtoire naturelle & la botanique, la phyſique expérimentale & la chymie, la médecine & l' anatomie Tom. IV. de la partie françoiſe, à Paris 4.

Giornale d' Italia ſpettante alla ſcienza naturale & principalmente all Agricoltura, alle arti ed al commercio Tom. VI. In Venezia 4.

Memora ſobre a vtilidade dos iardins botanicos a reſpecto da agricultura e principalmente du cultiuacao das charnecas Liſſabon 8.

Manuel medical cet. *).

Collectio omnium obſeruationum, quae occaſione tranſitus Veneris per ſolem 1769 iuſſu AVGVSTAE per Imper. Ruſſ. inſtitutae fuerunt, vna cum theoria indeque deductis concluſionibus Petropol. 4. c. f.

Année

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 382.

Année Champêtre. Tom. I – III. à Lauſanne 8. (*Editio correctior et aucta*). Prima vulgata eſt 1769. Pariſiis 12.

Inſtructions ſuccinctes ſur les accouchemens en faveur des ſages femmes des prouinces faites par ordre du miniſtere à Paris 8.

Traité des maladies de poitrine connues ſous le nom de phtiſie pulmonaire à Paris 12.

Dal Salaſſo *).

Tal om den ſin-ulliga faor-afveln af CLAS. ALSTROEMER.

Eiuſd. tal om den ſinyllige fåraſwelen **).

BOLTEN de nouo zoophytorum genere ***).

Lettres periodiques D. M. BVCHOZ Tom. IV et V. ****).

Eiuſd. lettres hebdomadaires ſur l'utilité des mineraux dans la ſociété civile pour ſervir de ſuite au lettres ſur les vegetaux & les animaux. ib. 8.

Nauwkeur afbeelding en beſchryving van een geheel enal verloorenen maar door konſt herſtelte neus en verheemelte door PETR. CAMPER. Te Amſterdam 8. c. f. (*Eſt verſio libri, qui latine prodiit*).

Planges d' hiſtoire naturelle. Par Mr. DAVBENTON *****).

Mémoire ſur les maladies épidémiques, qui, depuis cinq ans, ont régné dans les pays Laonnois. Par Mr. DUFOT. à Laon 8.

ELLIS v. WALLERIVS p. 186.

Matiere

*) v. comm. noſtr. decad. II. Suppl. I. p. 721.
**) vid. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 479.
***) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 466.
****) v. comm. noſtr. decad. II. Suppl. IV. p. 973.
*****) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 11.

Matiere medicale Tom. I. II. III. par Mr. FERREIN *). à Paris 12.

FERRANT V. PERRANT p. 186.

Premiere diſtribution petit format de planches anatomiques en couleur de M. GAUTHIER D' AGOTY à Paris.

GVIL. GRIEVE diſſ. de febribus tertianis intermittentibus. Edinb. 8.

GVILLOTIN V. BOSQVILLON.

GYLLENBORG V. WALLERIVS p. 186.

Abhandlung über die Futterkräuter der Neuern von Herrn ALBRECHT VON HALLER **) *Aus den Lateiniſchen überſetzt. Bern.* 8.

HENCKEL *von chirurgiſchen Operationen* ***).

Lettre de M. LANSEL de MAGNY Doct. en médec. de la Faculté de Montpellier a M. L' Abbé de COLONSE ſur les préſages de la vie ou de la mort, dans les maladies. Ouvrage vtile non ſeulement aux médecins & aux chirurgiens, ſelon cette penſée d' HIPPOCRATE au livre de préſage: Aucun malade ne doute de donner toute ſa confiance à celui, qui lui fait connoitre le préſent le paſſé & l' avenir. à Paris 12.

LVDW. ODIER diſſ de elementariis muſicae ſenſationibus. Edinb. 8.

Obſeruations ſur les différentes méthodes de traiter les maladies vénériennes avec une methode de guérir ces maladies avec des lavemens mercuriels. Par M. PERRANT à Narbonne 4.

IO. ZACHAR. PLATNERS *gründliche Einleitung in die Chirurgie oder kurze Anweiſung aller Kranck-*

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 322.
**) v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 255.
***) v. comm. noſtr. decad. II. Suppl. IV. p. 729.

Kranckheiten, ſo denen Chirurgis vorkommen, theils mit innerlichen und äuſſerlichen Medicamenten, theils durch Operationen zu curiren. Mit Kupfern und einem Anhange einiger zuſammengeſetzter Arzneymittel Leipzig 8. maj. (Licet hoc opus vtile per aetatem ſuam nouis deſtitutum eſt inuentis atque obſeruationibus; tamen idem carum atque vtile nobis videtur chirurgiae amicis, inprimis cum ſupplementorum ad illud iam prima pars a filio eius ſit edita, quam quoque duae praeterea ſequentur *).

De la conſeruation des enfans. Per Mr. RAVLIN **) Tom. I et II. à Yverdon 8.

Eiuſd. inſtruction ſuccinte ſur les accouchemens à Paris 8.

IACOB RICHARDSON diſſ. inaug. de variolis Edinb. 8.

* * ROGERSON diſſ. de morbis infantum ib. 8.

Lettre de M. ROYER a M. I. I. GARDANE a Bouillon 12.

Dictionnaire pour la theorie & la pratique du iardinage & de l' agriculture par M L' Abbé ROBERT SCHABOL à Paris 8. (*Hoc eſt aliud ſcriptum, quam id, cuius iam titulum indicauimus* ***). *Operae et ſtudio* Cl. DEZALLIER D' ARGENVILLE *hoc debemus. Eſt quoque non ſolum lexicon pro hortulanis, ſed horticulturae explicationes et varias methodos, encheireſes, machinas tradit et partes vegetabilium perſequitur.*)

AVGVST

*) Vide de his Supplementis ERNESTI PLATNERI comm. noſtr. Vol. XX. p. 707. et EIVSDEM lithotomia mulierum ib. dec. II. Suppl. IV. p. 722.

**) v. comm. noſtr. decad. II. Suppl. I. p. 97.

***) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 726.

AVGVST SCHAARSCHMITD *kurzer Unterricht von den veneriſchen Kranckheiten Berlin 8.*

Bayeriſcher Bienenmeiſter oder Anleitung zur Bienenwartung auf höchſte Veranlaſſung Sr. Churfürſtl. Durchlaucht zu Bayern abgefaſst von A. G. SCHIRACH *München.* 8.

THOM. SMITH diſſ. de actione muſculari Edinb. 8. (ſ. a.)

BENIAMIN THOMAS diſſ. de colica Edimb. 8.

* * WOLF *Unterricht für das Volck gegen die Peſt.* (Hic liber Varſoviae in lingua Polonica prodiit apud *Michael Gröll*, qui gratis illum diſtribuit.)

The natural and chemical elements of agriculture. Translated from the latin of Count GYLLENBORG by IOHN ELLIS Lond. 1770. 12 mai. Minime vero Ill. GYLLENBORG eſt Auctor huius libri, ſed Cl. WALLERIVS, qui latine et Suecice agriculturae fundamenta chemica tradidit*). Cl. ELLIS hic Anglice hunc librum vertit et Gallice, necnon bis Germanice hic liber translatus eſt.

De l' experience en médécine. Ouvrage traduit d' Allemand de M. ZIMMERMANN **) a Paris 12.

*) v. comm. noſtr. Vol. XI. p. 039.

**) Vide germanici huius libri recenſionem comm. noſtr. Vol. XIII. p. 475.

Conten-

Contenta in hac parte.

I. Noui Commentarii Academiae Petropolitanae Tom. XVII. pro anno 1772. p. 1

II. Planches d' hiſtoire naturelle, de M. DAUBENTON. 11

III. MÜLLER vermium terreſtrium et fluuiatilium cet. ſuccincta hiſtoria. 18

IV. *Die Säugthiere in Abbildungen nach der Natur mit Beſchreibungen Erſter Theil.* 42

V. SCHEVCHZERI agroſtographia per A. DE HALLER. 50

VI. SCHOLLER flora Barbienſis. 56

VII. GERHARD *Beyträge zur Chemie und Geſchichte des Mineralreichs Erſter Theil.* 58

VIII. WERNER *Von den äuſſerlichen Kennzeichen der Foſſilien.* 66

IX. Philoſophical tranſactions Vol. LXI. LXII. LXIII. LXIV. for the year 1771 – 1774. 72

X. Directions for impregnating water with fixed air by PRIESTLEY. 124

XI. A diſcourſe on the different kinds of air. By PRINGLE. 126

XII. Experiments and obſeruations on different kinds of air. By PRIESTLEY. 126

XIII. Detail de ſuccès de l' etabliſſement en faveur de perſonnes noyées & premier ſupplement par Mr. A. 129

XIV.

XIV. Le ſecret des SVTTONS dévoilé par M. GARDANE. 135

XV. COLLIN obſeruationum circa morbos acutos et chronicos factarum Pars II. III et IV. 137

XVI. PARR diſſ. inaug. de balneo. 144

XVII. BOLTEN *Nachricht von einem mit den künſtlichen Magneten gemachten Verſuche in einer Nervenkranckheit.* 147

XVIII. AB INDAGINE bifolium chemico phyſico metallicum. 148

XIX. EIVSDEM trifolium chemico phyſico ſalinum. 156

XX. HEVSLIN ſpec. de aqua. 162

XXI. Noua phyſico medica. 165

XXII. Supplementum indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1770 prodierunt. 182

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XXI PARS II.

LIPSIAE MDCCLXXV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.

Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Venetiis apud I. B. Paſcali, Pataui apud Io. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

I.

Noua Acta regiae ſocietatis ſcientiarum Vpſalienſis. Vol. I. Vpſaliae, Apud Ioann. Edman. Anno MDCCLXXIII. 1 Alph. 6 plagg. 4. tab. aen. 10.

Quum indulgentia ac tutela Sereniſſimi Principis hereditarii et Ducis Sudermanniae, CAROLI, omnia, quae inuitis et dolentibus ſociis acciderunt, obſtacula diſpulſa ſint: Societas ſcripta ſua, hac Nouorum Actorum inſcriptione vulgabit.

Dolemus ſane fortunam aduerſam, qua incendio fatali et quarta pars vrbis anno 1766, et ſcripta ſociorum plura periere; atque optamus vt reliqua, quae promittuntur volumina, ſtudioſis naturae certe accepta futura, propediem edantur. Quantum ex nuperis litteris nouimus, praeter hoc primum, quod indicamus, nondum aliud prodiit. Sunt autem in hoc volumine ſcripta phyſico medica, hiſtoricis aliisque omiſſis, ſequentia.

1. *Anomiae* deſcriptae tum a THOMA PENNANTO, tum a CAROLO V. LINNÉ. Conſtat diu incognita fuiſſe animalia in *Anomiis* habitantia, atque Ill. LINNAEVS fatetur Cl. PENNANTVM in *Anomia*, quae ab hoc vberius hic p. 38.

deſcribitur, eſtque *Anomia retuſa* LINN. Syſt. XII. 1151. primum animal, ſiccatum quidem detexiſſe et cardines reperiſſe. Depicta hic eſt teſta, et animal
p. 39. ſiccatum in teſta. Adiungit Ill. LINNAEVS *Anomiae capitis ſerpentis* animantiſque in ea habitantis, et *Anomiae pateliiformis* deſcriptiones, quae iam in Fauna Suecica et Syſtemate naturae ed. XII. breviores reperiuntur, et icones. Animal *A. patelliformis* ſingulare eſt, nam e medio corporis veluti linguam porrigit ciliatam pilis tenuibus, et ab vtroque linguae latere brachio inſtruitur, quorum ope, periculo imminente teſtas claudat.

p. 44. 2. *Furia infernalis*, *vermis*, *et ab eo concitari ſolitus morbus*, *deſcripti* a DANIELE SOLANDER. Vermem viuum Noſter diſquiſiuit, deditque characterem, quem LINNAEVS in Syſt. nat. XII. aſſumſit, putat tamen eundem Lumbrico proximum eſſe. Hiſtorias morbi plures commemorat, eumque *Paronychiam horrendam*, *ex verme*, nominat. Subito enim, latente cauſſa, incipit, digitos, manus, et faciem infeſtatur, inflammationem parit, dolores atrociſſimos excitat, oſſa ipſa ſollicitat carie, vlcera immedicabilia gignit, ita, vt non tollatur, niſi, quum oſſa exciderint, longiſſimi ſaepe mora cruciatus. Remedium contra morbum in caſeo non ſalito recenti multi inuenerunt.

p. 58. 3. *Claſſes Laruarum* a TORBERNO BERGMANN conduntur, genera et ſpecies inpoſterum promittit. In quibusdam Dipteris videtur larua triplicem ſubire metamorphoſin, cum intra laruam exutam, integram et indureſcentem, initio formam habeant ellipſoidis, quae membra introrſum verſa ſenſim emittens in Nympham mutatur; nulla tamen has duas formas excoriatione intercedente,

vnicam

vnicam eſſe habendam metamorphoſin Noſter exiſtimat. Ex diuerſitate capitis pedumque in Laruis, octo claſſes ſequentes conſtituit.

Laruae ſunt praeditae:

1. vel capite membranaceo, pedibus aut membranaceis, vel nullis: *Midae*, quae per ſtatum nymphae ſ. pupae incompletae in *Diptera* tranſeunt.
2. vel capite corneo.
   a) abſque dentibus exſertis, pedibus corneis nullis: *Raucae*, quae etiam in *Diptera* mutantur.
   b) dentibus exſertis.
      α) pedibus carentes: – *Bugones*, per Nymphas in *Hymenoptera* mutantur.
      β) pedibus praeditae.
         1. corneis tantum: *Simulta*, ex his et *Coleoptera* et *Neuroptera* et *Aptera* fiunt.
         2. corneis et membranaceis
            a. membranaceis vltra 10. *Bracti*, inde *Tenthredines*.
            b. membranaceis non vltra 10. *Campae*, hinc *Lepidoptera*.
   c) roſtro abſque dentibus, pedibus corneis ſex membranaceis nullis.
      1. roſtro vno: *Ipedes*, fiunt *Hemiptera*.
      2. duobus roſtris: *Serphi*, vnde vel *Dytiſcus*, vel *Hemerobius*.

4. *Tipula fuſca, antennis ſimplicibus, alis longitudinaliter plicatis, deſcripta et ſocietati communicata anno* 1757. *a* CAROLO DE GEER. Eſt vberior hiſtoria metamorphoſeos, et deſcriptio *Tipulae replicatae* LINN. Eruca caret pedibus, aculeis ſimplicibus et bifidis corpus tegitur. Hi aculei caui ſunt, et Auctori videntur id praeſtare, vt larua reſpirare poſſit. p. 66.

 5. De

p. 77. 5. *De Hyaena, narratio miſſa Algeria, ab* ERICO SKIÖLDEBRAND. Obſeruationes iam hae in LINNAEI ſyſtemate ed. XII. reperiuntur, notandum tamen eſt id, Mauros opinari, quicunque quidquam huius ferae, praeſertim eius cerebrum edat eum inſanum futurum; et quendam, qui cum *Hyaena* confligaret, neque vulneratus eſſet, paucos poſt dies tumidum mortuum eſſe.

p. 81. 6. *Bellis cretica, fontana omnium minima.* (TOURNEF. *Coroll.* 37). deſcripta ab IOANNE CHRIST. DANIELE SCHREBERO. Eſt *Pectis minuta*, foliis ouatis petiolatis. LINN. Egregie hic deſcribitur, traditurque icon eiuſdem.

p. 85. 7. EIVSD. *epiſtola ad* CAROL. V. LINNÉ, *qua continentur varia noua Botanica.* Sunt deſcriptiones *Decumariae barbarae*, *Gorterae rigentis*, *Schreberae ſchinoidis*, cuius et icon additur.

p. 94. 8. *Heliophila deſcripta a* LAVR. BVRMANNO; eſt Heliophila integrifolia LINN. cum icone.

p. 97. 9. *Elliſia Nyctelea, cuius figura miſſa fuit Londino ab* EHRETO, *deſcripta a* CAROLO V. LINNÉ: reperitur in appendice ad ſpecies plantarum, mantiſſa, et ſyſtemate Linnaeano.

p. 98. 10. *Dionaea muſcipula deſcripta a* IOANNE ELLIS: vberiorem ipſius Auctoris deſcriptionem indicauimus *).

p. 101. 11. *Obſeruatio de oſſibus in pericardio hominis, cordi undique adhaerente, repertis a* SAMVELE AVRI-

*) v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 529.

AVRIVILLIO, iam fatis erepto. Hominis in quadrageſimo quarto aetatis anno demortui thorace aperto, circa cordis regionem nimia pinguedo ſe obtulit, pericardium erat craſſum, calloſum, et octo oſſeis fruſtis, diuerſae magnitudinis refertum, quae a laminis pericardii tegebantur, ita tamen, vt breui tela cellulari cordi necteretur totum pericardium. In vtroque cordis ventriculo polypus, alter liber, alter cum valuulis coalitus reperiebatur. Nihil de homine viuo reſcire potuit Noſter, niſi eum ſpirituoſis abuſum liquoribus, pectoris anguſtiis, tuſſique fere ſicca queſtum, ſubito mortuum eſſe.

12. *De remediis Galactophoris obſeruationes* PETRI IONAE BERGII. In quinque mulieribus, quibus variis ex cauſſis lac ſuppreſſum fuit, decoctum ex Radicis foeniculi dulcis vnciis duabus, herbae foeniculi vncia vna et dimidia, eademque herbae anethi et chaerefolii quantitate, et ſeminum foeniculi vncia vna, iuxta artis regulas paratum lactis ſecretionem optime promouit. p. 104.

13. IOANNES T. HAARTMANN, refert, haemopticum, omnibus aliis remediis, ſanguinis profluuia ſedantibus, oleoſis, paregoricis, lacteque ebutyrato, fruſtra adhibitis: tandem ſpiritu frumenti, nitro ſaturato curatum eſſe. Haemoptyſi ſublata, variis contra tuſſim datis, plane conualuit. Idem remedium mulierem, eodem morbo laborantem, ſanitati reſtituit. p. 109.

14. *Experimenta electrica, tranſitum commotionis per aquam illuſtrantia, auctore* TORBERNO BERGMANN, *anno* 1757 *ſocietati communicata:* ex his colligit corpora ſic dicta propagantia non ſemper ictui tranſitum concedere, ſed opus eſſe, vt p. 111

 magna

magna fluidi electrici copia penetrare poſſit: facultatem propagandi, a vi concutiendi gradu tantum differre: aquam, animalia et metalla inter optima propagantia numeranda eſſe.

p. 118. 15. *Aurorae boreales, annis 1759-62 obſeruatae ab* EODEM. Diem, horam, minutaque prima, altitudinem, ſplendorem, colores, directionem aliaque ſollicite indicat.

p. 150. 16. *Variae cryſtallorum formae a Spato ortae, explicatae ab* EODEM. Demonſtrat geometrice, quomodo teſſera planis rhombeis multis modis in alias figuras mutari poſſit; vel enim ſi plures vni rhombo circumponuntur, oritur priſma hexaedrum, ſex conſtans parallelogrammis, vtrinque terminatum tribus rhombis, quae figura *baſalticis et calcareis* cryſtallis competit: aliis modis cryſtalli *Granatis* vel *Hyacinthis* propriae conſtrui poſſunt: quam rem et figuris et pluribus exemplis illuſtrat.

p. 155. 17. *Obſeruatio deliquii lunaris d. 19 Iun. 1750 facta, in obſeruatorio Vpſalienſi a* MARTINO STROEMER.

p. 156. 18. *Obſeruationes quaedam Aſtronomicae habitae in obſeruatorio Holmienſi, a* PETRO WARGENTIN. Nimirum ſex eclipſes ſolis, ſeptem eclipſes lunae, tranſitum lunae per pleiades, occultationes ſtellae β Virginis, et ſtellae Aldebaran vel α Tauri deſcribit.

p. 169. 19. *Problema Aſtronomicum, inuenire correctionem meridiei, auctore* FRIDERICO MALLET.

p. 174. 20. *Meletema Aſtronomicum, auctore* EODEM. Demonſtrationes ſunt circa naturam et proprietates Ellipſeos, quae in theoria Planetarum praeſupponi debent, vel quae ad legem virium in motibus Ellipticis determinandam inſeruiunt.

21.

21. *Cogitationes de excidio naturae, exhibitae a* DANIELE MELANDER. Mathematice oſtendit planetas ideo, quoniam ſol perpetuam patiatur diminutionem, egredientibus radiis ſolaribus, a ſole recedere debere; ſimul vero per Solis atmoſphaerae reſiſtentiam retineri in iuſta a ſole diſtantia: ideoque in vno eodemque naturam manere ſtatu, atque opiniones contrarias vix veriſimiles eſſe.

II.

IO. CHRIST FABRICII, Profeſſ. Havnienſ. Soc. Reg. Norv. et Berol. Memb. Syſtema entomologiae ſiſtens inſectorum claſſes, ordines, genera, ſpecies, adiectis ſynonymis, locis, deſcriptionibus, obſeruationibus. Flensburgi et Lipſiae. In officina libraria Kortii, 1775. 8. 2 Alph. 8. plagg.

Charaeteres ordinum et generum Cl. Auctor in hoc nouo ſyſtemate ex inſtrumentis cibariis deſumit, eaque ideo curatius diſtinguit et definit, atque exinde, cum ordines ab alis in ſyſtemate Linnaeano videantur naturae vim inferre, claſſes nouas ſ. potius ordines octo conſtituit, pluraque noua genera receptis addidit. Ordinum nomina ſunt.

Eleuterata; his os maxillis, palpiſque quatuor aut ſex, maxilla nuda, libera: comprehendit *Coleoptera* LINN.

Vlonata, os maxillis, palpis quatuor maxilla tecta, galea obtuſa: huc priora ex *Hemipteris* LINN. genera, quae roſtro carent, pertinent.

Syniſtata, maxilla connata cum labio, palpis quatuor, coniuncta ſub hac claſſe ſunt varia *Apterorum*, plura *Hymenopterorum*, et *Neuropterorum* genera, LINN.

Agonata, ore palpis quatuor aut ſex, maxilla nulla. Sunt *Scorpio* et *Cancer* LINN.

Vnogata, ore maxillis palpisque duobus, maxilla inferiore ſaepius vngiculata.

Gloſſata, ore palpis linguaque ſpirali: *Lepidoptera* LINN.

Ryngota, horum os roſtro, vaginaque articulata inſtruitur: poſteriora *Hemipterorum* LINN. genera.

Antliata, quibus os hauſtello: vagina inarticulata: *Diptera* LINN.

Multa genera Linnaeana in plura Cl. Auctor diuiſit pro inſtrumentorum cibariorum diuerſa ſtructura. Nos quaedam tantum exempli loco indicabimus. Sic
p. 3. *Scarabaei* genus in quinque diuiſit, quae dicuntur 1. *Scarabaeus*, palpis 4 filiformibus, labio emarginato, apicibus elongatis palpigeris; huc *S. Hercules* LINN. ſimileſque 2. *Trox*, palpis 4 capitatis, maxilla bifida; *Scarabaeus ſabuloſus* LINN. 3. *Melolontha*, maxilla breui cornea, apice multidentata. 4. *Trichius*, palpis 4 filiformibus, maxilla bifida. 5. *Cetonia*, maxilla apice ſetoſa, labio coriaceo, emarginato, palpos tegente, vt *Scarabaeus auratus* LINN. Sic
p. 55. etiam *Dermeſtes* Noſtro habetur, inſectum palpis inaequalibus filiformibus, maxilla bifida, labio corneo obtuſo integro. Reliquos LINNAEI Dermeſtes, vel *Apates*, palpis filiformibus, aequalibus, labio membranaceo, truncato, vel *Boſtrichos*, maxilla cornea, labio cylindrico integro, apice palpigero antennis claua ſolida, nominat. Sub *Sphaeridio* Cl. Auctoris *Dermeſtis* et *Silphae* LINN. quaedam ſpecies comprehenduntur. *Cerambyx* LINN.
p. 159. in ſequentia genera eſt partitus. 1. *Prionus*, palpis 4 filiformibus, maxilla cylindrica, integra, labio breuiſſimo, membranaceo. 2. *Cerambyx*, palpis filiformibus, maxilla obtuſa vnidentata, labio bifido.

3. *La-*

3. *Lamia*, palpis 4 filiformibus, maxilla cornea bifida, labio corneo bifido. 4. *Stenocorus*, palpis 4, anterioribus filiformibus, poſterioribus clauatis. 5. *Calopus*, palpis 4, anterioribus clauatis, poſterioribus filiformibus maxilla bifida, labio membranaceo, bifido, antennis filiformibus. 6. *Rhagium*, palpis 4 capitatis maxilla vnidentata, labio membranaceo bifido. 7. *Saperda*, palpis filiformibus, maxilla membranacea bifida, labio cordato, truncato. 8. *Callidium*, palpis 4 clavatis, maxilla membranacea bifida, labio bifido, laciniis breuiſſimis acutis: ad vltimum hoc genus vero etiam *Lepturae* ſpecies LINN. pertinent.

In *Grylli* genere familias Linnaeanas genera fecit. 1. *Acridium*. (*Gryllus bipunctatus*, et *ſubulatus* LINN.) 2. *Truxalis* (*Gryllus Acrida* LINN.) 3. *Acheta* 4. *Locuſta* (*G. Tettigonia* LINN.) 5. *Gryllus* (*G. Locuſta* LINN.) Similiter *Sphyngis* et *Phalaenae* genera ſubdiuiſit, ita, vt in poſteriore nomina familiis Linnaeanis data retineret. p. 276.

Quaedam genera, quae tamen vel vnam, vel paucas ſpecies continent, inſecta noua plane et exotica ſiſtunt, vt *Melyris*, Dermeſtis facie, palpis filiformibus, maxilla vnidentata, acuta, labio clauato emarginato, antennis totis perfoliatis; ad caput Bonae ſpei habitans. *Zygia*, *Meloës* propinquum genus, quod palpis inaequalibus, filiformibus, labio elongato, membranaceo, antennis moniliformibus inſtruitur: et *Zonitis*, quae ſtatura *Chryſomelae ſulphureae* LINN. ſimilis eſt: et definitur ab Auctore, palpis filiformibus, maxilla palpis longiore, integra, labio emarginato, antennis ſetaceis; vtraque in Oriente a FORSKAEHLIO eſt inuenta. *Alurnus* ſiſtit nouum genus *Chryſomelae* ſimile, differens palpis ſex, acutis, breuiſſimis, maxilla cornea fornicata, antennis filiformibus: in Indiis habitat. *Cucuius*, ſtatura *Cantharidis*, differt palpis aequalibus, articulo vlti- p. 58. p. 126. p. 94. p. 204.

vltimo truncato, craſſiori, labio bifido, anten-
nis moniliformibus: habitat in Germania. *Sepi-*
p. 250. *dium*, et *Scaurus* noua genera, quae ad *Tenebrionem*
p. 258. LINN. pertinent. *Erodius*, inter *Tenebrionem* et
Meloen LINN. medium genus, elytris connatis
p. 353. praeſertim diſtinguitur. *Tiphia*, genus *Sphegi*
propinquum ex Syniſtatorum ordine (forſan etiam
Hymenopterum, quod tamen ex deſcriptionibus
Auctoris non patet,) nouas octo ſpecies, pleraſque
exoticas continet, eſtque iis maxilla membranacea
rotunda, labium breue, corneum, tridentatum me-
p. 360. dio palpigerum, antennae ſubpetiolatae. *Thyn-*
nus et *Leucopſis*, noua ad *Veſpam* LINN. pertinentia
genera. Vt alia mittamus.

Acceſſit igitur in hoc ſyſtemate ingens, ac certe altera tanta copia nouorum neque ante a LINNAEO deſcriptorum inſectorum: quod exinde, cum 99 noua genera ad priora addita ſint, facile colligere licet. Cl. Auctor enim ea, quae Cll. viri BANKS, SOLANDER, FORSKAEHL, aliique in nouis terris detexerunt, vidit, horumque dat deſcriptiones: detexit ipſe plures nouas Europaeas ſpecies, luſtratus eſt plura muſea, atque ex multis quaedam noua commemorat: addiditque noua ea inſecta, quae paſſim recentiores, DRVRY, SEPP, SCHAEFFER aliique vel depinxerunt, vel deſcripſerunt.

Generum nomina Linnaeana, et triuialia non mutauit, niſi tum, cum e ſpeciebus quibuſdam noua genera, iuxta methodum ſuam, ſtruere oportebat. Deſcriptiones nouis, vel minus recte deſcriptis ſpeciebus addidit, differentiasque ſpecificas a coloribus deſumſit. Synonyma addidit laudatorum Auctorum recentiorum, veterum nomina conſulto omiſit.

Quaſdam ſpecies Linnaeanis aliis generibus iam cognitis ſubiecit, ac nonnullas, ad varietates, ex

quibus

quibus notatu digniſſimarum tantum memoremus. *Coccinellam vnipunctatam* ad Scarabaeos retulit. *Caſſidam petiuerianam* ad *Blattam* amandauit, cum antennae ſint ſetaceae. *Mantis oratoria* et *religioſa* vnam ſpeciem conſtituunt. Sic ad *Tenthredinem bicinctam liuida* quoque refertur. p. 20. p. 212.

Curculiones Anchorago et diſpar dubii Auctori adhuc, et nouum genus conſtituere videntur. Quaſdam *Sphegis* ſpecies, vt *cribrariam*, *clypeatam*, *myſtaceamque*, ad *Crabronis* genus adiecit. *Phalangium cancroides* dicit ſpeciem *Scorpionis*. p. 143.

Termetes fatidicum et *pulſatorium* LINN. ad *Hemerobium* numerat. *Termes* vero *fatale* LINN. genus ſolum conſtituit, quod inter *Apem* et *Formicam* medium eſt; cum mas alatus, femina vero et neutra aptera ſint. In India ſummam calamitatem conſtituit, fornices cylindricos progrediendo inaedificat, et nidos e ſabulo ſinubus daedaleis in tophum ſtruit. Calce viua coercetur. p. 311. p. 390.

Obſeruationes paſſim, ſed rarius ſubiunctae ſunt. Locum natalem, et victum in multis curatius definiuit, quarundam etiam laruas indicat, et Aphidum nominibus deſcriptiones addidit.

Haec fere ſunt, quae de nouo hoc ſyſtemate ex inſtituto noſtro referre licet. Nam neque vtilem, neque Lectoribus acceptam iudicamus nouorum omnium generum, vel ſpecierum enumerationem; cui iſta placeant, is ipſum librum legat neceſſe eſt. Laudamus Cl. Auctoris ſummam ſane operam, diligentiam, et ſollicitudinem, quam in colligendis tot nouis inſectis, iis deſcribendis, et cum Auctorum nominibus comparandis adhibuit; laudamus id, quod inſtrumenta cibaria curatius diſquiſiuerit,

ſiuerit, eorumque diuerſitates expoſuerit, attenderitque ad ea in deſcribendis generibus et ſpeciebus. At vero minus placet, exinde exſtructum ſyſtema, nimiſque diuulſa et turbata genera inſectorum. Etſi enim concedimus methodum, ab alis deſumtam, paſſim non naturalem eſſe, tamen etiam hanc nouam ordinandi rationem naturae vim ſaepe inferre arbitramur. Sic ordo Syniſtatorum coniungit inſecta, et victu, et corporis forma, metamorphoſeos etiam diuerſitate omnino inter ſe diuerſa. Sane, quam ſimilitudinem Monoculi et Oniſci, cum Ephemera habeant, vel quae conuenientia inter Libellam et Iulum ſ. Scolopendram ſit, nos non reperimus. Graue iam et difficile ſatis eſt ſtudium naturae, neque vtile tanto nouorum generum numero confuſionem augere: cum hac ratione verae naturae cognitioni plus detrahatur, quam addatur. Deſcribantur partes omnes, iungantur ſimiles ſibi ſpecies, et quae quibuſdam a ſe differant notis, diuerſae familiae ſub vno eodemque genere adſcribantur. Satis enim naturae diuerſitas monſtrat, Genera cuncta eſſe artificialia, ſpeciesque per gradus ſecum connecti. Optaremus potius, vt Cl. Auctori, praeſertim in nouis generibus, placuiſſet, vberiores ſubnecti partium deſcriptiones. Nos, libere enim fatendum eſt, ex datis ſaepe nondum hariolari formam et ſtructuram animalis potuimus, quod potiſſimum ei accidet, qui nondum inſecta ex LINNAEI ſyſtemate cognouerit.
p. 353. Sic an *Tiphia* alis inſtruatur quatuor, an duabus, an quaedam ſpecies nullis, membranaceis, vel aliis, ex definitionibus non patet. Inuenimus etiam quaſdam LINNAEI ſpecies omiſſas eſſe, quod tamen forte conſulto, factum eſt.

III.

III.

Inledning til Diur Riket, efter Herr Archiatern och Riddaren CARL VON LINNE'S Låro-grunder. Af ANDERS IAHAN RETZIVS. Stockholm, Hos Carl Stolpe, 1772. 8. plag. 18. tab. aen. 4.

i. e.

Inſtitutiones ad cognoſcendam Animalium naturam, iuxta methodum Ill. LINNAEI, Auctore ANDREA IOANNE RETZIO.

Iuuabit breuem huius vtilis libri tradere epitomen, cum propter ordinem laudabilem, curatam et vberiorem tractationem, partiumque in animalibus determinationem, et prudenter delectas, recteque ſculptas icones notabiliorum partium omnem omnino mereatur commendationem, et in aliis linguis imitationem.

Generaliori de animalibus in vniuerſum tracta- p. 1. tione praemiſſa, vbi oeconomica corporis animalis, atque ex eius diuerſitate orta in claſſes et ordines diuiſio, et characteres claſſium atque ordinum traduntur, capite altero generum attributa, p. 33. ſpeciebus plurimis eiuſdem generis communia, enarrantur. Iam partium diuerſitates omnes in- p. 116. dicat, ita quidem, vt et externas, et quaſdam interiores contempletur. Vnaquaeque claſſis ſigillatim tractatur. In his partium diuerſarum denominationibus multae ſunt, quae in aliis fundamentis omiſſa ſunt. Adiectum eſt nomen Suecicum, et Latinum, et ſi opus fuerit explicatio. Saepe additum eſt exemplum animalis, ſi fuerit ſtructura ſingularis. Illuſtrationis cauſſa additae ſunt icones,

vt

vt diximus, elegantes et vtiles. Libro ſubnectitur index terminorum et animalium. Exteris etiam hic diligenter ſcriptus liber eo vtilis eſſe poteſt, vt terminos Suecicos technicos recte intelligant, qui in Lexicis vulgaribus vel plane non, vel perperam ſaepe explicantur.

IV.

De uitlandſche Kapellen voorkomende inde drie waereld - deelen Aſia, Africa, en America, by een verzameld en beſchreeven door den Heer PIETER CRAMER. etc.

Seu.

Papillons exotiques des trois parties du Monde l' Aſie, l' Afrique & l' Amerique raſſemblées & décrits par Mr. PIERRE CRAMER Directeur de la Société Zelandoiſe des Sciences a Vliſſingue & Membre de la Société concordia & libertate à Amſteldam, deſſinés, ſur les Originaux, gravés & enluminés ſous ſa direction. A Amſteldam, chez S. I. Baalde. A Vtrecht, chez *I.* van Schonhoven & Comp. MDCCLXXV. I. Cahier 9 planches. 4 mai. tab. aen. illum XII.

i. e.

Lepidoptera exotica collecta deſcriptaque a PETRO CRAMERO, et ſub eius directione viuis coloribus picta.

Praemiſſa dedicatione, qua Lepidopterorum natura breuiter exponitur, ſcriptoreſque recenſentur, praefatio ſequitur, vbi ratio ſcribendi ab Auctore Cl. indicatur. Sequitur Noſter LINNAEI ſyſtema, nomina-

nominaque eius retinet: noua Lepidoptera ad Eiuſdem leges format, nominaque Heroum et Romanorum iis imponit. Commemorat nomina Auctorum, qui inſecta quaedam hic depicta, iam habent. Colorum mentionem in deſcriptione non fecit, neque, vt animaduertimus, ſemper aliarum partium differentiam, vti fieri debuiſſet, indicat: ſed ea ex iconibus cognoſci vult. Colores ſelegit in iconibus viuos, non tamen nitentes nobis videntur. Indicat, ſi varium colorem offerant alae quorundam.

Omnino opus ſplendidum atque omnibus naturae ſtudioſis acceptum fore hoc opinamur. Sed duo optanda ſunt, vt et ea Lepidoptera, quae ab aliis EDWARDO, DRVRY, CLERK, iam picta traduntur, omittantur, ne nimia repetitione ſtudium naturae iam pretioſum, nimis moleſtum fiat: deinde, vt praeter breue tantummodo nominis familiae locique natalis indicium, etiam naturae, et metamorphoſeos fieri poſſit mentio. Icones ſplendidae, interdum tamen nimis durae, nec naturae omnino conuenientes videntur.

V.

Icones lignorum exoticorum et noſtratum Germanicorum ex arboribus, arbuſculis et fruticibus varii generis collectorum. Miſſus I. et II. plag. 4. tab. aen. 24. fol. min.

Seu.

Abbildung in - und ausländiſcher Hölzer, ſowohl von Bäumen als Staudengewächſen, welche von den Liebhabern der Naturgeſchichte in ihren Naturalienkabinetten nicht nur zu einer Augenbeluſtigung, ſondern auch zur Kenntniß der Petrefakten, pflegen zuſammen getragen zu werden. Nach

ihrer Struktur und natürlichen Farben heraus gegeben. 1 - 2tes *Heft. Nürnberg. In Commiſſion der Seeligmanniſchen Kunſthandlung.* 1773 -- 74.

Traduntur in his tabulis 216 lamellae, forma quadrangula oblonga caeſae, politaeque lignorum plurium: ita quidem, vt in quibuſdam ſectio tranſuerſa et ad longitudinem facta conſpiciatur; in nonnullis mutatio coloris aqua forti, vel putredine orta eſt icone indicata. Nomina arborum Latina et Germanica addita ſunt, ſed tantum triuialia, et in quibuſdam nihil ſignificantia, vt *Abies exotica*, quis ſciet, quaenam? etiam corrupta, vt *Pericardium* Cedri: Praeter communia arborum ligna, quaedam rariora deprehenduntur; vt lignum Braſilianum, Antira dictum; Aſphaltum, Colubrinum; Saſſafras, Indicum roſeum; litteratum; Campechinum; ſanctum; purpureum; cajate, Collecteben, Mahagoni ſ. ex Lauro indica; Surinamenſe *Bolletree*; Guaiacum; Benzoinum; Dracenae; Camphorae, et alia, quae omittimus.

Fatemur lubenter, multa arte et egregie pictas eſſe horum lignorum icones; verum non poſſumus, quin de vſu totius libri vehementer dubitemus. Primo enim tabulae lignorum politae phyſico de ligni natura, ſtructura, denſitate etc. ſollicito plane non ſufficiunt, nec quicquam fere proſunt. Deinde in adeo paruulis fruſtis fibrarum in arbore directio, ſaepe multum varians, non cognoſcitur. Denique ipſorum lignorum colores, pro ratione loci, aetatis, regionis, etc. multum variant. Hinc etiam declaratur, cur multa, fere omnia, hic depicta ligna coloribus et fibrarum directione differant, ab iis, quibuscum ea comparauimus. Etſi igitur arti hic adhibitae laudem detrahere nolumus, vſu eam tamen hic carere putamus.

VI.

SALOMONIS SCHINZ Med. Doct. Primae Lineae Botanicae ex tabulis phytographicis Clar. IOHANNIS GESNERI Med. Doct. ductae. Turici apud I. C. Fueſſlinum filium MDCCLXXV. cum germ. verſione. 6 plag. cum praef. cum 2 tabb. aeneis fucatis. fol. reg.

In praefatione commemorat Cl. Auctor cauſas, quae ipſum impulerint ad hanc tabularum botanicarum editionem procurandam. Quae potiſſimum in eo poſitae ſunt, vt, cum in tabulis Fuchſianis, quibus potiſſimum in paedagogio Turicenſi vtantur, partes fructificationis ſint omiſſae, alumni haberent, in quo et earum aliquam cognitionem ſibi acquirerent, et quarum ductum in arte pingendi ſequerentur. Ipſarum vero partium deſcriptiones, quae nobis ob ſummam concinnitatem elegantiamque, alias in Botanicorum libris non nimis vſitatam, etſi vix noui quicquam hic contineatur, maximopere placent, ex LINNAEI, HALLERI, OEDERI aliorumque botanicorum libris, §. vlt. vti Cl. Auctor ipſe fatetur, non ſine ſummo ſtudio collegit atque digeſſit. Vt intelligatur genus dicendi, quo Noſter vtitur, breui, perſpicuo, et eleganti, ſpeciminis loco, penſum, in quo partes vegetationis et fructificationis deſcribit, hic reſcribemus. §. 2. *Partes vegetationis ſunt eae, quae ad plantae ſuſtentationem, incrementum, vitam inſeruiunt. Partes fructificationis propagandae ſpeciei deſtinatae ſunt.*

Non vero ſolum partes plantarum deſcripſit, exemplisque illuſtrauit, verum etiam ad calcem libri

 ſyſtema

ſyſtema ſexuale Ill. LINNAEI, ad quod intelligendum tironibus hic libellus non parum proderit, explicuit, et tabulam addidit, ad quam Ill. LINNAEVS ſyſtema ſuum exſtruxit, et quae pluribus Linnaeanis libris praepoſita reperitur.

Dolendum vero, hunc librum typographicis erroribus nonnunquam ſat moleſtis, vt pag. 18. vbi *radicem* pr. *radium* legitur, eſſe corruptum.

Figurarum quidem delineationem ſatis accuratam et elegantem deprehendimus, niſi quod Tab. A. n. 30. pro flore *Coluteae fruteſcentis*, mallemus adhibitum fuiſſe, piſi aut eiusmodi plantae florem, quo luculentius apparerent alae, quae in exemplari delineato nimis ſunt paruae ac tectae: ſed in colorando ſaepe a natura et veritate receſſum eſſe valde dolemus. Cuius rei aliquot exempla afferamus. In Campanulae flore Tab. II. fig. 14. pro colore carneo debet eſſe coeruleus, et in fig. 22. Tradeſcantiae rubro colori, ſubſtituendus eſt, qui ex coeruleo ad rubrum tendit, id quod etiam de pilis in filamentis huius plantae valet, qui inſuper nimio colore plane ſunt turbati.

VII.

VII.

Enumeratio ſtirpium agro Tubingenſi indigenarum. Auctore I. F. GMELIN. Med: Doct: Tubingenſi. Tubingae litteris Sigmundianis. 8. ſ. a. *) plagg. 334. praeter praefationem et indices.

Clar. Auctor offert hic nobis floram, quae inter multas certe haud vltimum locum obtinet atque Auctori magnam gloriam conciliat, tum propter cognitionem botanicam, oeconomicam et medicam, quae vbique elucet, tum propter diligentiam in annotandis locis natalibus plantarum et reliquis obſeruatis. Quae apparebunt ex iis, quae dicemus.

Primo animus eſt, quaedam generaliora praemittere, quae totam enumerationem ſpectant. Laudatis IO: BAVHINI, FVCHSII et CAMERARIORVM meritis de re herbaria in academia Tubingenſi, qui vero plantas indigenas Tubingenſes non ordine enumerarunt, indicat, iam DUVERNOYUM ante quinquaginta annos deſignationem plantarum, circa arcem Tubingenſem florentium, edidiſſe atque promiſiſſe, ſe plura ſpecimina editurum eſſe. Cum vero DUVERNOYUS promiſſis non ſteterat, Noſter in ſe omnem laborem ſuſcepit, et partim quaedam mutauit in noua flora edenda, partim multa addidit; quae et Ipſe in praefatione enarrauit, et quae nos quoque obſeruauimus in ipſa flora perlegenda.

Pro nominibus Bauhinianis et Tournefortianis atque arbitrariis, quibus DUVERNOYUS vſus fuerat,

 Linnaea-

*) Sine dubio prodiit anno 1773.

Linnaeanas denominationes adhibuit, nouisque collectis plantis examinatis, loca natalia atque tempus florendi ſollicite notauit. Non definitiones Linnaeanas, ſed modo nomina triuialia plantarum nominibus genericis adpoſuit eaſque plantas, quae cum deſcriptione Linnaeana non ſatis conuenire viderentur, denuo deſcripſit ipſasque varietates interdum indicare non praetermiſit. In nonnullis generibus etiam alios botanicos ſummos praeter LINNAEVM conſuluit et ſic in genere Caricum HALLERVM, in genere Roſarum HERRMANNVM atque curatiſſimum DU ROI *) et in genere Agaricorum GLEDITSCHIVM ſecutus eſt. Nonnulla genera ſummo ſtudio atque diligentia pertractauit e. g. genera Roſarum, Orchidum atque Caricum. Addidit quoque in hac egregia flora ſemper plantarum virtutes medicas atque vſum oeconomicum tum in artibus tum in opificiis et damna, quae ex vſu nonnullarum metuenda ſint, ſtudioſe collegit. Vnde patet fere omnes plantas circa Tubingam indigenas aliquem vſum praebere vel oeconomicum vel medicum. Optimos quoque Auctores, qui vel de ſingulis quibuſdam plantis medicis aut venenatis ſcripſerunt vel oeconomicum et medicum vſum tradiderunt diligenter commendat, ipſeque Auctor commemorat vſum plantarum ita, vt praeter alia, et plantas pecoribus ſalubres accurate exponat notetque, quae ab iis comedantur, nec ne, ſimulque de plantis ad apium culturam pertinentibus, diligenter doceat. Adpoſuit etiam, praeter nomina triuialia botanica, non ſolum Germanica eaque interdum noua et bona fecit, ſed etiam Graeca, Gallica, Italica, Anglica atque Belgica non omiſit. In praefatione ſitum vrbis Tubingenſis atque

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 730.

atque regiones circa eam poſitas diligenter atque accurate deſcripſit. Auxilium Ei tulerunt in hac flora edenda Cl. OFTERDINGER Medicus Balingenſis, Cl. HILLER Medicus Heilbronnenſis, Cl. WEINMANN Medicus Reutlingenſis atque Dn: SIEGEL Pharmacopaeus Vaihingenſis, qui, nonnullis plantis obſeruatis, earum locum natalem atque tempus florendi illarum Noſtro indicarunt, quod ſemper in ipſa flora ſincere fatetur Cl. Auctor quoque nequaquam deſperat, ſe floram Wirtembergicam editurum eſſe, quam itaque ſumma cupiditate exſpectamus.

Nunc ad ipſam floram progrediamur. In ea vero primo nouas pleniores atque accuratiores plantarum deſcriptiones interdum prioribus addidit. Sic de *Veronica officinali*, *V. latifolia*, *V. cymbalarifolia*, *Anthoxantho paniculato*, *Iride ſqualente*, *Alopecuro pratenſi*, *Auena ſeſquitertia*, *Scabioſa columbaria*, *Verbaſco Thapſo*, *V. lychnite*, *Roſa Gallica*, *R. ſemperuirente*, *Aquilegia vulgari*, *Ajuga Alpina*, *Polygala amara*, *Orchide coriophora*, *O. vſtulata*, *O. latifolia*, *Serapiade latifolia*, *Carice vulpina*, *C. elongata*, *C. acuta*, nouas dedit definitiones probe et ſecundum terminos Linnaeanos magno cum ſtudio compoſitas et ſic fere per totam floram vbique tales deſcriptiones mox ampliores, mox breuiores inueniuntur.

Deinde quaedam obſeruata botanica, oeconomica et medica noua propoſuit, quae hic breuiter commemorabimus. Sic obſeruauit, *Veronicae officinalis* radicem adſtringentem imbutam cucumeribus, gratiore imbui ſapore. *Saluia pratenſis* variat colore corollarum. Habet enim vel coeruleum vel rubrum, ſed rarius, vel album colorem. Quod et

p. 7.

p. 9.

 nos

p. 25. nos obſeruauimus. Semina *Feſtucae rubrae* Melea-
p. 31. gridi Gallopauoni gratiſſima ſunt. *Arundo calamagroſtis* non comeditur a pecoribus, niſi coactis, et tunc aluum laxat. *Lolium perenne* ab equis maxi-
p. 61. me amatur. Lanugo *Verbaſco Thapſo* adhaerens
p. 69. moxae ſubſtituitur. *Rhamni cathartici* baccae Turdis pilari et iliaco gratiſſimae; meſſis tempore collectae, ſiccatae, aqua et alumine maceratae et tritae, croceo; autumno collectae, maturae et contritae atque aſſeruatae viridi; praeſertim ſi fila tingenda antea cum foliis betulae cocta fuerint; verſus Martini diem feſtum collectae, colore coccineo tingunt, ad tingenda coria et chartas luſorias vtili. Succus expreſſus in rob inſpiſſatus et gratia ſuperat et viribus aequat ſyrupum.

p. 81. *Tordylium latifolium* ob ſemina ſetis hiſpida, margine non crenata, ad Caucalidem eſſe referendum Noſter autumat. Quod etiam ab Ill. LINNAEO factum eſt nominaturque ab eo *Caucalis latifolia* in Syſtematis editione XIII. per Cl. MURRAYUM.
p. 83. Floſculus *Dauci Carotae* vmbellae medius colore amoene rubro tingit. Semen vero ſemine ſatiuae
p. 88. varietatis acrius aromaticum eſt. Radix aromatica
p. 97. *Athamantae Ceruariae* hippiatris vſitata eſt. Baccae *Viburni Opuli* Tetraonibus praeſertim pabu-
p. 100. lum praebent. Arida folia *Droſerae rotundifoliae*
p. 103. liquores igneo colore tingunt. Radices *Ornitho-*
p. 118. *gali lutei et minimi* eſculentae ſunt. Flores odoratiſſimi *Daphnes mezerei* pictoribus pigmentum
p. 120. rubrum praebentes, lupos necant. Semina *Polygoni auicularis* in annonae caritate cibum hominibus
p. 125. ſuppeditant. *Saponariae officinalis* pollen antherarum purpureo inquinat colore.

p. 130. Herba *Sedi rupeſtris* recepta eſt in officinas pharmaceuticas Wirtenbergicas atque dicitur, hanc herbam acrem vomitum ciere atque ſpecifice ſcor-

buto

buto reſiſtere. Fructus farinoſos crudos *Crataegi torminalis* ab incolis Wirtenbergiae comedi et cum Sorbi baccis conuenire, Noſter affirmat. Succus expreſſus *Sorbi domeſticae* fermentatione in muſti pyracei ſimilem liquorem abit. Stamina *Potentillae albae* nullam irritabilitatis praeſentiam Cl. Auctori oſtenderunt. Decocto *Aconiti lycoctoni* muſcae, cimices et pediculi equorum et boum necari poſſunt. LINNAEVS in ſpeciebus indicauit *Lamium maculatum* habere verticillos decemfloros; Noſter vero etiam vndecimfloros ſe inueniſſe monet. Semina *Thlaſpidis campeſtris* ſaliuae fluxum excitant et vlcera purgant. Folia punctato echinata, quae *Alyſſo montano* Ill. LINNAEVS adſcribit, Cl. Auctor obſeruare haud potuit. *Cardamine amara* planta antiſcorbutica, vices Siſymbrii aquatici ſupplere poteſt. *Aſtragalus glycyphyllos* Galegae ſubſtitui poteſt. p. 144. p. 145. p. 157. p. 163. p. 178. p. 198. p. 199. p. 201. p. 225.

Hyperici hirſuti flores inter digitos preſſi, rubro eos colore imbuunt. In vaginis genitalibus *Hieracii praemorſi* Noſtro nullam licuit obſeruare irritabilitatem. Capita *Carlinae acaulos* et extremitates eius ſucculentae, gratae et nutrientes, calice, floribus et ſemine reſectis inſtar capitum Cynarae Scolymi comedi poſſunt. Sed, vti nobis videtur, ſumenda ſunt prius capita huius Carlinae, quam floreant. Saltem hoc modo Cynara Scolymo vtimur. Armatus oculus GMELINI nihil irritabile in genitalibus *Gnaphalii dioici* obſeruauit. *Centaurea uniflora* non habet folia ſubdentata tomentoſa, vt Ill. LINNAEVS et MURRAYUS habent, ſed folia villoſiſſima nunc ſubdentata, nunc integerrima, atque florem ſolitarium terminalem, vti Noſter commemorat. Vis emetica et purgans, ſicuti Noſtro videtur, falſo *Impatienti noli me tangere* tribuitur. *Poterium Sanguiſorba* et *Sanguiſorba officinalis* p. 233. p. 240. p. 248. p. 252. p. 266. p. 269. p. 295.

p. 330. viribus inter ſe conueniunt. *Clauaria coralloides* eſculenta et phallo praeferenda eſt. Haec de Noſtri obſeruatis, quae in ipſa enumeratione obueniunt.

Nunc enumerare liceat quaſdem ſpecies Tubingenſi agro indigenas, quae in noſtris regionibus non reperiuntur. Huc referri meretur: *Valeriana phu*, *Phleum Alpinum*, *Aira praecox*, *Arundo arenaria*, *Lolium tenue*, *Globularia vulgaris*, *Dipſacus piloſus*, *Aſperugo procumbens*, *Echium violaceum*, *Campanula pyramidalis* et *rhomboidalis*, *Lonicera Xyloſteum*, *Verbaſcum phlomoides*, *Ribes Alpinum*, *Gentiana lutea*, *Bauarica*, *ſpicata*, *amarella*, *ciliata* et *cruciata*, *Aſtrantia maior* et *minor*, *Bupleurum longifolium*, *ranunculoides*, *rigidum*, *Caucalis grandiflora*, *Laſerpitium latifolium*, *Liguſticum Peloponneſiacum*, *Viburnum Lantana*, *Aſphodelus ramoſus*, *Anthericum calyculatum*, *Aliſma ranunculoides*, *Dictamnus albus*, *Arbutus Vnedo*, *Gypſophila repens*, *Dianthus diminutus*, et *prolifer*, *Silene quadrifida* et *rupeſtris*, *Sedum ſtellatum*, *Cepaea* et *reflexum*, *Ceraſtium ſuffruticoſum*, *Reſeda alba*, *Euphorbia Chamaeſyce paralias*, *verrucoſa*, *amygdaloides* et *ſyluatica*, *Spiraea ſalicifolia*, *Roſa eglanteria*, *Actaea ſpicata*, *Ranunculus aconitifolius*, *niualis* et *chaerophyllus*, *Helleborus foetidus*, *Teucrium Botrys*, *Chamaedrys*, et *montanum*, *Stachys recta*, *Prunella laciniata*, *Euphraſia lutea*, *Pedicularis roſtrata*, *Draba incana*, *Lepidium latifolium*, *Thlaſpi peregrinum*, *alliaceum*, *ſaxatile*, *montanum*, *perfoliatum* et *alpeſtre*, *Alyſſum calycinum*, *Cardamine bellidifolia* et *reſedaifolia*, *Heſperis inodora*, *Arabis Alpina* et *turrita*, *Polygala Monſpeliaca*, *Geniſta ſagittalis*, *Lathyrus aphaca* et *heterophyllus*, *Vicia piſiformis*, *Cytiſus nigricans* et *hirſutus*, *Coronilla coronata*,

Lotus

Lotus cytiſoides, Trigonella corniculata, Scorzonera humilis, Prenanthes purpurea, Hieracium Alpinum et *Pyrenaicum, Hyoſeris foetida* et *radiata, Carduus acanthoides, ſerratuloides, Senecio incanus* et *Doronicum, Aſter amellus, Inula odora, Oculus Chriſti* et *enſifolia, Doronicum plantagineum* et *Bellidiaſtrum, Chryſanthemum montanum, Alpinum* et *ſegetum, Anthemis Alpina, Ophrys corallorhiza, monorchis* et *inſectifera, Sparganium natans, Carex caneſcens, globularis, filiformis, ſaxatilis, capillaris, Fagus pumila, Aſplenium Scolopendrium* et *Trichomanoides, Hypnum clauellatum, Lichen deformis, Conferua glomerata, Agaricus cinnamomeus* et *mammoſus, Boletus luteus, Clauaria muſcoides* et *Lycoperdom ceruinum.*

Denique addemus nouas quaſdam ſpecierum deſcriptiones, easque examinabimus, vtrum nouae ſint, an non. *Scirpus culmo triquetro polyſtachyo,* p. 14.
panicula foliacea diffuſa, foliis alternis, fortaſſe *maritimus* LINN. (HALL. nomencl. 1338.) *Pani-* p. 15.
cum ſpicis ſubdigitatis erectis villoſis pedunculatis; floſculis geminis, altero pedunculato mutico, altero ſeſſili ariſtato, vaginis foliorum vnicoloribus. Aira p. 20.
panicula coarctata, foliis ſetaceis aut linearibus hirſutis ciliatis, calicibus ſeſſilibus ſubtrifloris, floribus muticis. Propinqua *caneſcenti* LINN. videtur. *Poa* p. 23.
panicula diffuſa, ſpiculis bifloris, totis glabris, culmo ſuberecto tereti. Fortaſſe varietas ſequentis. *Poa culmo recto, glumis ſubbifloris, panicula laxa, ſpiculis ſubalternis pedunculatis, foliis inuolutis pungentibus.* (HALL. nomencl. 1470.) *Poa panicula dif-* p. 332.
fuſa, ſpiculis trifloris glabris compreſſis, culmo aſcendente, foliis glabris anguſtis neruoſis et mollibus. (HALL. nomencl. 1465.) *Lolium ſpica lanceolata,* p. 32.
ſpiculis alternis ſeſſilibus multifloris muticis ſubremotis.

Lolium

Lolium ſpica ariſtata: ſpiculis teretibus ariſtatis
p. 37. *ſexfloris. Scabioſa corollulis quinquefidis radianti-*
bus, caule ſubnudo perfoliato, foliis caulinis pinna-
tis, pinnis pinnatifidis ſublanceolatis, extima maxime
crenata Scabioſa corollulis plerumque quinquefidis
radiantibus, caule nudo, foliis radicalibus bipinnati-
p. 41. *fidis. Galium foliis infimis octonis, mediis et ſupe-*
rioribus ſeptenis glabris linearibus, caule ramoſo pro-
cumbente. Videtur varietas *G. Mollugini*s LINN. eſſe.
(SCOPOLI Fl. Carn. p. 104.) *Galium foliis pleriſque*
octonis ſcabris, integerrimis, obouatis, linea mediana
p. 42. *depreſſa exaratis, caule ramoſiſſimo. Galium foliis*
verticillatis linearibus, caulibus dichotomis in ſummo
et medio floriferis. Vtraque *Galia* varietates vnius
ſpeciei videntur et cum *G. aſpero* SCHREBERI
(Spicil. Fl. Lipſ. p. 3.) multum conueniunt.
p. 58. *Campanula ſubhiſpida, caule ramoſo folioſo, fo-*
liis lanceolatis ſubſerratis, corollis erectis, calyce
longioribus. Campanula caule ſimplici glabro, foliis
ſeſſilibus glabris linearibus anguſtis argute ſerratis,
floribus erectis pedunculatis, ſecundis terminalibus.
Campanula foliis latis lanceolatis hiſpidis ſubſeſſili-
bus, caule ramoſo angulato, floribus ſecundis pedun-
p. 333. *culatis, calycibus hiſpidis magnis patulis. Campa-*
nula foliis imis ouatis, inferioribus lanceolatis, ſum-
mis linearibus, caule ramoſo multifloro glabro eſt
p. 80. *C. rotundifolia* LINN. *Sanicula foliis radicalibus*
compoſitis digitatis, foliolis inciſis ſerratis, floſculis
p. 82. *omnibus ſeſſilibus. Caucalis inuolucro vniuerſali nullo,*
partiali dimidiato triphylio; foliolis ſimplicibus li-
nearibus, foliis triplicato pinnatis. Videtur *Aethuſa*
p. 334. *Bunius* LINN. *Linum caule ſimplici vnifloro, fo-*
liis oppoſitis ouatis, determinate diſtantibus.
p. 140. *Euphorbia vmbella quinquefida, bifida, inuolu-*
cellis ſubcordatis, foliis ſuborbicularibus linearibus
obtuſiuſculis crenulatis. Euphorbia foliis crenatis
alternis

alternis lanceolatis acutis, floribus terminalibus, caulibus erectis. Euphorbia herbacea inermis, foliis cochleariformibus crenulatis, floribus congeſtis terminalibus, inuolucellis ſubrotundis crenulatis. Roſa germinibus ouatis, caule, petiolis pedunculis et foliis glaberrimis. Roſa germinibus ouatis, petiolis pedunculiſque hiſpidis, caule glaberrimo inermi. Forte varietates *R. caninae* LINN. *Roſa germinibus ouatis, petiolis pedunculisque hiſpidis, caule aculeato.* An *R. Gallica* DU ROI? *Roſa germinibus ouatis, verſus caulem hiſpidis, caule petioliſque aculeatis, pedunculis hiſpidis.* Videtur *R. moſchata* DU ROI eſſe. *Roſa germinibus ouatis et caule aculeatis, petiolis pedunculiſque hiſpidis. R. damaſcena* DU ROI. *Ranunculus calycibus retroflexis, pedunculis ſulcatis, caule erecto multifloro, foliis compoſitis lineari multifidis amplexicaulibus.* Eſt *R. auricomus* LINN. p. 151. p. 152.

Cheiranthus foliis integerrimis piloſis ſeſſilibus; radicalibus ouatis, caulinis lineari lanceolatis, caule procumbente ramoſo. Turritis foliis omnibus glaberrimis, integerrimis, caulinis obouatis obtuſis, amplexicaulibus; radicalibus cochleariformibus ſubemarginatis. Sine dubio *Turritis 454.* HALL. *Orobus caule ramoſiſſimo, foliis pinnatis ouatis mucronatis, ſtipulis ſagittatis integerrimis. Lotus capitulis hirſutis quadri aut quinquefloris, caule erecto glabro tetragono; Loto recto* LINN. vicinus. *Chryſanthemum foliis pinnatifidis dentatis ſubamplexicaulibus, caule vnifloro folioſo anguloſo.* Sine dubio *Pyrethrum 97.* (HALL. nomencl.) *Viola caule aſcendente, foliis cordatis ſubrotundis. Orchis bulbis ſubpalmatis rectis, nectarii cornu breuiſſimo, germinibus longe breuioribus, labio quinquefido plano, bracteis flore longioribus.* His breuioribus deſcriptionibus interdum etiam pleniores adnexit. p. 204. p. 205. p. 218. p. 130. p. 261. p. 269. p. 275.

Has

Has igitur plantas, quas ipſe Cl. Auctor, cum nullum laudet auctorem alium, nouas habet, interdum aliquatenus, cum Auctorum, quos nominauimus paſſim, deſcriptionibus conueniunt: ſine dubio tamen vlterius deſcriptionibus et iconibus ſunt curatius definiendae.

Omittimus plures, quas addidit nouas Carices, in quibus commemorandis ipſe Noſter ſaepe ob ſimilitudinem et ambiguitatem dubius manet.

Adiecit vltimo loco Cl. Auctor docto ſuo libello duos indices, alterum Germanicum ſpecierum, alterum Latinum generum.

VIII.

Diſſertatio inauguralis chemico-medica de optima acetum concentratum eiuſdemque naphtham conficiendi ratione, vtriuſque affectionibus et vſu medico. Auctore IO. CHRISTOPHORO WESTENDORF Wismarienſi 1772. Goetting: litteris Io. Henr. Schulz. 4. plag. 10.

Adeo huic diſſertationi copioſa inſunt experimenta, tamque vtiliter obſeruata, vt et chemicis et medicis commendari promereatur. Conſcribendae occaſionem praebuit Alcohol aceti Ehrenreichianum *), quo tamen longe adhuc concentratius aceti acidum parari poſſe docetur.

p. 2. Naſcitur acetum, ſi vinoſus liquor denuo fermentando magnam molecularum inflammabilium et terreſtrium disiunctarum partem ex ſe extrudit et

*) vid. D. SCHWARZ. *Verwahrungsmittel gegen die Peſt, nebſt einer Abhandlung vom concentrirten Eſſig-Geiſt.* Danz. 1771.

et praecipitat. In harum ſeparatione omni modo iuuanda aceti poſita eſt concentratio, quam chemici multis modis, frigore, rectificatione, abſtractione ex viridi aeris, vel deſtillatione poſt praegreſſam per ſal tartari ſaturationem cum acido vitriolico tentarunt. Noſter concentrando aceto alcali minerale adhibet, quod ex Soda obtineri poteſt. Huic ad ſaturationem admiſcuit acetum vel vini, quod praeſtat, vel cereuiſiae. Naſcuntur inde cryſtalli, Glauberianis ſimiles, in puluerem fatiſcentes, quas, vt efficaciores minusque pretioſas terrae foliatae tartari Auctor Cl. praefert. Ex harum cryſtallorum ſicco puluere cum adiecta olei vitrioli dimidia parte deſtillatur nunc concentratiſſimum acetum, quod purum erit, ſi ſolutiones acidis mineralibus factas plane non turbat. Libra cryſtallorum ciuilis libram circiter aceti fortiſſimi medicam dedit. P. 7.

Naphtha aceti fit ex partibus aequalibus aceti huius et Spiritus vini rectificatiſſimi, ex retorta igne admodum leni ad dimidiam fere totius partem deſtillatis; liquori abſtracto admiſcetur ſalis tartari pars ſextadecima in aquae quatuor partibus ſoluta. Sic commodo vitro ſtatim ſeſe ſeparat Naphtha vtque oleum ſupernatat. Odor vini Rhenani, vires ipſi inſunt anodynae antiſpaſmodicae, praecipue ad tuſſim infantum conuulſiuam. Doſis paullo maior, quam vitriolicae. Quo diutius digeritur mixtura aceti et ſpiritus, eo maior inde obtinetur naphthae copia. P. 8.

Adiicit Auctor Cl. ſe confeciſſe naphtham ex Spiritu vini rectificatiſſimo, cum *ſalis vrinae* ob ſimilitudinem *mirabilis* dicti a fuſibili vrinae diuerſi acido, nec non verum *vini oleum* ex eodem vini Spiritu ſeorſim deſtillato. P. 13.

Acetum

Acetum concentratum Auctoris noſtri ſoluit, non quidem aurum, eius tamen calcem, tum fulminantem, tum fixam (Hic etiam naphthae aceti vis ſoluens in aurum tentata eſt.) argenti, mercuriique calces, (vbi Tragearum Heyſerianarum mentio fit) cuprum, plumbum, ſtannum, martem limatum,
p. 40. quocum ſal cryſtallinum, rubrum, aquam ſanguinis colore imbuens, ſaporis dulcis non adeo adſtringentis formauit; porro marcaſitam, regulum antimonii ſimplicem et zincum, quod itidem cryſtallinum ſal ſic largitur.

p. 51. Cum ſale tartari puro exhibuit cryſtallos longas cuſpidatas, leni calore manus inque aëre facile deliqueſcentes, ſaporis paullo, quam terra foliata tartari acrioris, in fine dulcis. Cum alcali minerali poſt ſaturationem dedit liquorem, qui ſub lenta euaporatione inſpiſſatus ſal praebuit ſiccum, poſt fuſionem, ſolutionem, filtrationem et inſpiſſationem ad ſyrupi conſiſtentiam nullas cryſtallos, ſed, elapſis aliquot diebus, coagulum demum ſub calore ſubito et exhalatione acetoſa volatili forti largiens ſaporis manifeſte dulcis et refrigerantis, cum antea ſapor eſſet acris et calefaciens. Vtrum forte hoc eſſet BASILII VALENTINI, KVNCKELII aliorumque Alchemicorum ſal dulce ex ſale communi et aceto fortiſſimo parandum? Aurum tamen via ſicca haud ſoluit.

p. 54. Sal volatile ammoniacum ſiccum aceto iſto ſaturatum dedit liquorem medium limpidiſſimum, non cryſtalliſabilem, qui deſtillatus ex retorta ad ſiccitatem in recipiens vas dimiſit duplicem ſubſtantiam, vnam fluidam, alteram glacialem, pellucidam facile calore ſolubilem, verum ſal medium ſolidum ſaporis admodum acris, vltimo dulcis.

Soluit praeterea acetum noſtrum terram calcaream, terram aluminis et alcalinam ſ. magneſiam, phoſphorum porro vrinae, oleum deſtillatum Anthos verum, gummi galbanum, copalinum et camphoram.

Sanguinem cito coagulat adeoque indurat, vt [p. 59.] poſt aliquot dies in fruſtula frangi poſſit. Serum ſanguinis poſt aliquot minuta in gelatinam contrahit, aqua tamen et noua aceti iſtius parte rurſus ſolubilem. Ipſe ſanguis putredine reſolutus hoc [p. 62.] aceto affuſo coagulatus denuo eſt et demto putrido odore ſaluus quoque manſit.

Affinitatis gradus hos ex experimentis ſiſtit. Acetum concentratum, phlogiſton; ſal alcali fixum; terra calcarea, ſal volatile vrinoſum; zincum, plumbum; mercurius, marcaſita; regulus antimonii; argentum; ſtannum; ferrum; cuprum, denique aurum.

Aceti huius affectiones ſunt, quod acidis vege- [p. 64.] tabilibus ceteris ſit fortius, reliquis vero acidis omnibus volatilius, penetrantius, purius, ſimplicius. Vis eius medicata temperans, antiſeptica, reſoluens. [p. 66.] Guttae illius circiter viginti ſingulis horis ſumtae e potu congruo in putridis egregie conducunt. Pellit ſudorem et vrinam. Laudatur in ſphacelo, angina putrida cum aequali in vtroque caſu mellis roſati proportione. In angina quoque multum ſperat Auctor a vaporibus eius inhalatis. Multum pollicetur in putridis ſcorbuticis vlceribus, in carie oſſium, dentibus carioſis, gingiuis adeſis. Si cum aliis contemperetur ſuppurationem quoque promouere poſſe videtur.

Inſunt praeterea huic diſſertationi alia de aliis rebus chemicis ſcite obſeruata docteque expoſita;

quae repetere hic copia ipſorum et contrahere perſpicuitas haud patitur, ex his tamen pauca adhuc delibabimus.

Quum auri ſolutionem acetoſam lixiuio ſanguinis acidoque minerali praecipitatam pulcerrimum cae-
p. 21. ruleum magiſterium praebere enarraſſet Cl. Auctor, animaduertit, ſe innumeris experimentis edoctum ſcire, plurimas terrae ſpecies, tam metallicas, quam non metallicas ope lixiuii alcalini iſtius phlogiſticati ſub diuerſis encheireſibus forma caerulea prae-
p. 20. cipitari poſſe. Ad auri fulminantis generationem ſal quoddam vrinoſum ſiue cauſticum praeter aci-
p. 39. dum nitri ſemper neceſſarium eſſe cognouit. Receptam opinionem, quod ſtannum nil ad colorem
p. 48. auri calcis purpureum conferat, vocat in dubium. Ex zinci cryſtallis acetoſis cum ſalis tartari ſicciſſimi parte vna et dimidia calcinatis; nec non ex maſſa pro lixiuio ſanguinis parando calcinata, poſtridie odorem vrinoſum, immo verum ſpiritum volatilem proceſſiſſe obſeruauit, quinquies in eadem maſſa repetita calcinatione ſemper nouum alcali volatile foenerante. Quod tribuit Cl. Auctor phlogiſti tum zinci tum ſanguinis cum alcali fixo combinationi; adeoque ex ſuis experimentis infert, ope phlogiſti ſalis alcali fixi vncias ſex adeo volatiliſatas eſſe, vt vix dimidia eius vncia fuerit relicta valde
p. 58. inſuper naturae mutatae. Gummi Copal cum aceto iſto tractatum, aliqua ipſius parte ſoluta, reliquiſſe in fundo maſſam, quae inſtar *reſinae elaſticae* per longum tempus in aëre tenacitatem retinuerit.

IX. Ioh

IX.

IOH. CHRISTIAN WIEGLEB'S, *Apothekers in Langenſalze, Chemiſche Verſuche über die alkaliſche Salze. Berlin und Stettin bey Friedrich Nicolai* 1774. 8. *S.* 272.

h. e.

Tentamina chemica ſuper ſalibus alcalinis Auctore IO. CHRISTIANO WIEGLEB.

Iam alibi *) commendauimus Lectoribus noſtris WIEGLEBII V. Cl. induſtriam. Eius nouum ſpecimen offert liber, quem iam indicamus. Abſoluitur iſte quinque ſectionibus. Prima hiſtoriam ſiſtit opinionum et hypotheſium, quas de ſalibus alcalinis Chemici varii condiderunt. Altera tentamina enarrat, quae ad ſalia eiuſmodi fixa obtinenda cum variis vegetabilibus inſtituta ſint. Tertia refert experimenta propterea ſuſcepta, vt intelligeretur, vtrum ex putatitiis iſtis vulgo ſumtis alcalinorum partibus conſtituentibus vere ſal fixum alcalinum parari poſſet. Quarta argumenta profert, quibus probatur, ineſſe vegetabilibus natura ſua, et ante incinerationem ipſorum ſal tale. Quinta euincere ſtudet, ipſum alcali volatile animalibus vegetabilibusque ante combuſtionem et putrefactionem vere et eſſentialiter, vt aiunt, inhaerere indeque educi poſſe. Adiecta eſt dilucidatio dubii gradus affinitatis chemicae, quae alcalina ſalia acidaque varia intercedit.

Quae autem mouerint Cl. Auctorem, vt relictis communibus fere de alcalinorum ſalium exortu placitis in vetuſtiorum quorundam chemicorum et maxime Cel. MARGGRAFII ſententiam tranſiret,

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 489.

qua non naſci comburendo, ſed educi ſic ſaltim ſtatuitur, ex numeroſis experimentis deſumta argumenta praecipua quidem haec ſunt.

p. 81. Scilicet cuum ſpiritus acidus oleumque aduſtum ligni fagini denuo affunderentur cineribus ipſius elixiuiatis, inſuperque adderetur ſal lixiuioſum inde prius elicitum, cuius tamen pondus antea ad ſtateram exacte erat definitum, atque horum omnium deſtillatio quater repeteretur; tantum abfuit, vt hac ratione ſalis fixi alcali vllum impetraretur augmentum, vt potius vel priſtino ponderi deceſſiſſe quicquam animaduerteretur.

p. 87. Scobs ligni fagini repetitis vicibus ex aqua deſtillata cocta exhibuit in deſtillatione partes easdem eademque propemodum copia, quas quidem quantamque nondum excocta largitur. Veruntamen ex coctae iſtius cineribus ſalis lixiuioſi nihil prorſus inhaeſit.

p. 91. Ita neque lintei excocti et combuſti cineres ſal quoddam foenerati ſunt. Tartarus vero crudus eius cryſtalli et ſal acetoſellae ſal multum praebuerunt. Verum et his ſalibus vegetabilibus eſſentialibus, vtut aceſcentibus, iam ante incinerationem ipſorum ſal ineſſe alcalicum tum exinde probat, quod ſaccharum cera et reſina, quamuis pariter atque iſta ſalia oleo quodam, acidoque ſpiritu atque terra foeta corpora ſint inter comburendum tamen alcali nullum; gummi et mel parciſſimam tantum illius quantitatem offerant, tum quoque vel maxime confirmat experimentis Cel.

p. 135. MARGGRAFII ſumma cum accuratione repetitis; ex quibus patet: cryſtallos tartari pulueriſatas cum aequali, quam neceſſariam cognouit Cl. Auctor olei vitrioli, aqua tamen deinceps ſufficienter diluendi portione remixtas, addita pauca creta, acidum

acidum ſuperabundans abſorbente, poſt ſeparatum ſeleniten verum dare tartarum vitriolatum, eiuſdemque eandem proxime copiam, quam ex pari pondere cryſtallorum tartari calcinatarum enatum ſal tartari, acido vitriolico ſaturatum praebere ſolet. Quod quidem egregium experimentum aliquoties repetitum eodem ſemper euenit modo.

Pari ratione ſucceſſit negotium cum ſpiritus nitri quadruplo cryſtallis tartari affuſo additaque creta, acidum ſuperfluum ſaturante. Scilicet eandem ferme quantitatem nitri puriſſimi priſmatici obtulerunt ſic tractatae cryſtalli tartari, ac ſi comburendo ex ipſis exortum ſal tartari acido nitri eſſet in medium ſal ſaturatum. Quin immo etiam ſaturatiora decocta variarum plantarum, interque has euidentiſſime cicutae, arnicae et ligni fagini aliaque obſcurius, addito acido vitriolico, exhibuerunt cryſtallos paruulas, tartaro vitriolico geminas. Sic etiam communi variorum chemicorum teſtimonio cognitum habetur ex ſuccis vegetabilium expreſſis ſalia vera media nonnunquam concreſcere, v. c. tartarum vitriolatum, nitrum priſmaticum, ſal digeſtiuum SYLVII. Quae quidem cuncta efficiunt, ſal fixum iam ante combuſtionem in plantis praeexiſtere, neque, vt aſſumebatur, ex acido, oleo, terraque inter deflagrandum demum naſci; inprimis quum ex aſſumtitiis iſtis principiis nulla arte alcali confici poſſit. p. 141.

Verum ne in his quidem ſolers Cl. WIEGLEBII induſtria ſubſtitit, ſed etiam ad ſalia alcalina volatilia progreſſa eſt, viditque ex variis tum animalibus integris, tum partibus eorum fluidis aeque, atque firmis recentibus, non combuſtis neque putrefactis in deſtillatione humida cum ſale alcalino fixo ope lenis caloris peracta liquores elici, qui et odore et reactione ad ſpiritum nitri p. 159.

admotum, oleum tartari per deliquium, acida mineralia affuſa, ſyrupum violarum, calcem cupri, aquam calcis, ſolutionesque mercurii et argenti vrinoſam ſuam indolem ſufficienter comprobarent, vnde quidem cogit Cl. Auctor, praeformatum iam contineri in animalibus alcali.

p. 178. Ne vero ex Cl. WESTENDORFII experientia ſuperius *) laudata circa alcali vrinoſum ſeſe in maſſa pro ſanguinis lixiuio calcinata toties manifeſtans peti forſitan argumentum in contrarium poſſit, omnem rem nouo examini ſubiecit. Ergo ſeorſim calcinauit quatuor vncias ſanguinis bubuli in crucibulo leni igne. Primo vapores multos emiſit, dein flammam concepit. Sic arſit per horam integram. Ceſſante vapore flammaque carbo canduit, nigerrimus poſt exemtionem ponderis drachmarum ſex. Hunc carbonem per duas horas adhuc vſſit, vt ſemper canderet; intra quod tempus perpetuo ſeſe alcali vrinoſum in exemta calcis parte odore et fumo cum ſpiritu nitri admoto albido adhuc manifeſtauit. Tandem remanſit puluis fuſcus ponderis ſeſquidrachmae, ſine veſtigio alcali volatilis, ſaporis ſalſi, ex quo educta ſunt ſalis alcali fixi grana tria vel quatuor, tartari vitriolati vnum vel alterum, ſalis regenerati quicquam, terra calcarea, aluminis et talis, quae cum lixiuio ſanguinis daret caeruleum magiſterium.

Ex hoc experimento concludit Noſter, Cl. WESTENDORFIVM non per aliquam volatiliſationem alcali fixum, phlogiſto accedente, in volatile mutaſſe, ſed potius ex ſanguine vrinoſum alcali fuiſſe eductum; eius viri ſex repetitis calcinationibus nondum omne alcali eiectum eſſe, quum nullam

*) vid. comm. noſtr. Vol. hoc p. 218.

lam tamdiu proſequeretur, atque quidem Cl. Auctor. Aggreditur quoque volatiliſationem ſalis alcalini fixi, quam imminuta eius cum ſanguine calcinati copia veroſimilem reddere Weſtendorfianis tentaminibus poterat, alio experimento, in quo manifeſto declarat iacturam ponderis tribuendam potius eſſe difflationi humidi et penetrationi ſalis in crucibula, quorum pondus inde vere augetur.

In plantis reperiri alcali volatile, parciori licet copia, confirmare ſtudet Auctor ex fuligine; porro ex liquoribus alcalinis, qui deſtillatione plantarum variarum humida cum cineribus clauellatis impetrati ſunt, aeque ſeſe atque animales ſupra dicti vrinoſos probantes; et quos aeque atque hos, lixiuii ſanguinis ad inſtar, ſolutionem vitrioli martis in calcem caeruleam praecipitare vidit. Denique per experimenta oſtendit HIERNIOque adſtipulatur, etiam ex aceto vini, tartaro, oleoque oliuarum cum calce extincta ſaleue fixo remixtis deſtillari poſſe liquores ſale volatili impraegnatos, quod ſal volatile pro educto itidem habet, et ſic quoque obſeruationem ſalis volatilis ex cryſtallis zinci acetoſis WESTENDORFII cum alcali fixo calcinatis coorti explicari poſſe arbitratur ſine noua alcalini volatilis ſalis geneſi aſſumta. p. 195. p. 179. p. 228.

Contendit porro Noſter contra Viros Clariſſimos GEOFFROY, MACQUER, GELLERTVM et MARRHERR alcalini fixi ſalis maiorem eſſe affinitatem cum acido vitriolico, quam phlogiſti, quum nonniſi ſub certis conditionibus, quando nimirum acidum vitriolicum per alcalinum ſal fixum redditum, ſalque medium enatum ignitum eſt, ſicque phlogiſton vi quadam vitriolico acido iniungitur, aequalis alcalini ſalis et phlogiſti cum iſto acido affinitas animaduertatur. Ita quoque affinius p. 255. p. 264.

affinius eſſe ſal alcali vegetabile acido vitriolico, nitroſo et acetoſo, quam ſal alcali minerale, quum addito ſale tartari ex ſolutionibus ſalis mirabilis GLAVBERI, nitri cubici et terrae foliatae tartari cryſtalliſabilis leniter euaporatis verus tartarus vitriolatus, nitrum priſmaticum et terra foliata
p. 265. tartari deliqueſcens obtineri queant. Vltimo euincit, quod in quibuſdam experimentis dubium reddi videtur, ſalia nimirum lixiuioſa et volatilia lubentius iungi acidis, quam terras abſorbentes.

X.

De Alcalibus et praecipitationibus Chemicis ope eorum factis quaedam diſſerit IO. FRIDERICVS GMELIN Med. D. et P. E. Phil. P. O. Acad. Caeſ. et Soc. Fig. N. C. Sodalis. Goetting. litteris Io. Chr. Dieterich. 1775. 4. plag. 3½.

Agit Cl. Auctor hac proluſione Academica, qua ad orationem pro capeſſendo profeſſoris publici munere habendam inuitabat, omnium maxime hoc, vt praemiſſis alcalinorum notis et diuiſionibus atque ſingularibus quorumcunque dotibus enarratis calcem viuam, ſal cauſticum et ſpiritum ſalis ammoniaci cauſticum peculiarem velit conſtiſtituere ſalium alcalinorum claſſem, quorum character ſpecificus in eo conſiſtat, quod cum acidis non ferueant, male propterea a nonnullis Chemicis pro ſalibus vel acidis vel mediis habita.

Ad quam rem exornandam et confirmandam vtitur tum ſuis, tum Virorum Clariſſimorum, mirum licet in modum quoad explicationem phaenomenorum diſſentientium, MAIERI, IACQVI-

NII,

NII, WIEGLEBII, SPIELMANNI, IAEGERI, WELLII experimentis tam ſcite et opportune, vt in ſuas partes Lectorum quemuis facile rapiat. Inuenient quoque Lectores, ſi vllibi, hic maxime, relationes alcalinorum ſalium ad varia naturae corpora et inſtrumenta chemica phyſica egregie et ampliſſime expoſitas.

XI.

Obſeruationes quaedam chemicae, Auctore IO. GOTTFRIED LEONHARDI Philoſoph. et Med. D. Lipſiae ex offic. Langenheimia. 1775. 4. plag. 1½.

Quae hic exponuntur lectu dignae obſeruationes, inprimis concernunt butyrum antimonii, quod ſub forma cryſtallina deſtillando acquiſiuit Noſter ſubque metallica praecipitari vidit. Scilicet ex miſcela vnius partis antimonii ſubtiliſſime triti et trium partium mercurii ſublimati corroſiui, per ſemeſtre in vaſe non penitus clauſo ſeruata, et ſic in maſſam tenacem, humeſcentem et ſubgriſeam conuerſa tranſire vidit in deſtillatione ab initio humorem albidum, dein butyrum craſſius, prunis admotis, vt fit, colliquefaciendum. Finita deſtillatione, vaſisque refrigeratis, recipienti infuit liquor turbidus, maximam iam partem coagulatus in cryſtallos, quae iunctim ſpectatae trabes quaſi et vexilla, ſeorſim examinatae formam hexaedram, vtcunque cubicam referebant, coloris cum pelluciditate albi, magnitudinis granorum milii vel etiam lentium. Per octiduum ſeruatae iſtae cryſtalli diffluxerunt in liquorem ſublacteum, haud amplius cryſtalliſabilem. Vnde concludit Noſter

butyri antimonii vnctuoſam naturam naſci ex congerie inordinata paruularum cryſtallorum, facile tamen rurſus, calore inprimis deliqueſcentium, comparatque cum nitro zinceo, ex zinco in ſpiritu nitri ſoluto ab ipſo parato et in cryſtallos priſmaticas coacto, facilis tamen deliquii. Cauſam melioris in experimento viſae cryſtalliſationis repetit ex intimiori per moram facta corroſione reguli antimonii per acidum mercurii ſublimati muriaticum.

Quod praecipitationes butyri antimonii attinet, praeter vulgares, per aquam, ſpiritum vini, lixiuia et ſpiritus alcalinos faciendas, ſub forma metallica excuti obſeruatus eſt regulus antimonii feliciſſime a ferro puro, cui primo vt ſplendor argenteus, dein vt lamina integra inhaeſit; reliqua metalla excuſſerunt quidem neque tamen cum iſto ſplendore; aliqua etiam ſub albi tantum pulveris forma. Aurum et argentum vt praecipitantia adhibita non ſunt. Ex hac vero praecipitatione reguli antimonii per ferrum oſtenditur, quam falſa nonnullorum opinio ſit de metallis grauioribus non niſi per leuiora ex ſuo menſtruo deiiciendis.

Vltimo narratur, camphoram cum ſpiritu ſalis fumante digeſtam ſolui, idque comprobatur ex praecipitatione eiuſdem per aquam, cui ſic digeſti ſpiritus ſalis guttulae infunduntur.

XII.

XII.

Ξενοκρατους περι της απο ενυδρων τροφης cum Latina interpretatione IO. BAPTIST. RASARII et CONRADI GESNERI ſcholiis nunc primum integritati reſtituit varietate lectionis animaduerſionibusque illuſtrauit atque gloſſarium adiecit IO. GEORG FRID. FRANZIVS. Lipſ. apud Guilielmum Gottlob Sommerum 1774. 8. pagg. 104. praeter gloſſarium in XENOCRATEM.

Graeci huius veteris medici liber, cuius hic nouam editionem curauit Cl. FRANZIVS, vbi variae lectiones ad marginem editionis GESNERI ſcriptae et ex codice regio Pariſienſi et Vaticano notatae a Noſtro ſunt additae, quae Ei multum ſeruire videntur ad meliorem Auctoris huius intelligentiam, extat in ORIBASII collectorum ad IVLIANVM libro ſecundo e ſeptendecim cap. 55. vnde et Noſter, BAPTISTAE RASARII interpretationem deſcerpſit.

Quod ad codices attinet, e quibus variae vtiles lectiones a Noſtro huic editioni adiectae, ſunt deriuatae, affirmat Noſter, codicem Pariſienſem *) eſſe eum chartaceum Colbertinum, qui ſeculo decimo quinto exaratus videtur; de codice vero Vaticano ſimul XENOCRATIS libellum περὶ λίθων, hactenus nondum typis deſcriptum, vti putat Noſter, comprehendente, nihil ei conſtare; nec praeter LABBEI **) relationem aliquid de eo reperire potuiſſe. Vixiſſe fertur hic

XENO-

*) vid. Catalog. biblioth. Reg. Pariſiens. Tom. II. MCCXC et XC. p. 477.

**) v. EIVSD. bibl. nou. M. S. p. 174. et 127.

XENOCRATES tempore Imperatoris TIBERII, ſaepe a GALENO atque PLINIO laudatus.

Noſter vero hoc opuſculum 1559 Tiguri a CONRADO GESNERO vulgatum denuo edidit et addidit, praeter varias lectiones e codicibus, vti ſupra monuimus, IOANNIS BAPTISTAE RASARII, medici Nouarienſis, interpretationem Latinam, quae vero non Baſileae primum edita eſt 1557, ſed Venetiis ſine anno et Pariſiis 1555. Quae hic notata ſint e IO. ALBERTO FABRICIO *) qui ex manuſcripto PAVLI VINDINGII bibliothecae ſuae libellum hunc inſerendum curauit cum RASARII interpretatione, et omnino ad hiſtoriam criticam pertinent, hic breuitatis ergo mittimus. IO. GEORGIVS SCHENCKIVS **) haec habet de XENOCRATE: Medicus clariſſimus in arte medica, libros conſcripſit, e quibus PLINIVS in l. XXI. et ſequentes naturalis hiſtoriae infinita propemodum transſcripſit. GESNERI et VVOTTONI annotationes ſunt multae.

*) Bibl. graec. Tom. IX. V. c. 38. p. 453. ſeqq.
**) Biblioth. Iatror. p. 282.

XIII.

Societatis medicae Haunienſis collectanea. Cum figuris aeri inciſis IV. Volumen I. Hauniae 1774. Impenſis Io. Gottlob Rothe Aulae atque vniuerſitatis regiae bibliopolae. 8. pagg. 376. praeter praefamen et elenchum.

Vndecimo die octobris MDCCLXXII. primum ſuum conſeſſum celebrauit haec ſocietas, cuius ſocii in ſuam non minus, quam aliorum vtilitatem ſunt congreſſi. Socii ſunt PETRVS CHRISTIANVS ABILDGAARD, HENRICVS CALLISEN, MATTHIAS SAXTORPH, IOANNES HENRICVS SCHOENHEYDER, IOANNES CLEMENS TODE, qui huic ſocietati eſt ab epiſtolis, FRIDERICVS LVDOVICVS BANG et VRBANVS BRVVN AASKOW. Inſtituti praeterea rationem arbitramur optime patere ex ſumma primi huius voluminis, quam hic communicamus.

1) *De eximia ſalis tartari efficacia in rhachitide* p. 1. Auctore PETRO CHRISTIANO ABILDGAARD. Erat puer ſeptennis, valde rhachiticus, diarrhoea et ſudore continua emaciatus et quinque vlceribus turbatus fiſtuloſis. Inferiores extremitates reſolutae et immobiles erant, abdomen flaccidum cet. Hic conducebat egregie ſalis tartari drachma dimidia cum vnciis octo decocti corticis Peruuiani; huius medicamenti quatuor vncias de die ſumebat. Poſt menſem e lecto ſurrexit et manibus ſuſtentatus aliquo modo incedere potuit. Tunc loco corticis rubiam tinctorum Noſter addidit. Quo ſolo remedio intra quatuor menſes adeo conualuit, vt pleriſque vlceribus conſolidatis, baculo

culo nitens iam incederet aegrotus. Hunc bonum effectum Noſter ſolummodo tribuit ſali tartari et affirmat, ſe ſola ſolutione aquoſa ſalis tartari et alios rhachiticos curaſſe.

p. 7. 2) *De funiculis vmbilicalibus infantum viuorum nodoſe complicatis* Auctore MATTHIA SAXTORPH. Omnino nodi in funiculo vmbilicali periculoſi et letales iudicantur, vti et Cll. viri SMELLIE et LEVRET docuerunt; Noſtri autem obſeruata monſtrant contrarium. Exponitur hic primum a Noſtro nodorum origo, additis periculis, quibus expoſiti ſint embryones his nodis praeſentibus, et ſignis, quibus naturales nodi a ſpuriis et arte factis diſtingui poſſint, ſuadetque inprimis, vt caute trahant obſtetrices funiculum, nec vllam eius partem vltra, quam requiritur, protrahant. Signa nodi eiusmodi ſpurii ſeu arte facti ſunt: nulla ſtructurae ſuae in funiculo vmbilicali, nodo extricato, mutatio, nullum inueterati nodi veſtigium, nulla parietum complanatio. Nam recens facta nodi complicatio impedit, quo minus ipſe funiculus tam cito impreſſiones, curuaturas et gyros retineat iis ſimiles, qui ex lenta et naturali nodorum contricatione oriuntur. Deſunt praeterea in ſpuriis nodis varicoſae expanſiones.

p. 19. Porro ſi minus conſtrictus fuerit nodus, ſi extremitates funiculi plane non turgeant, ſi vaſa, iniectum liquorem tenuem, quem Noſter ad nodos illos diſquirendos maxime aeſtimat, facile tranſire ſinant, nodum, ſiue fuerit naturalis, ſiue artificialis, abſolute mortem intuliſſe vix Noſtro videtur probabile, niſi alia impedimenta ſiue ante, ſiue inter partum per ſubitam conſtrictionem accidentaliter eum reddiderunt letalem.

3) *De vermibus obſeruata* Auctore IOANNE CLEMENTE TODE. Signis verminoſis iure meritoque a Noſtro dubiis et fallacibus habitis, et fallacia hac exemplis nonnullis declarata, experientia didiciſſe Cl. TODE affirmat, lumbricorum familiae nihil magis auerſari, quam motus febriles, quibus ſtibiata quadam medicina occurritur; ſin nunc incommodi pyrexiae ignes, ipſam paraſitorum voratrinam vrentes, ſin frequentior ingratae medicinae appulſus, ſin ſueti nutrimenti detractio hoſpitii pertaeſos reddat. Exempla copioſa in paedatropheo regio centies collecta, enarrat hominum, qui ſub notabiliori quadam febre, parciori victui adſtricti, tartari vel vini emetici vſu vexati, vermes excreuerunt. Occaſionem dare videntur Noſtro vermibus alimenta in putredinem prona et aqua fontana impuriſſima. p. 21.

Inter alia ſymptomata verminoſa, quorum nonnulla Noſter commemorat, et aliis Auctorum variorum exemplis illuſtrat, mutitatis caſum perſequitur. p. 30.

4) *Obſeruatio de carcinomate colli et cancro labiorum ope aceti lithargyrii ſanatis*, Auctore IOANNE HENRICO SCHOENHEYDER. Interne opio et cicutae pilulis vſus eſt ad ſomnum conciliandum et dolores compeſcendos, id quod et effectum eſt et externe aceto lithargyrii carptis linteis infuſo applicuit, ita, vt duo ſanitati reſtituerentur. p. 33.

5) *Obſeruatio de graui concuſſione capitis cum fractura baſeos cranii letali, in qua ſectio ſinus longitudinalis durae matris inſtituebatur* Auctore HENRICO CALLISEN. Contigit Noſtro, nonnullas laeſiones ſinuum, longitudinalis aut lateralis videre, vbi aut parua ſanguinis copia effluxit, aut haemor- p. 37.

haemorrhagia ad leuem ſyncopen vſque continuata ſponte ceſſauit et leniſſima deligatio ſine vlla compreſſione ſemper ſuffecit. Conducit hoc remedium morbis cerebri, vt ſunt commotio eius, apoplexia, epilepſia, mania, phrenitis cet atque praeferri meretur arteriotomiae, hirudinum applicationi ceterisque. Cl. GOOCH caſu apertum ſinum longitudinalem ſine letali effectu vidit *). Licet itaque in Noſtri exemplo nihil prodeſſe potuit ob fracturam magnam, tamen illam ſectionem ſinuum non letalem iudicat et eam maximopere commendat.

p. 45. 6) *Caſus rarum haemorrhoidum effectum exhibens cum adiecta epicriſi*, Auctore FRIDERICO LVDOVICO BANG. Prodebant omnia ſymptomata morbum inflammatorium pulmonum, quae apertis vaſis haemorrhoidalibus omnia cedebant.

p. 55. 7) *Aſcitae ſingularis hiſtoria*, Auctore SALOMONE THEOPHILO DE MEZA. Orta eſt a vaſe lymphatico inter vomendum rupto, vti Noſtro videtur, etiamſi cadauer non aperiri poterat. Vigeſies octies paracenteſis eſt inſtituta intra decem menſium ſpatium. Singula vice quatuordecim ſeri vnciae euocabantur, quod vrinae erat ſimillimum. Diuretica nihil iuuabant et citiſſima laticis regeneratio prodebat rupturam magni vaſis.

p. 60. 8) *Obſeruatio de infuſi hordei toſti et cereuiſiae meracioris effectu in ſcorbuto nauali*, Auctore VRBANO BRVVN AASKOW. Suaſit non nuper hoc remedium Cl. MACBRIDE **) in hoc morbo et hic

*) v. comm. noſtr. Vol. IX. p. 304.

**) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 459. v. Cl. COLLIN ann. medic. P. IV. p. 133. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 212.

hic vlterius confirmatur eius bonus effectus. Laudat et ipſam cereuiſiam fortiorem.

9) *Confirmata methodi Dimſdalianae in variolis naturalibus curandis praeſtantia*, Auctore RVDOLPHO BVCHHAVE. Cernitur, vti conſtat, haec methodus in regimine frigido atque laxantibus. Hanc confirmat Noſter et arbitratur quoque, hac methodo naturales variolas debere tractari illamque ipſam feliciſſime ſubſtitui poſſe inſitioni, ſi ea varias ob cauſſas nequeat admitti vel fieri. Narrat enim Cl. BVCHHAVE ſe pueris, quorum parentes inſitionem non concedebant, ſuaſiſſe liberum cum aliis, variolis laborantibus, certo die commercium. Quo facto eandem methodum adhibuit, vti inſerendis. Circa quartum et decimum diem vel prius a contagio, aegritudine omnes ſunt correpti. Symptomata ante eruptionem accedentia his quidem fuere grauiora, quam inſitione infectis; benignis tamen variolis omnes ſunt infecti et libero vel ad minimum frigidiſſimo expoſiti aëri morbum optime tulerunt atque ſuperarunt. Febris ſecundaria mitior fuit ea, quae in naturalibus variolis vtplurimum obſeruatur, paucae hinc vel omnino nullae notabiles relictae ſunt cicatrices. p. 64.

Omnem omnino praeparationem Noſter non praetermittit, ſed eam ſuadet potiſſimum adultis et pueris, cacochymia et vermibus laborantibus eamque tum ad benignas acquirendas variolas non tantum vtilem, ſed etiam maxime neceſſariam iudicat. p. 79.

10) *De variationibus in ductu thoracico viſis*, Auctore IANO BANG. Materia, quae erat ichthyocolla, iniecta e duabus radicibus in abdomen effluxit e dextra autem in renem eiusdem lateris pene- p. 82.

 trabat,

trabat, eumque replebat. Item vidit Noſter ductum thoracicum ſanguine plenum. In alio ductu magnum formabatur ramorum rete pone aortam deſcendentem immediate ſupra ortum arteriae coeliacae. Plerique diuerſos gyros et tractus habebant, antequam venae ſubclauiae inſerebantur, cet. Icon plura docet.

p. 86. 11) *Inſania a morbo capitis externo obſeruata* a FRIDERICO GABRIELE GOTTLIEB SIBBERN. Super ſiniſtro bregmatis oſſe in confiniis ſuturae lambdoideae et ſagittalis leuiſſima detegebatur intumeſcentia. Quae, emplaſtro diachylo applicato, ita eleuebatur, vt inciſione opus eſſet. Qua facta, tenue quoddam ſerum effluxit. Cranii carie corrupti pars ſecedebat, vulnus deligatione ſicca facile ſeſe conſolidabat et aegra magis magisque ratione vti diſcebat. Vlterius ſub capillis procedens Noſter detegebat tineoſae eruptionis veſtigia, quam quoque Noſter iterum euocare voluit, ſed fruſtra. Interim tamen ſanata eſt haec puella et reſipiſcere incepit iam facta inciſione. Inde et Noſter hanc maniam a retrogreſſa tinea deriuat.

p. 92. 12) *De monſtro Hafniae 1767 nato*, Auctore IANO BANG. Bruto ſimile erat hoc monſtrum et totum piloſum, cranium depreſſum collo quaſi deſtitutum, cet. In regione lumborum magnum aderat orificium, per quod membranis oui adhaeſerat, quarum fibrillae adhuc vulneri inſitae videbantur. Intra orificium ſpina bifida conſpiciebatur. Hydrocephalo interno laboraſſe hunc fetum autumat Noſter.

p. 95. 13) *Obſeruatio herpetis ex contagio et naeui ex imaginatione*, Auctore IOANNE CLEMENTE TODE.

TODE. Grauida hemicrania laborabat eamque lenire ſolebat preſſione. Qua facta, manubus puellae, herpetem in manu habente, non ſolum grauidae caput herpete infectum erat, ſed et fetus naeuum talem oſtendebat. Vtitur nimirum Noſter hoc caſu contra eos, qui imaginationem maternam negant.

14) *De differentiis contagiorum commentatio*, Auctore FRIDERICO LVDOVICO BANG. Ac primum quidem definit Noſter contagium tam generale, quam ſpeciale, eorum effectus perſequitur, ad infectionem conditiones perueſtigat et methodum prophylacticam ſtabilit. Contagium eſt fermentum morborum. Forma tranſeuntis contagii eſt vel halituoſa ſ. acuta, vel non halituoſa ſ. chronica. Halituoſa contagia ſunt peſtiferum, putridum, varioloſum, morbilloſum, dyſentericum; non halituoſa, rabioſum ſ. hydrophobicum, ſcabioſum ſiphyliticum, carcinomaticum. Dubia contagia Noſtro videntur miaſma ſcarlatinae, et tuſſis epidemicae, quod licet b. VOGELIVS reiicit, tamen valde contagioſum Cl. Auctor putat; id quod et nos experti ſumus. Porro arthriticum, phthiſicum inter dubia refert contagia, et miram ſympathiam, vi cuius conuulſiui et epileptici affectus, per ſolum aſpectum et imaginationem ſimilium, excitantur, a contagiis ſeparat. p. 100.

15) *Abſceſſus internus aphthis ſanatus*, Auctore IO. CLEM. TODE. Emetico tartaro, aqua diluto, cui inter alias virtutes et ſpaſmos ſoluendi tribuit, abſceſſus ruptus et pus dein euacuatum eſt. Aphthas a pure reſorpto Noſter deriuat. p. 111.

16) *Experimenta cum muſco Islandico in phthiſi et tuſſi purulenta.* Auctore IO. HENR. SCHÖNHEYDER. p. 128.

HEYDER. Summa obſeruationum, a Noſtro factarum, eo redit, vt, motibus inflammatoriis et febrilibus ſedatis, hoc medicamentum primum inter pectoralia mereatur locum. Dedit nimirum hunc muſcum, qui eſt *Lichen Islandicus* LINN., in decocto. ℞. Muſc. Islandic. ℥j diger. c. ▽. Fontan. ℥xvj ad remanentiam ℥xij et adde Syrup. ſcillitic ℥ß. D. S. Omni bihorio vncia vna. Cl. COLLIN *) illum cum polygala coniunctim et vtiliter ſuadet. Ab initio doloris imminutionem Noſter percipit, poſt octo vel quatuordecim dies ſenſim omnia in melius vertebantur et in plurimis ſanitas poſt quinque ſeptimanas rediit. In quibuſdam diarrhoea acceſſit, quae facile emulſione gummi Arabici ſedabatur. Aegri, quos hic Noſter proponit, antea omnes laborarunt morbillis.

p. 132. 17) *De effectibus contagiorum commentatio*, Auctore FRIDERICO LVDOVICO BANG. Eorum contagiorum, quorum genera et ſpecies ſupra nominauimus **) hic effectus tradit tam generales, quam ſpeciales. Vis aſſimilans duplex in mundo materialium ſeſe prodit, ſc. generans vel ſeminalis ſimilis compoſitorum organiſationis propagatrix; altera eſt fermentans, proprietati rerum ſeminali oppoſita, ſimilis compoſitorum ſolutionis genitrix, cet.

p. 146. 18) *De vtero atque vagina duplici obſeruatio*, Auctore HENRICO CALLISEN. Puella trium annorum moriebatur, quae et vtero, et vagina duplici praedita erat. Item vaginam duplicem cum vtero ſimplici Noſter vidit.

19) *Epi-*

*) v. comm. noſtr. Vol. hoc p. 140.
**) v. ſupra p. 239.

19) *Epilepſia ex ſaturatiſſimo potu Caffee letalis, obſeruante* SALOMONE TEOPHILO DE MEZA. Potum hunc poſſe ac debere eſſe epilepſiae cauſſam, videtur ex eo patere, quod, intermiſſo hoc potu, ceſſaret morbus, et, eo admiſſo, rediret, et denique per potum hunc intra horam aeger moriretur. p. 154.

20) *De requiſitis ad infectionem conditionibus commentatio,* Auctore FRIDERICO LVDOVICO BANG. Attenduntur hic emanatio materiae morboſae et morbificae e corpore aegrotorum inficientium, tranſitus contagii emiſſi ad ſanos, ingreſſus in corpora ſanorum, certaque infectorum diſpoſitio. Pro contagii diuerſitate et haec requiſita variant. Id quod Noſter hic vberius perſequitur. p. 157.

21) *Venereae phthiſicae felix ſanatio ope mercurii ſublimati corroſiui,* Auctore IO. CLEMENT. TODE. Vſus eſt hic Noſter mixtura Swieteniana, cortice ſaſſaparillae cum diaeta lactea et iuſculis carnium teneriorum, lichenis Islandici virtute imbutis. p. 171.

22) *De vomitu ſympathetico a ligato ſarcomate in fronte,* Auctore P. C. ABILGAARD. Ligatura per conſenſum excitauit vomitum, qui, emetico dato, ſedatus eſt et tum facile ligaturam in dies fortiorem tulit, vſque ad exſtirpationem tumoris. p. 176.

23) *De prophylaxi a contagiis,* Auctore FRIED. LVDOVICO BANG. Cernitur prophylaxis haec in tranſitu contagii ab aegrotis ad ſanos auertendo vel ſaltem infringendo, ingreſſu contagii omnino, vel quantum fieri poteſt, impediendo, et in diſpoſitionibus contagioſis exſtirpandis vel debilitandis. Contagii diuerſitas mutat quoque harum regularum applicationem, quam hic Noſter monſtrat. p. 179.

p. 205. 24) *Obſeruatio de efficacia ligni quaſſiae in dyſphagia ſpaſmodica*, Auctore IO. CLEMENT. TODE. Inter alias quaſſiae virtutes, alibi narratas *) laudabatur et antiſpaſmodica, quae in deglutitione ex ſpaſmo laeſa hic confirmatur, multis antea remediis antiſpasmodicis incaſſum tentatis.

p. 209. 25) *Obſeruationes circa aërem in ſanguine et humoribus contentum, quibus ſimul noua pathologia ſcorbuti adiungitur.* Auctore IO. HENR. SCHÖNHEYDER. Diſputat hic Noſter de natura, origine et effectibus huius aëris. Verſari videtur Cl. Auctori hic aër in ſtatu ſemielaſtico et origo aëris in ſanguine maximam partem ex canali alimentari deriuanda. Scorbuti cauſſam ſolam non defectum aëris fixi, vti MACBRIDE docuit **) ſed alcalinam eſſe, Cl. Auctor iudicat, ideoque et acida in eo commendat.

p. 219. 26) *Iſchuriae et enureſis ſimpliciſſime curatarum obſeruatio*, Auctore IOANNE CLEMENTE TODE. Oleo nimirum chamaemeli deſtillato, ope cocti diluto; quo perinaeum radicemque penis frequenter inungi Noſter iuſſit.

p. 223. 27) *Foliorum bardanae efficacia in excoriationibus et vlceribus apertis.* Auctore IO. HENR. SCHÖNHEYDER. Narrat hic Cl. Auctor duo exempla de vſu foliorum bardanae recentium in herpeticis aliisque cutaneis morbis externo, felici. His enim quotidie applicatis per tres ſeptimanas ſunt vlcera exſiccata ***).

28) *Ob-*

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 322.
**) v. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 336.
***) Succum recenter expreſſum radicis bardanae interne adhibitum, vtilem in his morbis obſeruauimus.

28) *Obſeruatio de cruſta in ſanguine miſſo oborta et iterum ſubducta*, Auctore IOANNE CLEMENTE TODE. Miratur Noſter cruſtam in ſanguine e vena miſſo veram iterum prorſus diſparuiſſe. Forſan calor, quem et Auctor notat, eam reſoluit.

29) *Obſeruatio de letali radicis ialappae effectu in duobus ſubiectis a morbo inflammatorio inteſtinorum conualeſcentibus*, Auctore P. C. ABILGAARD. Praeſcriptio laxantis erat haec: pulu. rad. Ialap. ʒß. diagryd. ♆rat gr. IV. Tart. Vitriol. ʒj. p. 234.

30) *Experimenta circa ſenſum videndi*, Auctore IOANNE EICHEL. Loquitur hic Noſter de phaenomenis in oculo, quae a preſſione oriuntur e. g. de annulo, qui oriri videtur, ſi oculus leniter digito premitur. p. 238.

31) *De graui vteri haemorrhagia obſeruatio*, Auctore FRIDERICO LVDOVICO BANG. Haec haemorrhagia aliquoties reuerſa, et demum valde grauis, ſedata eſt potiſſimum pulueribus ex cortice Peruuiano, rheo et nitro cum decocto corticum aurantiorum. p. 268.

32) *De hydrophobia a cane lambente inducta obſeruationes duae*, Auctore IOANNE HENRICO CALLISEN. Triplex indicatio praeſcripta Noſtro videtur in hoc morbo: ac primum quidem deglutitio ſaliuae maxime impediatur, et ſputatio naturae niſu indicata, valde ſalutaris diligenter promoueatur; poſtea eretiſmus corporis totius Noſtro mere ſymptomaticus eſt, inde ſedantia potentiſſima, vt moſchus et opium fruſtra adhibentur. Deglutitio ſaliuae e contrario, lux, aſpectus corporum p. 273.

 ſplen-

ſplendentium, turbatio et colloquium, ſi euitentur, eretiſmus corporis multo melius ceſſat; et denique tertia indicatio vere curatiua vnice quaerenda Noſtro videtur in ſaliuae venenatae mutatione, quae ſpectatur in tempeſtiuo ac ſufficienti mercurialium praeparatorum vſu.

p. 284. 33) *Obſeruatio de dolore periodico, corticis Peruuiani virtute, ſedato,* Auctore IOANNE CLEMENTE TODE. Qua occaſione memorat Noſter ſalutiferum balneorum ſinapinorum in arthriticis doloribus effectum.

p. 287. 34) *De vſu forcipis eiusque in ſitu faciei laterali applicandi modo,* Auctore MATTHIA SAXTORPH. Arbitratur Noſter Smellianam forcipem praeferendam eſſe Levretianae et illi ipſi emendatae, propter faciliorem et tutiorem illius applicationem. Forcipis vis conſiſtit non ſolum in capite extrahendo, ſed et eo comprimendo illoque interdum ab vno ſitu in alterum dirigendo. Extractio praecipua et tutiſſima eſt, compreſſio caute et prudenter exerceri debet; ſitus vero capitis mutationem forcipis ope ininſtituere nunquam ſuaderet Noſter. Inferatur forceps ſemper ad latera peluis cet. Exempla, quae hic enarrat, bene ſucceſſerunt.

p. 304. 35) *Obſeruatio de ſalutari opii effectu in tetano et triſmo ſymptomatico,* Auctore FRIDERICO CHRISTIANO WINSLOW. Accedebat hic morbus ad fracturam femoris et leniebatur laudano.

p. 307. 36) *De hydrope ex ingeſto arſenico obſeruatio,* Auctore FRIDERICO LVDOVICO BANG. Tempus et natura ventriculum valde debilitatum vomitu crebro iterum iuuabant et hydropem amara curarunt.

37) *De*

37) *De placenta in orificio vteri irradicata.* p. 310.
Auctore MATTHIA SAXTORPH. Quaerit hic Noſter numne partus eadem ratione eſſe poſſint, qua alii morbi, epidemici? et videtur Noſtro largiri poſſe et debere hanc epidemiam. Octies enim ſemeſtri ſpatio obſeruauit partus, in quibus placenta in collo vteri immediate ſupra eiuſdem orificium irradicata in quaerentium oculos veniebat. Antea vero inter 3606 partus vnicus talis a Noſtro notatus eſt.

Addit hic Noſter quaedam ad ea, quae iam p. 314. habet Cl. LEVRET de hoc placentae caſu *) nec reticet ea, quibuſcum conueniunt ſuae ipſius obſeruationes et LEVRET. Praeſagiunt hunc ſtatum haemorrhagiae in vltimo grauiditatis menſe. Vna feminarum, quas hic Noſter exempli loco propoſuit, quinque haemorrhagias paſſa eſt, reliquae non niſi tres, et duae ſolummodo binas ante partum tolerabant. Dolores porro ad partum hic ſunt debiles atque inſenſiles adeo, vt vix crederes incepiſſe partum. Remedium optimum, citiſſimum et efficaciſſimum ſiſtendi haemorrhagiam poſt partum eſt, abdomen manibus leniter comprimere. Ita enim fundus vteri verſus dorſum premitur, viſcera abdominalia ſubleuantur, ne ob nimium ſanguinis affluxum et vterum vacuum plus iuſto ſanguinis recipiant et in vaſa vterina patula eundem effundant.

38) *Experimentorum circa ſenſum videndi continuatio.* p. 330. Auctore IOANNE EICHEL. Cl. Auctor **) de ſtrabonibus, ſtrabiſmo viſuque duplicato agit. Strabiſmo

Q 5 optime

*) vid. comm. noſtr. I. decad. Suppl. IV. p. 641.
**) vid. ſupra p. 243.

optime medetur, ſi torpens oculus, altero ligatura obſirmato, cogitur officio ſuo fungi.

p. 356. 39) *Herpetis exedentis curatio*, Auctore FRIDERICO LVDOVICO BANG. Manus occupauerat herpes, digiti erant tumidi excoriati partim exulcerati, ichore tenui obſiti vnguibus ſimul laeſis. Durabat iam hoc malum per duos annos et reliquum corpus immune erat ab hac excretione. Facies vero cachexiam prae ſe ferebat. Praeſcripſit purgans ialappinum omni quaterno die repetendum, interea electuario e corticis Peruuiani partibus duabus et ſaſſafras parte vna cum melle communi adhibito. Pro vſu externo oleum palmae, conſolidatione cutis incipiente frequentes manuum lotiones. Intra aliquot ſeptimanas malum hoc fugatum eſt.

40) *De ſimpliciſſima methodo tractandi puerperas in domo obſtetricia regia Havnienſi anno 1773, obſeruata*, Auctore IOANNE PHILIPPO ROGERT. Maxime nobis arridet hoc inſtitutum et imitatione dignum id iudicamus. Puritas domiciliorum et lectorum curatur. Parturiens in ſellam partui dicatam, culcitris tomentitiis tectam fulcriſque pro manibus et pedibus inſtructam, etiamſi quoque firmus ſatis et commodus in ea ſit decubitus, tamen non conſtituitur, priuſquam orificium iternum vteri plane fuerit deletum et caput partes externas protrudere inceperit.

p. 363. Perinaeum manibus non deprimitur, ſed ipſis ſuffultum a ruptura grauiore praecauetur. Placenta ſoluta, indicante haemorrhagia, extrahitur; praeterea autem naturae relinquitur, quam illa etiam quarta, immo vigeſima a partu hora ſoluit et ſeduxit feliciter. Manus in matricem nunquam immit-

immittitur, niſi ſumma vrgente neceſſitate. Veſperi diei ſecundae immittitur clyſma ad imminuendam febrem lacteam.

Haec et alia pertinent ad partum naturalem. Ex trecentis enim et triginta ſeptem partubus antecedentis anni ducenta et nonaginta quinque naturales fuerunt. Partus tarditas nimia iuuatur venaeſectione et guttis quindecim ſeu viginti laudani, quibus et inflammatio arcetur. p. 368.

In partu difficili ex ſitu vteri obliquo nihil molitur, ſed ſanguinis miſſionibus, anodynis camphoratis et nitroſis inflammationi obuiam itur doloresque ſuſtentantur, et ſi modica fuerit vteri obliquitas, nec dolores admodum debiles, naturae committitur. In maiori obliquitate vteri et puerperae imbecillitate applicatur forceps, quod ter contigit per annum. In ſitu capitis peruerſo verſio aut forceps ſuadetur. p. 369.

Nulla in his partubus imponitur abdomini faſcia ideoque copioſior lochiorum fluxus, vt ſanguinis miſſio localis conſideratur, quae optime inflammationem minuit, neque hic dantur cardiaca. p. 371.

Febre puerperali, alibi adeo frequente, duas modo Noſter vidit vexatas puerperas. Prior eaque vnica in hoc numero moriebatur, quarto a partu die; altera euaſit. Abdomen mortuae apertum materia copioſa, purulenta, foetidiſſima, inteſtina conglutinante erat repletum, omentum fere totum putrilaginoſum, vterus contractus externe, in fundo leuiter inflammatus, interne cruore coagulato obductus conſpiciebatur, collo conſtricto et orificio aperto, ligamenta lata et ouaria connata cum vicinis partibus, dextrum fere totum gangraenoſum. p. 374. p. 375.

XVI.

XIV.

IOSEPHI QVARIN S. C. R. A. Mai. Deputat. aul. et inf. Auſtr. Regim. conſil. ſanitatis ac in noſocomio fratr. miſeric. phyſic. methodus medendi inflammationi. Vindobon. apud Rudolphum Graeffer 1774. 8. pagg. 247. praeter dedicationem, praefationem et conſpectum.

Seruat hic Cl. QVARIN *) ſuum promiſſum, ita tamen, vt animaduerſiones de chronicis mor-
p. 2. bis alio tempore communicare polliceatur. Signa inflammationis non omnia debent in conſpectum venire. Diſſentiunt Auctores de cauſſa inflammationis eamque in humorum tenacitate partim ponunt, partim in acrimonia quaerunt, item vtrumque conſtituunt. Noſter vero hanc litem mittit et ex vtraque opinione remedia ad celeritatem ſanguinis minuendam, cruoris firmitatem attenuandam et acrimoniam corrigendam commendat. Indicationes enim omnes cernuntur in impetu humorum nimio compeſcendo, in torpente excitando, a partibus nobilioribus deriuando, in craſſo incidendo, crudo coquendo et cocto euacuando.

p. 19. Haec de inflammatione in genere. Caput ſecundum de phrenitide agit. Arteriotomiam Noſter in hoc morbo cum SWIETENIO non adeo extollit. Applicationem columbarum trucidatarum plane reiicit ob effluuia putrida noxia, ſi putreſcunt.

Aër frigidiuſculus prodeſt phreniticis. Hinc ſuſpenſionem linteorum muria ſalis ammoniaci madi-

*) vid. EIVSDEM method. medend. febr. in praefat. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 96.

madidorum ſuadet, vel ſi virentis ſambuci ſeu roſarum cet. rami aquae immergantur.

In angina inflammatoria bonum ſignum eſt, ſi collum et pectus rubent, quoniam materia inflammatoria ad exteriora tranſit. Qui ſaepius hac angina afficiuntur, iis prophylactice proſunt gargariſmata frigidiuſcula ex ſaluia, foliis roſarum rubrarum cum pauco liquore anodyno minerali. p. 30.

In angina ſcirrhoſa priuſquam exſtirpatio et vſtio, qua vtraque non raro opus eſſe cum RVYSCHIO putat Noſter, inſtituitur, mitiora tentat Cl. QVARIN, vt oleum tartari per deliquium, ſpiritus ſalis marini dilutus, qui putredini reſiſtit et quem adeo facile irritabilis ipſius cancri malignitas ferre videtur; decocta molliſſima dein interponenda ſuadet. p. 47.

In angina paralytodea mentionem Noſter facit virgulae WILLISII, e pinna cetacea parata, in ſummitate ſpongiam adfixam habens, qua cibis via in ventriculum paratur. Quae ſi a nimia venere proficiſcitur, nucem Indicam et nuces iuglandes conditas cum ſyrupo cinnamomi vtiliter adhibuit amicus quidam Noſtri. p. 51.

Occurrebat Noſtro, licet rarius, angina putrida, qualem HVXHAMVS *) accurate deſcribit. Sanguinis miſſio in ea ſine ſtatu inflammatorio nocet, vomitoria autem valde proſunt. Haeret enim putridum in ventriculo. Damnat quidem Cl. HVXHAMVS ſalium volatilium alcalinorum vſum et putat iis morbum exacerbari. Obſeruauit tamen Noſter ſummam eorum vtilitatem, vbi pulſus tremulus, inaequalis, intermittens et mollis erat. p. 53.

Spiritus

*) v. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 588.

Spiritus cornu cerui efficaciam in febre putrida maligna iam diu ante Anglos medici noſtri in Styria animaduerterunt.

p. 63. Anginae aquoſae vel oedematoſae omnia, quae exitum lymphae liberum impediunt, curam ſuppeditant, vt venarum compreſſio ab atheromate, ſteotomate ſimilibusque tumoribus.

p. 67. Alia pleuritis pleuram huicque adnexam celluloſam telam potius occupat, alia partes integumentis viciniores e. c. muſculos intercoſtales et tunicam adipoſam magis adficit; illam internam veram, hanc externam ſpuriam vocant.

p. 76. Dum de venaeſectione rite inſtituenda in hoc morbo agitur, aſſerit Noſter, aegros ſupine iacentes largiorem venaeſectionem facilius ſine animi deliquio ferre, ac ſedentes. Prima venaeſectio efficacior in brachio lateris affecti obſeruatur, altera in parte oppoſita, tertia in pede adminiſtrari poteſt. Soli lardaceae cruſtae ſanguinis non fidendum eſt in reiteranda ſanguinis miſſione. HVXHAMVS enim in paraphrenitide ſanguinem corio obductum poſt centum vncias detractas vidit et B. VAN SWIETEN merito obſcuram pellis huius originem dicit. Pleuritis vt plurimum peior, ſi cruſta inflammatoria abſit. Laudatur frictio partis affectae inter ſanguinis miſſionem, ſed haec in pleuritide ſpuria plus prodeſſe videtur, quam in vera, cet.

p. 97. Peripneumonia vel in ſanitatem, vel in ſuppurationem, ſcirrhum aut gangraenam abit. Ad vomicam rumpendam non fortius emeticum ſuadet Noſter, ſed laudat hic et inter alia ſulphur antimonii auratum, quod praefert kermes minerali, cum citior et potentior inſit ſulphuri aurato vis emetica. Soluitur hic morbus et criſi metaſtatica et ſoli hi abſceſ-

abſceſſus ſunt boni, qui ad partes exteriores fiunt. Atque obſeruatio medica docuit, illos plerumque in hoc morbo ad parotides vel crura naſci, rarius vel nunquam ad alia corporis loca. In metaſtaſi circa crura ſigna leuioris inflammationis ad hypochondria obſeruantur, forte a materia morbi per coeliacam meſentericam vtramque ad viſcera chylopoea et venae portarum anguſtias delata; ſi ad aures fiat metaſtaſis, hypochondria ſunt mollia.

In capite ſexto agitur de paraphrenitide, mediaſtini et pericardii inflammatione. Coniuncti ſaepe et ſunt hi morbi. Nam monente iam Cl. SELLE *) haud raro accidit, vt plurium partium inflammationes ſimul adſint. Spaſmus cynicus non eſt pathognomonicum ſignum inflammati diaphragmatis, ſed cuiuslibet viſceris, quod a neruo intercoſtali ramos habet. p. 136.

Hepatitis in vena portae vel arteria hepatica habet locum. Vna nata, facile altera ob innumeras anaſtomoſes ſequitur. Frequentius hepar in parte exteriori inflammatur. Inter cauſſas numerantur et potus balneumque frigidum. p. 140.

Gaſtritite declarata ad colicam Noſter progreditur. Omnis inteſtinorum dolor colica audit, quae pro cauſarum diuerſitate in diuerſas ſpecies diſtinguitur. Noſter quidem ſecundum ſuum ordinem inflammatoriam hic curare debebat, tamen coniungit cum ea flatulentam et billioſam, quoniam flatulenta non raro peſſime cum inflammatoria confunditur, nec raro inflammatoriam ſequitur billioſa. p. 159.

Poſt et ante venaeſectionem et ſi quoque aluus reſpondeat, ſuadet clyſmata Noſter in inflammato- p. 164.

ris

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 77.

ria colica. Licet enim clyſmata non adeo alte tendunt, tamen lauant et fouent partes vicinas. Rarius contingit, tantam eſſe ani conſtrictionem, quae canulam non admittat, ſi eſt, vnguenta ſeu fomentationes in ſella perforata Noſter commendat. Fomenta ex ſpeciebus emollientibus et ſapone continuo externe applicanda, non ſint nimis ponderoſa, ne inde dolor augeatur.

p. 169. Inter varias cautiones, ſi inflammatio in ſuppurationem abit, vbi et tunica villoſa, cauum inteſtinalem tubum referens, per aluum exit abſque periculo, legimus, quoque cauendum eſſe tum a cortice in ſubſtantia, quippe qui craſſa et dura ſcybala format, ſed illum exhibendum eſſe in decocto cum agrimonia. Ceterae cautiones, quae ſpectant tam alimenta, quam medicamenta, neque omnes hic a nobis tradi poſſunt, lectu et imitatu nobis videntur dignae.

p. 175. Interne in colica flatulenta vix praeſtantius eſt remedium, quam infuſum ſaturatum ſeminum quatuor calidorum per partes hauſtum, cum tepore ſpaſmi ſoluantur et grata haec aromata blando ſtimulo has partes ad aequabilem contractionem inuitent. Nec minus laudat clyſmata e cortice et camomillae floribus.

p. 181. De emeticis in colica millioſa diſſentiunt Auctores. Noſtro ea videntur noxia in malo, ab animi commotione vel calore exceſſiuo originem ducente, vbi vero ex ingluuie vel abuſu carnium ferinarum vel ſuillarum deriuanda eſt colica, ab initio, accedente inprimis anxietate et ſenſu ponderis in ſcrobiculo cordis, lene emeticum ex ipecacuanna et rhabarbaro ſuadet.

p. 183. De ileo, quem recentiores perperam voluulum nuncupant, hic agitur. Ileus enim abſque conuoluſione

ſione vel introſuſceptione et haec absque ileo occurrit Merito in ileo laudantur temperata veſicantia abdomini adplicata. In mutuo inteſtinorum ingreſſu ſuadentur globuli plumbei deglutiendi, item mercurius. Omnia vero ſunt tentanda, antea, quam metalla haec exhibeantur. Aurum fulminans in ileo quoque Noſter reiicit.

Suadent nonnulli, vt abdomen diſcindatur, inteſtina educantur, voluuli locus quaeratur, inuentus digitis explicetur, dein inteſtina reponantur et abdomen conſuatur. Licet Cl. NVCKIVS felicem ſimilem caſum refert, tamen huius rei difficultatem cum b. VAN SWIETEN Noſter vrget. Idem de machina IOANNIS VIDEMAR medici Mediolanenſis *) ſentit, qua liquida tanto impetu ano iniiciuntur, vt vomitu reiiciantur. p. 200.

Multos, qui arenulas vel minores calculos per vrinam cum moleſtia, ſtranguria et colica ſaepius redeunte excernebant, ſequenti puluere Noſter ſanauit, ſingulis vel alternis diebus drachmam exhibens: ℞. Olei cort. aurant. gt. VI F. c. ſacch. alb. unc. dimid. eleoſacch. cui adde uvae vrſi unc. dimid. gumm. Arabic. drachm. ij. radic. ialap. dr. j. M. p. 206.

In grauiori rheumatiſmo fomenta ex infuſo florum ſambuci et cicutae proſunt, vel ſuadente SARCONE extractum cicutae cum ſucceſſu emplaſtri inſtar applicatur parti affectae. Mentionem fecit ranunculi pratenſis, quo externe irritavit Ill. STÖRCK partes affectas rheumatiſmo **), et maiorem effectum, difficilioremque curationem ab eo, quam a veſicatoriis, obſeruauit. p. 224.

Vtiliſſi-

*) v. Giornale di medicina Tom. II. p. 245.

**) Ann. med. II. p. 122. comm. noſtr. Vol. VII. p. 541.

p. 228. Vtiliſſimum eſt huic morbo balneum Badenſe ſulphureum, a Vienna non longe diſſitum. Conducit et hic embrocha, hac cautione: ab initio ſatis propinquo parti adfectae tubus applicandus eſt, dein ſubinde remouendus, vt maiori impetu irruat et ſic adſueti absque doloris ſenſu ferant aegri. Prodeſt et artificiale balneum hoc: calcis viuae, ſulphuris apyreti ana libr. dimid. aquae dulcis vel danubianae libr. triginta. Ebullitione extrahatur per noctem lixiuium, quod cum aqua fluuiatili miſcetur. Balnea ſimilia diu eſſe continuanda optime monuit Cl. STRACK *).

Formulae additae nobis placent tam ſecundum compoſitionem, quam remediorum dignitatem.

XV.

MATTHAEI FRANCISCI ALIX medicinae et chirurgiae Doctoris, Acad. Elect. Scient. Vtilium membr. ac vrbis et Brukn. aquae miner. phyſic. etc. obſeruata chirurgica. Faſciculus I. Altenburg. ex officina Richteria 1774. 8. pagg. 116. praeter dedicationem praefationem et contenta.

p. 1. 1) *De fulmine tacto, aqua vegeto minerali* GOVLARDI *concentratiori feliciter curato.* Tres potiſſimum indicationes ſunt in hoc morbo formandae. Ac primum quidem plethora eſt infringenda venaeſectione, dein robur tonusque ſolidorum reſtituendus et ſtagnantes humores in motum ſunt reducendi. Atque has tres indicationes Noſter in hoc aegro, cuius hiſtoriam hic tradit,

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 674.

dit, perſecutus eſt. Ac inprimis cum felici ſucceſſu applicuit ſub forma fomenti pedi ſiniſtro ſupra genu vſque valde tumefacto, inſenſili atque livido ab impreſſione radii fulminis, cum aqua Gourdiana nihil praeſtaret, aquam eandem concentratiorem, compoſitam ex duabus vnciis extracti ſaturni et duabus libris aquae. Qua per ſex horas applicata, titillationem aeger ſentiebat et pedem mouere cepit et continuato eius per duos dies vſu pars afflicta detumuit, colorem magis naturalem, et faciliorem motum adepta eſt. Quo facto aquae concentrationem diminuit et temperantibus ſepoſitis, corticis vſu intra octo dies aegrum ſanauit.

2) *De hydrope pectoris et pericardii.* Cauſſam huius mali Noſter ponit in conatum nimium, quo aeger praegraue onus attollere ſuſcipiebat. Vnde fibris vltra elaſticitatis gradum tenſis et orta ſimul maiore humorum congeſtione, vaſa quaedam rupta laticem in cauum pericardii et pectoris effundebant In cadauere inter alia reperit Noſter pulmones pleurae et diaphragmati fere vbique contiguos et aneuryſma verum in ſiniſtra auricula. p. 7.

3) *De abſceſſu in regione lumbari.* Pertinet hic ad latentes abſceſſus et feliciter eſt apertus. p. 12.

4) *De abſceſſu in regione inguinali.* Quo aperto et ſuppuratione bene ſuccedente, tunica peritonaei membranacea exfoliabatur et nuda inteſtina conſpiciebantur. Nihilominus tamen vulnus quotidie minus profundum erat et aegra conualeſcebat. Paullo poſt Noſtri culpa idem malum denuo reuertebatur et fluctuatione iterum praeſente alteram inciſionem tentabat, quo facto ſimul cum p. 15.

materie penicillus vulnerarius exiit. Vulneris poſtea ratione habita, non diu poſt eſt ſanata aegra, nec vllum incommodum remanſit.

p. 20. 5) *De vitio eiaculationis ſeminis a duris corporum cauernoſorum tumoribus.* Hi tumores relicti ſunt poſt manuſtuprationem tum, cum aliquando vnius horae ſpatio talem vim ter ſibi aeger intuliſſet. Id quod aegro in recenti fuit memoria, nec inde vlla quidem incommoda, manifeſtum tamen horum tumorum indies incrementum ſenſit. Tempore vero coitus excitarunt hi tumores doloris ſenſum. Reſoluit Noſter hos tumores inprimis aqua vegeto minerali GOVLARDI cum mica panis forma cataplaſmatis, ſimul in vſum vocatis balneis domeſticis atque internis remediis. Atque hac occaſione, experientia ſua iubente, dicit contra BOERHAAVIVM, LVDWIGIVM, LOESEKIVM, BRAMBILLAM et QVARIN, qui de nociuarum particularum in corpus reſorptione a ſaturninis remediis timuerunt, et aquam hanc Goulardianam ab omni ſuſpicione liberat.

p. 27. 6) *De ranula connata inſigne volumen adepta.* Horum ſub lingua tumorum indolentium origomateriaque Noſtro videtur ineſſe ſaliuae. Plerumque cadunt in adultiorem aetatem, hic Noſter exemplum rarum refert infantis, tali cum tumore nati. Noſter fecit operationem ita feliciter, vt ſaccum penitus reſcinderet et, decem diebus elapſis, ſanitas perfecta rediret.

p. 33. 7) *De glandulae thyroideae affectu.* Praeminebat glandula ſcrophuloſe affecta ad duorum pugnorum magnitudinem et ſentiebatur in ea fluctuatio. Qua igitur ſeparata et diſſecta, magna

copia

copia ſanguinis extrauaſati, quinque circiter vnciarum pondere reperiebatur, dein calcarea et quaſi lapideſcens materia durior inaequalis et acuta, quae totam ſuperficiem internam obtegebat et in ſubſtantiam ipſam, quae ſpongioſa erat, penetrabat. In vtroque ſtrumae latere erat conſpicua thyroidea arteria ſuperior, quae plerumque ramum carotidis externae conſtituit et iterum in varios minores ramos in ea diſpeſcitur. Notabilis huius arteriae ſiniſtrae ramus ad internam ſtrumae ſuperficiem diſruptus tantam ſanguinis copiam fuderat, vaſis totius capitis ſanguine turgeſcentibus, vt adeo diſruptio huius arteriae aneuryſma ſpurium ſiſteret, quod ſtrumale dici poſſe videtur Noſtro. Isque caſus ideo ſingularis Noſtro videtur, quod nullus, cuius meminit Noſter, occurrit caſus, qui doceret aneuryſma ſpurium in ſtruma ex nimio impetu ſanguinis, quin ex antecedentis et vaſa capitis iam replentis reſiſtentia obortum fuiſſe. Apoplexia mortua eſt aegra.

8) *Hydrops vniuerſalis.* Multis remediis fruſtra adhibitis, cantharidum grana quatuor cum larga copia aquae hordei vim diureticam largiſſimam praeſtabant, poſtquam quartam partem huius portionis ter ſumſerat. Atque ita cortice cum ſale abſinthii et rhabarbaro aeger, ſex hebdomadibus elapſis, plane eſt reſtitutus. Anno vno et dimidio poſt iterum reuertebatur idem morbus, nec cedebat cantharidibus. Sanabatur autem aeger nihilominus inciſionibus, quibus aqua euocabatur, et dein rheo, ſale abſinthii et cortice. Internus vſus cantharidum a Noſtro conceditur in magnis morbis, vbi vſitata remedia nil proficiunt et decocto hordei mucilaginoſo putat caueri, ne damnoſa euaderet haec medicina. Cauſam vero cur p. 37.

 cantha-

cantharides altera vice non eundem praeſtiterint effectum, quem prima, quaerit Noſter in debilitate maiori, et irritabilitate minori, ac forte primum in vaſis dilatatis, ſecundo in ruptis vaſis et flui- dis effuſis.

p. 41. 9) *De ſphacelo ſcroti.* Peruerſa ex methodo medendi hic ſphacelus ortus eſt, quo Noſter ſex ſeptimanarum potiſſimum ſcarificatione et cor- tice eſt potitus.

p. 45. 10 et 11) *Fracturae maxillae inferioris. Ma- xilla ſuperior et inferior fracta.* Omnino hic mo- net Cl. Auctor, violentas concuſſiones et magnas contuſiones, fracturas, luxationes et vulnera non ita viſa periculoſa, letalia facere, e contrario omino- ſis iis, nullum malum inde ſequi, etiamſi valida concuſſio praeceſſerit. Atque hoc probat hic duo- bus exemplis. Prioris exitus erat infauſtus, alte- rius fauſtus.

p. 53. 12) *De teſticulo ſcirrhoſo.* Multis remediis fruſtra adhibitis ille exſtirpabatur feliciter. Patere arbitratur Noſter ex hac obſeruatione, in ampu- tatione teſticuli ligaturam arteriae non eſſe neceſſa- riam, e contrario multa mala e ligatura nerui poſſe euitari, nec minus cauſſam huius morbi fuiſſe hu- morem extrauaſatum, quo magis magiſque accu- mulato et ſubinde acriori et corroſiuo reddito, do- lores aucti ſunt et teſticuli conſeruatio impedita.

p. 57. 13) *De duabus prope perinaeum fiſtulis vrinam purulentam excernentibus.* Hae fiſtulae per annum male tractatae a Noſtro inciſione atque dilatatione feliciter ſunt curatae.

14) *Abſceſ-*

14) *Abſceſſus parotidum metaſtaticus eiuſque ſequelae.* Ex febre male curata oriebatur abſceſſus ad parotides, eoque diſcuſſo, diarrhoea copioſa aegro ſuperuenit, quae quidem medicamentis coerceri non poterat aeger, poſt decem dies noua febre corripiebatur cum dolore violento atque profundo in regione vmbilicali. Atque hic nouus abſceſſus formabatur, qui inciſus licet difficulter, tamen curabatur, aegro penitus ſano. p. 65.

15) *De ſcirrho glandulae parotidis.* Dum in ſtadio critico glandulae tumefiunt, ſemper timendum eſt, ne in ſcirrhum aut cancrum degenerent, cuius plena ſanatio valde eſt difficilis, quamuis etiam exſtirpetur. Probat hoc Noſter hic exemplo, ex quo praeterea patet, tales aegros breui poſt febre lenta perire et tumorem vtplurimum reuerti et maius, quam antea volumen obtinere. Scirrhoſus enim tumor quatuor librarum, quem Noſter feliciter exſtirpauit, rediit multo maior et aegra lenteſcens moriebatur. Cauſam quaerit Noſter in ſolita quadam huius aegrae euacuatione ſuppreſſa. p. 69.

16) *Glandula mammae tumefacta.* Haec glandula tumens, menſtruis reſtitutis, ſine externis remediis ſoluta eſt. Atque hic obeſſe emplaſtra aliaque externa remedia monet Noſter. Quaſſia potiſſimum vſus eſt Cl. Auctor, ad menſtrua reuocanda. p. 73.

17) *De tumore in regione vmbilicali.* Hic abſceſſus certo a vermibus erat productus, quod idem et Cl. TISSOT *) obſeruauit et Noſter alibi **) legit. p. 76.

*) Avis au peuple §. 389. pag. 326. vid. comm. noſtr. Vol. XII. p. 549.

**) Eſſays and obſ. phyſical and litterary by a ſociety at Edinburgh. Tom. I. comm. noſtr. Vol. V. p. 54.

legit. Anthelmintica multos vermes expulerunt et vulneris ſanationem valde iuuarunt.

p. 79. 18) *Fractura clauiculae.* Repoſitione facta applicauit Noſter manicas corpuſculi Cl. BRADERI *) et ſine emplaſtro et liquoribus inter ſedecim dies aeger plenarie ſanabatur.

p. 82. 19) *De vlcere naſi.* Hoc externis remediis male tractatum in dies peius reddebatur. Noſter vero, cum venereum eſſet, illud frictionibus mercurialibus mox ſanauit. Externe nil adhibuit, quam digeſtiuum ſimplex cum dimidia vnguenti Neapolitani quantitate.

p. 85. 20) *Tumor teſticuli duorum magnitudinis pugnorum remediis* GOVLARDI *feliciter ſanatus.* Ortus erat tumor hic ab externa cauſſa et iniuſtis remediis tentatus, talem magnitudinem nactus.

p. 88. 21) *De vlceribus benignis intempeſtiue ſanatis.* Imprudenter exſiccatis iis, aegrotanti ſuperueniebat tuſſis ſicca, reſpiratio valde difficilis, cutis ardor, abdomen tenſum, aluus obſtipata. Noſter iterum aduocatus reuocabat haec vlcera ſcarificatione iisque iterum praeſentibus omnia ceſſabant ſupra narrata ſymptomata.

p. 92. 22) *Haemorrhoides coitum cum marito impedientes.* Similitudinem habet haec obſeruatio cum ea, quae narratur in tentaminibus ſocietatis, Edinburgenſis **). Haec femina ita conualuit, vt fetum maſculum enixa eſſet.

23) *Vul-*

*) Mém. d. l'Academ. roy de Chirurgie l'année 1772.
**) Tom. II. p. 353. comm. noſtr. Vol. VII. p. 94.

23) *Vulnus gladio abdomini inflictum.* Tria accipiebat hic vir vulnera, in fronte nimirum, oſſe parietali atque abdomine, ac quidem in regione vmbilicali laeſo ſimul muſculo dextri lateris et linea. Dolores ex neruo laeſo optime, eo diſciſſo, compeſcebantur. Ceterum ſimplici deligatione vſus eſt Noſter et omnia haec vulnera bene ſanauit, licet antea ab imperito chirurgo male eſſent tractata. p. 96.

24) *Inflammatio venaeſectionem ſecuta.* Orta haec eſt ab imprudentia chirurgi a laeſione nerui, quo dolore aegra quoque miſere conuellebatur. Noſter dein aduocatus venaeſectione adhibita corticeque cum nitro interne exhibito, vulneri indidit ad methodum Cl. FOVBERT fruſtulum trochiſci eſcharotici de minio, quo neruus, qui ſymptomata producebat, conſumeretur, et applicuit praeterea cataplaſma ex aqua Goulardiana. Atque ita gangraenam coercuit et aegram ſanitati reſtituit. Non putat ſecundum Ill. HALLERVM hos dolores proueniſſe a laeſione tendinis, vti ſolebant olim credere HEISTERVS, GARENGEOT aliique. p. 100.

25) *Ingens vulnus carpo ſecuri inflictum et manu conſeruata feliciter ſanatum.* Erat ingens licet vulnus, tamen readunatis partibus manus eſt ſeruata, motu eius autem non integro. Pollicis vero motus ita validus erat, vt frumenta in area triturandi currumque dirigendi viribus gauderet. Digiti enim paululum modo erant incuruati. Erat praeterea carpus ſiniſtrae manus; vulnus vero in ipſa articulatione et cum magna partium dilaceratione. p. 104.

p. 107. 26) *Fluxio ad genam cum dilaceratione canalis Stenoniani.* Haec fluxio cauſſabat intumeſcentiam faciei cum impotentia aperiendi oris, in ſiniſtro praecipue latere, cui accedebat abſceſſus, quo et canalis Stenonianus arroſus fuit, vnde et multa ſaliua profluebat. Nihilominus tamen ductus iterum obturabatur et poſt ſeptendecim dies aeger plane conualeſcebat, ipſa ſaliua ſolitam denuo viam progrediente.

p. 118. 27) *Hiſtoria valde curioſa brachii ſphacelo corrupti.* Omnia reſpuebat aeger remedia, malum indies increſcebat et vlterius proſerpebat, ita, vt brachio vſque ad ſuam originem ſphacelato, ligni inſtar durum et carni fumo induratae aequaliter nigrum appareret, nec vllum cadaueroſum odorem proderet, ſine omni dolore, cum appetentia vegeta et ſomno tranquillo. Non multum poſt decidit brachium ſponte ſine omni haemorrhagia, partes brachii olim iunctae exſiccantur nilque fluidi ſtillant. Bene valet ſenex.

28) *De tendine Achillis diſciſſo, artificioſa deligatione feliciter ſanato.* Redintegratio huius tendinis intra quatuordecim dies a Noſtro eſt praeſtita, ita, vt aeger ad conſueta negotia verſus ne minimum quidem ſentiret incommodum.

XVI.

Diſſertatio anatomico chirurgica inaug. de aneuryſmate; oblata notabile aortae aneuryſma diuulgandi occaſione. Auctore IACOBO VERBRVGGE ad diem VIII. iunii 1773. L. B. apud Iacobum Donzi. 4. pagg. 110. praeter dedicationem, proemium atque theſes ad finem additas. c. tab. aen. VI.

Ordo, quem Noſter in hoc eleganti libello academico eoque profecto pretioſo ſequebatur, eſt hic: primum quidem deſcribit cor vaſaque maiora, dein aneuryſmatis etymologiam, diuiſionem ac definitionem dat, in eius cauſſas inquirit, illius effectus tradit, ſigna diagnoſtica atque prognoſtica enumerat. Poſtea ſpecialem aneuryſmatum aortae pertractationem exhibet, ac denique ſupra memoratam obſeruationem, figuris ſplendidiſſimis adiicit.

Aneuryſma diuiditur in verum, ſpurium et mixtum. Verum eſt, quando parietes arteriae cuiuſdam ſpatium iuſto capacius circumſcribunt. Spurium eſt id, quod fit arteriae cuiuſdam parietum, qua integri requiruntur, ob cohaeſionem fibrarum fere ſolutam perforatione, quae humores contentos in vicinas partes elabi ſinit. Hoc ſpurium genus cum Ill. HVNTERO *) in duas ſpecies diuiditur, diffuſum nimirum atque circumſcriptum. Mixtum Ill. HVNTERVS **) pariter inuenit. p. 15.

Cauſſas

*) Medical obſ. and Inquiries Vol. I. art. 26. p. 323. comm. noſtr. Vol. VIII. p. 315.
**) ib. p. 340. comm. noſtr. Vol. VIII. p. 316.

p. 19. Cauſſas Noſter hic perſequitur, quae vires parietum arteriarum contranitentes debilitant, 1) congeſtam vberioris ſanguinis molem, 2) ſanguinis volumen expanſione auctius, 3) impeditum traiectum, 4) impetum aduecti ſanguinis enormem 5) parietum robur imminutum, 6) eorum, quibus a foris fulciuntur arteriarum parietes, ablationem, 7) arteriae niſum contra ictum ſubitaneae percuſſionis, quam cauſſam haud immerito Auctores addidiſſe Noſtro videntur.

p. 23. Hae erant cauſſae veri, iam cauſſas ſpurii videbimus. 1) Vires externae mechanicae, 2) ruptio 3) diabroſis. Mixti cauſſas deriuat cum Ill. HVNTERO *).

p. 27. Exemplorum, quae a Noſtro ſecundum ſeriem harum cauſſarum hic narrantur, duo nominamus. Quae ſpectant potiſſimum haereditariam diſpoſitionem ad cordis aneuryſma, atque polypos idem cauſſantes.

p. 41. Inter effectus aneuryſmatis refert Noſter et omnium eorum, quae prope ſunt, eroſionem, quin imo cariem oſſium, quae ab acri humore tranſſudante efficitur.

p. 56. In ſignis commemorandis aneuryſmatis dum verſatur Noſter, primo agit de pulſatione, quae non abſolute requiritur ad aneuryſmatis diagnoſin; dein duritiem vel reniſum tumoris in aneuryſmatibus ſaepe deeſſe, e contrario mollitiem interdum adeſſe ſtatuit. Calor cutis diu interdum abſque mutatione manſit. Deriuant quoque a pulſu reliquarum arteriarum ſignum aneuryſmatis. Pulſus certe in interioribus aneuryſmatibus vtplurimum contractus, renitens, conuulſiuus et intermittens obſerua-

*) v. comm. noſtr. Vol. VIII. p. 316.

obſeruatur, praeſertim in brachio viciniori, nihilominus tamen et hic inſignis deprehenditur inconſtantia.

Sed haec hactenus de veris, iam de ſpuriis aneuryſmatum ſignis. Diſputat quoque Noſter hic de ſignis mixtorum aneuryſmatum *) inſimulque inquirit in ſigna cordiaci aneuryſmatis. p. 62.

De curatione aneuryſmatum hic agit Noſter. Atque hic vincturam, compreſſionem, arteriaeque interceptionem contemplatur Noſter atque exempla **) Auctorum examinat. p. 70.

In ſectione octaua ſpecialiorem Noſter exhibet aneuryſmatis arteriae aortae pertractationem, notabili caſu illuſtratam. Ad primarias cauſſas, obſeruationibus ſuffultas refert Cl. Auctor niſus vehementiores externos in motu, lapſu, violento curſu, tuſſi ferina, validis corporis et thoracis potiſſimum percuſſionibus et ictibus, dein huc refert ſpinae diſtorſionem, polypum, diſtractiones ſubitaneas, acrimoniam humorum motam, aëris retentionem intra pulmones nimis diuturnam. p. 84.

Sequitur nunc notabilis aortae aneuryſmatis obſeruatio. Hic tumor, in ſummo pectore ſeſe erigebat, inſigniter palpitabat atque vti ex figura prima patet, conum referebat. Durabat ille tumor per quatuor annos, ortus per niſus externos vehementes. Ad tactum durus erat. p. 102.

Demum

*) v. comm. noſtr. Vol. VI. p. 610. ib. decad. II. Suppl. I. p. 58. ib. 187.

**) v. ib. Vol. XVIII. p. 33. ib. decad. II. Suppl. I. p. 187. ib. Suppl. IV. p. 671.

p. 103. Demum autem cutis valde tenſa magis magisque praecipue ad apicem inflammabatur atque remediis antiphlogiſticis fruſtra adhibitis in gangraenam tendebat, quae, paulatim ſeſe expandendo denarii circumferentiam adaequabat. Parte ergo illa ita attenuata, vt, cum forte aliquid humi depoſitum, attolleret aegra, ea ſumma vehementia diſſiliret, adeo quidem, vt polypi fruſtum, quod anteriorem tumoris partem adimpleuerat, ad ſatis magnam diſtantiam proiectum, ſecum abſtulerit partem cutis anteriorem gangraenoſam, quod aliud, at multe minus, fruſtulum cum riuulo ſanguinis ſequebatur et vltimum idque maximum cum ſanguinis horribili torrente, erupit et aegram trucidauit.

p. 104. Vulnere eiuſque ruptura et profunditate conſideratis reperiebatur magnum foramen in medio oſſe ſterni, quod pectoris cute inciſa atque muſculis ſeparatis diſtinctius in oculos quaerentium veniebat latitudine ſua duos pollices Tab. IV. fig. 1. longitudine vero duos et dimidium aequans ib. acutum vndique in ſuo ambitu ib. Porro ſaccus in eo foramine reperiebatur firmiter ei vndique accretus fibroſusque. Ibi nimirum arteriae aortae truncus, vbi ex ſiniſtro cordis ventriculo exortus ſupra pericardium emergit, dilatatus erat in praemagnum ſaccum aneuryſmaticum, Tab. V. et VI. qui firmiter accreuerat ambitui interno foraminis in ſterno, et cuius parietes ita indurati erant, vt maxima eorum pars in cartilagineam vergeret ſubſtantiam. Tota ferme ſterni pars ſuperior perierat et loco eius illud foramen, infra quod, aliud, in ſaccum penetrans, foraminulum occurrebat,

In

In hoc praeterea ſacco polypus longus, durus ac ſimul friabilis, a ſupra *) dictis, lamellis fibroſis diuerſus ita, vt huius lamellae digitorum contrectatione longe facilius ſepararentur. Situs erat inter ſternum atque foramen, quod in fundo ſacci manifeſtum et margine quodam calloſo eminente diſtinctum directe cum ipſo aortae trunco, ſeu potius radice communicabat: vti ex tab. V. apparet. Totum fere ſaccum ita implebat maſſa haec polypoſa, vt ne vllum ferme locum retro venienti ſanguini relinquere videretur. p. 105.

Saccus vero ita amplus erat, vt pugnum admitteret et arcus aortae adeo dilatatus, vt oſtia vaſorum ex illo prouenientium, ſolito more trium, hoc vero in caſu quatuor, arteriae nempe innominatae, quae ortum praebet ſubclauiae et carotidi dextri, carotidis, vertebralis, ſubclauiae ſiniſtri lateris, maiora, quam ſolent, apparebant.

Pectoris in cauitate et pericardii colluuiei ſeroſae inodorae, minime acris ſatis magna copia continebatur. Praeterea omnia ſana deprehendebantur. Atque ita, figurarum in ſex tabulis explicatione addita, finitur haec obſeruatio.

XVII.

Hiſtoria tracheotomiae nuperrime adminiſtratae edita a F. WENDT. Med. Doct. Celſiſſ. Princ. Anhaltino Pliſſenſi a conſiliis cet. Vratislawiae impenſis Ioannis Erneſti Meyeri 1774. 8. pl. 1.

Operationis huius chirurgiae difficultate non parua et vtilitate non minori ſatis demonſtratis, narrationem ipſius caſus, quem hic tradit, aggreditur.

*) v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 165.

greditur Cl. Auctor. Puella cum glande in ore ludens et perterrita violentius aërem inſpirat, qui illam in tracheam detrudit. Tuſſis vehementiſſima et vomendi conatus eam mouebant, ſed non promouere poterant. Quapropter interdum reſpiratio fiebat facilior, glande ſcilicet ad ſuperiores partes et cartilagines laryngis delata, contra ea violentiſſima et conuulſiua oriebatur tuſſis, ſi ad bronchiorum principia decidens inſpirandum arcebat aërem, tunc enim aderat ſuffocationis metus.

Nihilominus tamen ita miſere aegra per nouem fere dies viuebat, antequam ad Noſtrum accedebat, qui, morbo explorato, operationem quam ſubitiſſime inſtituendam ſuadebat. Haec quoque tandem aliquando eſt ita feliciter facta, vt licet haemorrhagia et tuſſis crebra a valde nimia aegrae ſenſibilitate eam valde morabatur, decimo ſexto die integumenta penitus redintegrata ſint, vulnus bene coalitum aegraque ſanitati in integrum ſit reſtituta. Tardiſſime haec operatio eſt inſtituta, et muſculis ſterno-hyoideis et thyroideis reclinatis, ſpongioſaque tela caute diſſecta haemorrhagia inprimis oboriebatur, quae potiſſimum operationem retardabat et optime aqua ſclopetaria Cl. THEDENII *) eſt ſopita.

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 597.

XVIII.

XVIII.

A diſquiſition of the ſtone and gravel, and other diſeaſes of the bladder, kidneys, and the occult cauſes of the ſtone aſſign'd, its principles explain'd; with the manner of its accumulation; and by what means a nucleus is firſt form'd, which generates the ſtone; with the moſt rational method of cure. By WIL. ADAMS, Surgeon, London. — The fourth edition. London: printed for P. Shatwell, Bookſeller C. Nicoll, H. Parker, and I. Southern. 8. mai. pagg. 88.

i. e.

Diſquiſitio calculi ac ſabuli, aliorumque morborum veſicae vrinariae, renum, cet. Auctore GVILIELMO ADAM, chirurgo Londinenſi. Editio quarta.

Editio, quae in noſtris manibus eſt (nam antecedentes non vidimus, neque recentiores adhuc ſubſequutas eſſe aut ſubſequutum iri dubitamus, praeſertim quum Auctor ipſe eas polliceatur), anno huius ſeculi ſeptuageſimo tertio prodiiſſe videtur. In praefatione falſitatem aſſerti euincit, non dari curationem radicalem calculi, praeter ſectionem, qua tamen cauſſa non tollitur: hoc igitur momentum, dubiumque euentum operationis ipſius, inuento ab Auctore medicamento maius pondus addere, cet. In tractatione ipſa primo de viis vrinariis, tum de vrina, poſtmodum de ſabulo, dein de calculo, ſymptomatibusque vtriuis morbo competentibus diſſerit, ac poſtremo loco ad curationem diaeteticam et pharmaceuticam, et inde ad ſpecificum a ſe inuentum remedium progreditur.

p. 14. Cantharidum et terebinthinae, nonniſi extus corpori admotorum, actio in vias vrinarias ſolas, et mercurii, penetrantiſſimi remedii, actio in eaſdem nulla, poſſibilitatem remedii vi ſpecifica calculum
p. 16. ſoluente praediti probant. Exemplum renis dextri ſabulo in maſſam ſilicinam formae trunci arboris cum ramis concreto repleti, aeger tamen nunquam dolorem acutum hac in parte ſenſerat, et ſuppreſſio-
p. 20. ne vrinae moriebatur. Alius ſubito ex haemorrhagia a calculo renali in vreterem ſiniſtrum transgreſſo
p. 23. peribat. De variis nucleis, primam calculo baſin praebentibus, et de diuerſa horum mirandaque ſaepe magnitudine, inprimis de calculo, qui recens extractus pondus 51 vnciarum aequauit.

p. 26. De ſimilitudine quadam inter paroxyſmos cal-
p. 31. culi et febris intermittentis. Eas regiones, in quibus ex fructibus horraeis fermentatione parata potus genera vſurpari ſolent, multo minorem calculoſorum copiam praebere, quam vbi cereuiſiae craſſiores neque a fecibus ſatis depuratae in vſu ſunt:
p. 33. Gallos itidem huic morbo magis obnoxios eſſe,
p. 36. quam Anglos; an forte a Sequanae aqua? De viciſſitudinibus incrementi calculorum, ſtratiſque ſibi incumbentibus, ex quibus iidem conſtant. De inſufficientia remediorum internorum, hactenus aduerſus morbum hunc in vſum ductorum, et inprimis ſaponis, quem prorſus reiicit Noſter, et
p. 39. ipſo adeo celebri exemplo Ill. WALPOLE *) adducto monſtrat, eodem remedio mortem huius viri, properata reſolutione putrida omnium humorum, acceleratam fuiſſe. Id autem, quod ipſe commen-
p. 45. dat, ſpecificum non prorſus a ſe ipſo inuentum eſſe monet; ſed occaſionem ſibi enatam eſſe ab obſeruationibus aliorum, quibus conſtiterit, aërem fixum praebere vinculum, quo partes calculi compingan-

*) v. comm. noſtr. Vol. III. p. 10. 12. Vol. IX. p. 681.

pingantur inter ſe, idque eo magis, quo arctius et copioſius eidem ſal acidus adiunctus fuerit: hoc ergo vinculum a nullo corpore efficacius ſolui, quam ab alcali fixo, quod autem Noſter in vehiculo mucilaginoſo ita temperauit, vt ventriculo nullam vim inferat, et tamen vires ſuas in viis vrinariis exſerat: adeo vt ne tenerrimi quidem infantes *) eodem laedantur. Sanctiſſime obteſtatur, hoc remedio ſe aegrum quendam ſanitati citius reſtituiſſe, quam ſi idem operationem chirurgicam tempore anni minus apto ſuſtinuiſſet. p. 49.

Exempla calculorum vrina hoc liquore ſaturata extra corpus ſolutorum: vnus granorum 22 intra 12 dies 7 granis leuior factus eſt, quum alius granorum 11 intra 14 dies vrinae ſanae expoſitus ponderis granorum 14 augmentum cepiſſet: prior, ſuperfuſa eiuſdem, vt antea indolis vrina, per 5 dies calori 46 graduum therm. Fahrenheit. expoſitus in meram mucilaginem verſus eſt. p. 51

Iam de carunculis vrethrae eiuſdemque anguſtia exponit Noſter, quae vitia facile confundi poſſunt cum affectibus calculoſis, remedia autem omnino diuerſa requirunt. Si carunculae adſunt, cereis opus eſt nonnihil eſcharoticis et ſollicite parandis: ſtrictura vero vrethrae eoſdem nonniſi ſimplices poſtulat. p. 53.

Porro iterum quaedam de nouo ſpecifico lithontriptico, quae fere eadem repetita tantum ſiſtunt, quae antea iam dicta fuerant. Aquam calcis viuae innocentiſſimum remediorum huc vſque vſitatorum pronunciat, et niſi aluum conſtipet, loco potus ordinarii aquae communi praefert. De curatione calculi in infantibus, quibus morbum hunc communiſſimum eſſe aſſerit: ipſe vidit infantem ſeptimeſtrem miſere perire, in cuius veſica vrinaria calculum nucis auellanae magnitudine, poro- p. 57. p. 64. p. 65.

 ſum,

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 425. ib. 696.

ſum, friabilem, ſuperficie aſperrima, deprehendit.
p. 68. In infantibus diaetam lacteam et mel, niſi inde aluus nimis laxetur, maxime commendat, cuius vſum etiam adultis proficuum cenſet. Specificum a ſe inuentum vix vnquam primis viis vim inferre tradit: ſi vero aluus iuſto laxior inde redditur, pauxillum nucis moſchatae toſtae, vel vini auſteri aut ſpiritus vini; ſin adſtrictior, magneſia cum rheo ſumatur.
p. 70. Exemplum praefecti militaris, qui globulo plumbeo in veſica vulneratus eſt, poſtmodum nucleum calculo praebente, a quo operatione liberabatur.
p. 72. Tabula, in qua efficacia ſpecifici iſtius in ſoluendo calculo cum diuerſis potulentorum generibus comparatur.
p. 75. Denique exempla curationis in nonnullis aegris, hic nominatis, et ad partem propriis eorum teſtimoniis adductis, praeſtitae: quorum alia adhuc in praecedenti editione ſe adduxiſſe Auctor addit, et permulta alia ſequenti editioni reſeruat,
p. 87. ad obiectiones ſibi faciendas reſpondet, ac denique, vbi vrgentior fuerit caſus, quam vt medicamento interno locus relinquatur, ſe inſtrumentum inueniſſe ait, quo idem facillime in veſicam immitti poſſit.

XIX.

Obſervations ſur la phyſique, ſur l' hiſtoire naturelle & ſur les arts, avec des planches en taille-douce. Par Mr. l' Abbé ROZIER. A Paris chez Ruault. Vol. I-XVIII. 1771. 1772.

i. e.

Obſeruationes, quae ad phyſicam hiſtoriamque naturalem et artes ſpectant collectae a Cl. ROZIER. Vol. I-XVIII. *).

Opus

*) Prodiit etiam nuper notabiliorum tractatuum ex hoc libro verſio Germanica, hac inſcriptione: *Sammlung brauchbarer Abhandlungen aus des Herrn Abt* ROZIER *Beobachtungen über die Natur und Kunſt. Erſter Band. Mit Kupfern. Leipzig* 1775. 8.

Opus hoc non modo Gallis ad ea cognoſcenda, quae noſtris temporibus ab eruditis phyſicis omninoque naturae et artium ſtudioſis excogitata et ſcripta proferuntur, aptiſſimum; verum etiam aliis nationibus haud dubie vtile recte exiſtimamus; praeſertim quod omnes, qui eruendae abſconditae naturae operam dant, ab Ill. ROZIERO humaniſſime inuitantur, vt ſecum labores, qui continuo huic ipſi libro inſerantur, communicent. Apparuit enim ſingulis menſibus inde a Iulio anni milleſimi ſeptingenteſimi ſeptuageſimi primi, volumen vnum, plagulis circiter duodecim conſtans et ad illuſtrandas res, de quibus diſſeritur, tabulis aeneis ornatum. Sed quemadmodum hoc opus ad ingentem iam amplitudinem creuit: ſic facile intelligitur, fieri non poſſe, vt ſemper hic nouas res, aut non niſi genuina ſcripta reperias. Atque, cum multa ex aliis ſcriptis, praeſertim vero commentariis academiae regiae Pariſienſis, actisque Diuionenſibus et Taurinenſibus huc translata ſint, tum etiam librorum inſigniorum nuperrime publici iuris redditorum epitome reperiatur, nec non ſpecimina academica, aliaque Anglorum non ſolum, ſed etiam Germanorum, Suecorumque ſcripta hic Gallicis litteris explicentur: ſufficere arbitramur, ſi nos tantum de iis ſcriptis, quae a Gallis ipſis perfecta hic nobis occurrunt, pauca verba faciamus, eaque breuiter, vt ſolemus, indicemus. Primum autem quod prodiit, huius operis volumen, ſcripta genuina et ad nos pertinentia continet haec:

Menſe Iulii. Annus 1771. p. 157.

Papilionum alas chartis affigendi earumque pulchritudinem conſeruandi ratio. Nihil certe noui aut quod ab aliquo Papilionum colligendarum amico ignoretur, hic reperies.

p. 181. *De inſectis noxam praecipue vineis inferentibus diſſertationis pars prima;* cum qua alteram connectimus, quae libello pro menſe Auguſti p. 248. inſerta reperitur. Annumerantur autem iis: *Scarabaeus Melolontha et Curculio Bacchus* LINN. tum etiam *Cryptocephalus niger* elytris rubris GEOFFR. et *Chryſomela viridis, et nitidula* LINN. quae omnia adiectis iconibus pulchris illuſtrantur.

p. 211. *Tartari cryſtallos parandi purificandique ratio, quae apud Venetos in vſu eſt.* Vaſis, aliisque inſtrumentis huc pertinentibus, iconibus illuſtratis, ad ipſam rem explicandam Ill. ROZIERVS, qui hanc doctrinam a Cl. DESMAREST accepit, progreditur. Ea autem huiusmodi eſt: Tartarus crudus omninoque vini feces primo in vaſis ferreis moderato igne ab omni humiditate liberentur, ſcopisque agitando in puluerem redigantur. Deinde tartarus hoc modo exaltatus, vaſisque ligneis ſiue doliis exceptus et iuſta aquae ebullientis copia ſolutus, lixiuium ſuppeditat, quod decantatum tartari ſordes indiſſolubiles velut ſentinas in fundo vaſorum relinquit, bonasque quidem, ſed immundas adhuc cryſtallos largitur. Ad has porro mundas reddendas neceſſe eſt, vt denuo in aqua pura in ahenis aeneis ſoluantur, idque leni ſubminiſtrato igne et lixiuium ipſum palis ſaepe agitando fiat. Atque cum primum lixiuii color in ſubrubrum aut flauum conuertitur, ignis vis ita per horam dimidiam intendi debet, vt ipſum lixiuium fortiter ebulliat. Denique huic lixiuio ebullienti albumen ouorum cum aqua frigida ab initio; deinde vero etiam cum ſufficiente ipſius lixiuii ebullientis copia bene tritum affundi, cineresque adſpergi oportet. His enim materiis adiectis efferueſcentia et ſpuma caute demenda oriuntur; atque hoc quindecies repetito,

tito, lixiuioque refrigerato puriſſimae mundaeque cryſtalli obtinentur. Ceterum quoniam haec, quae poſt hanc cryſtalliſationem, ſupermanet aqua, aliquam ſalis copiam adhuc continet, eam Veneti ad nouos labores adhibendam aſſeruant.

Menſe Auguſti.

Meteori alicuius ignei deſcriptio. Auctore DVBOISIO Iur. Doct. Hoc meteoron die ſeptimo et decimo Iulii anni milleſimi ſeptingenteſimi ſeptuageſimi primi Pariſiis apparuit, idque ipſam lunam magnitudine apparente non ſolum, ſed etiam ſplendore multum exceſſit, atque graui multiſonoque fragore euanuit. p. 82.

Menſe Septembris.

Super iſta ratione, qua carnes per longum tempus recentes et bonae conſeruantur, obſeruationes. Carnes in vaſis murrhinis aut fictilibus vna cum oleo olivarum reconditas, per longum temporis ſpatium recentes et integras ſeruatas, perſaepe huius diſſertationis auctor anonymus, ſe vidiſſe, ait, quod, ſi nauigatores ſibi victum talem pararent, magnum iis in auertendo malo ſcorbutico commodum afferre poſſet. p. 75.

De inſectis vineis infeſtis detrudendis. Optimum et vnicum remedium eſſe hoc, vt vinitor vel pater familias omnes ſuos ſubditos iubeat tempore matutino aut etiam meridiano iſta inſecta diligenter legere, eaque extra vineas comburere. p. 130.

Menſe Octobris.

Plantas chartis commode imprimendi ratio. Haec methodus e manuſcriptis PIGERONII ducta eſt, p. 146.

 eſtque

eſtque ea, quam *Trampius* olim apud nos adhibuit. Res autem tota in eo poſita eſt, vt chartae tenerae folium oleo lini ſaturetur, fumoque totum nigrum reddatur. Huic folio deinde imponenda eſt planta, eaque charta alba tegenda. Sic vt ipſa planta inter vtrumque chartae folium commode coerceri, menſaeque aut alio corpori laeui et duro impoſita, dente lupi aut claue bene expolita fricari poſſit. Nam tota planta ſic colorem nigrum induit. Atque ipſa continuo chartae albae eodem modo, vt antea, impreſſa, ipſius ſpeciem pulcherrimam nobis ſuppeditat

p. 206. *De acinorum vuarum paſſarum vſu oeconomico tractatus.* Bonum nimirum aliquod oleum, quod oleo nucis iuglandis ſuauitate odoris ſaporiſque non cedat, ex iis obtineri poſſe contenditur. Atque Italos vere his acinis ad hoc oleum parandum iam vti affirmatur, eiusque in Gallia quoque praeparatio atque vſus optatur.

Menſe Nouembris.

p. 114. *Vina adulterina cognoſcendi, fraudemque detegendi ratio.* Ea videlicet ratione, quae a chemicorum peritorum nullo ignoratur.

p. 204. *Plantae alicuius nouae deſcriptio et icon.* Ex America Septentrionali Lutetiam Pariſiorum translata, creſcit iam ibi in horto regio, appellaturque: Verbena americana, tubo floris longiſſimo. LEMONIERVS ei nomen *Obletiae verbenulaceae* in honorem OBLETII impoſuit.

p. 212. *Cementum turnacenſe parandi ratio,* Auctore Cl. CARREY. Id, cum e calce et cineribus anthracum

cum conſtet, ita durum et tenax poſt aliquot annos in ipſa aqua redditur, vt ipſis lapidibus durius euadat.

Menſe Decembris.

De natura roris diſſertatio, Auctore IOANNE ECCIO. Roris naturam non multum quidem a natura aquae pluuiatilis differre: eum tamen facilius hac in putredinem abire corrumpique, Auctor teſtatur. Atque deſtillatione ſe obtinuiſſe aquam fatuam, cui a nonnullis peculiares tribuerentur et diuerſae virtutes; ſed has non in ipſius roris, quam potius in plantarum, a quibus ipſe ros collectus quaſdam partes ſoluerit imbiberitque, natura eſſe quaerendas. p. 25.

Lithanthraces mitigandi ratio. Auctore Cl. GABRIELE IARS. Lithanthraces in aceruum accumulati carbonibus ligneis vndiquaque inueſtiantur: atque vbi hi comburuntur, vapores lithanthracum acres ſanitatique hominum infeſti ſimul diſſipantur. Modus autem adhibendus eſt, ne ob nimiam carbonum circa lithanthraces combuſtorum copiam, lithanthraces ipſi vna deſtruantur, nec niſi cineres relinquant. Id homines in fodinis St. *Bellini* faciunt, atque lithanthracibus ſic mitigatis ad calefacienda domicilia commode in iſta regione vtuntur. p. 176.

Lithanthraces in aptam formam, quae calefaciendis fornacibus inſeruiat, redigendi ratio. Auctore Cl. CARREY. Contuſi nimirum lithanthraces et cribro decuſſi purificatique, atque cum aqua in paſtam ſubacti continuo in lateres formantur, exſiccanturque. p. 192.

Annus 1772. *Menſe Ianuarii, anni 1772.*

Experimenta cum adamante aliisque lapidibus pretioſis inſtituta. Nos hic, quae in variis volumi-
p. 131. nibus diſperſa ſunt, combinemus. Cll. RVELLIVS et D'ARCET iis ſe reperiiſſe aiunt, adamantem vi ignis totum diſſolui, eumque per aërem apertum ſic, vt glacies fere in aëre ſicco et frigido, diſpergi
Mai. atque diſparere. MACQVERVS autem, CADE-
p. 93. TVS et LAVOISERVS experimentis edocti, adamantem tum quidem, cum in apertis vaſis aëri libero expoſitus eſt, vi ignis diſſipari aut deſtrui; id tamen neutiquam in vaſis clauſis fieri teſtantur. Cl.
p. 105. MITOVARDVS item ſe vidiſſe confirmat, adamantem, puluere carbonum diligenter inuolutum, intenſiſſimo igne nihil de ſuo pondere aut forma perdidiſſe: vbi vero adamas in fornace fuſoria aëri libero expoſitus eſſet, tum id vtique accidiſſe. Rubinum autem ſolum nihil, ignis vi vel vehementiſſima, paſſum eſſe.

Iunius Poſtea idem Cl. MITOVARDVS expertus eſt,
p. 122. adamantem vitro puluerisato inuolutum facilius, quam aliis materiis veſtitum, diſſipari.

Sept. CADETVS deinde refert, adamantem quoque
p. 65. in vaſis clauſis deſtrui, niſi ſimul aliis materiis in-
p. 89. voluatur: idemque experimenta Anonymi confirmare dicuntur.

p. 224. His experimentis ſubiungamus epiſtolam, in qua de veritate atque valore omnium ante dictorum experimentorum dubitatur. Nam neceſſario requiri, vt primum ratio ipſius caloris adhibiti, vel eius maioris aut minoris gradus, cognita ſit: neminem autem eorum, qui haec experimenta fecerunt, de metienda eadem cogitaſſe. Deinde etiam fornacum, aliarumque adhibitarum rerum deſcriptionem accuratam praemittendam fuiſſe: quod

tamen

tamen factum non ſit. Denique nouam caloris intenſi vim, quae ebullientis mercurii thermometro contenti gradum excedit metiendi rationem proponit. Eaque huiusmodi eſt, vt corpora duritie diverſa, vel vt perſpicue loquamur, corpora, quorum alia intenſiore, alia leniore igne liquefiunt, in talibus diſquiſitionibus chemicis, igni ſimul exponantur, atque ex his liquefactis, ipſius caloris vis diiudicetur. Lixiuio v. c. aliquo bene ſaturato ebulliente primus; liquefcente plumbo biſmutho alligato alter; biſmutho ſolo tertius; ſtanno quartus gradus terminari, et ſic porro vſque ad vigeſimum, qui pro infinito habendus eſt, progredi commode poſſe arbitratur.

His coniunctim excerptis, ad reliquas obſeruationes redeamus: Ianuar. p. 171.

Curculionis granarii LINN. hiſtoria. Pars prima et altera. Miranda ſane eſt huius inſecti, ſuam prolem multiplicandi vis et natura. Nam progenies, quae per aeſtatem ex vna ſpecie gignitur, ad numerum millenarium bis ter ſumtum accedit. Sed aëre humido vaporibusque fumoſis infecto facillime detruduntur. Febr. p. 249.

Menſe Februarii.

Obſeruationes nouae a viris Cll. COULTAUD *et* MERCIER *circa attractionem Newtonianam inſtitutae.* Pendulum nempe in faſtigio montis alicuius alpini celerius, quam in proxima valle oſcillaſſe, corporaque alia in excelſioribus locis maiore cum velocitate, quam in locis depreſſioribus, cecidiſſe, atque ſic grauitatis legis, Newtonianis contrarias aut repugnantes his obſeruationibus repertas eſſe hi duumuiri opinantur. p. 7.

Menſe

Menſe Martii.

p. 212. *Auium, quae hactenus ab ornithologorum nullo deſcriptae ſunt, hiſtoria, adiectis iconibus illuſtrata.* Altera auis Americana in terris meridionalibus habitans dicitur *Ralli* congener capite nigro, faſcia ſupra oculos albicante; collo albicante, ſtriis anguſtis, et maculis fuſcis nigrisque notato; dorſo nigro, tranſuerſim fuſco ſignato; vropygio albicante nigro tranſuerſim et vndulatim ſtriato; cauda et alis concoloribus, fuſco, nigro, et albo variegatis; abdomine ſqualide albicante; lateribus abdominis nigro tranſuerſim vndulatis; roſtro recto, amplo, mandibula ſuperiore nigra, inferiore cornea; pedibus longioribus ſubcarneis, ad dimidiam eorum partem plumis deſtitutis. Altera: *Coturnix* fronte ſordide albicante; gutture fuſco; dorſo alisque et cauda ſubfuſcis; abdominis parte media ſubfuſca; lateribus nigris; vtraque parte abdominis maculis amplis, rotundis, albicantibus, eleganter conſperſa; roſtro nigro; pedibus plumbeis. Haec ex Guiana Galliam miſſa eſt. Vtraque auis iam in DAVBENTONI opere picta reperitur.

Menſe Aprilis.

p. 185. *Terrae vegetatiuae, Buloiſſenſis analyſis chemica.* Auctore Cl. RIGAVT. Humi partibus viginti tribus et ſalis communis vna tantum parte cum conſtet haec terra, magnam et mirandam, vt Auctor ait, fertilitatem agris affert.

p. 210. *Inſectorum quorundam hiſtoria et icones.* 1) *Leptura* Americana, tota nigra; pedibus poſticis longiſſimis, annulo pilorum cinctis. 2) *Cerambyx* Americanus ſubflaueſcens, nigro conſperſus; antennarum

rum articulis quatuor primis inferioribus piloſis. 3) *Cerambyx* Americanus nigricans; antennis longiſſimis, ſpinis tribus introrſum ornatis. 4) *Cerambyx* Americanus, capite et thorace nigricantibus; elytris ferrugineis; antennis introrſum ſpinoſis.

Accipitris Americani deſcriptio. Accipiter totus cinereus, cauda ſubnigricante, duplici faſcia alba, pedibus rubris. Videtur eſſe *Lanii cinerii* BRISSONII varietas. Ceterum ipſe adiecta icone illuſtratur. p. 217.

De cultura rubiae tinctorum diſſertatio. Dignam hanc, quae ab agricolis ipſa diligenter legatur, diſſertationem Ill. comiti DE CLAVSONETTE debemus. Nam ei aliquis Perſa, qui nunc in Gallia degit, hanc rubiam tinctorum colendi opportuniſſimam rationem communicauit. Atque eius artificium in eo videtur ponendum, vt ipſum ſemen rubiae Smirnenſe in ſucco ipſius plantae et radicis rubiae, cum aliqua parte aquae vitae commiſto emollitum, adhiberi debeat. p. 240.

Menſe Iunii.

De puella, quae perditis pedibus manibuſque currere celeriter ſaltareque potuit, obſeruatio. Nupſit haec puella viro et breui mater ſani pueri facta eſt. p. 119.

Muſcarum quarundam vegetantium hiſtoria. Cicadae nominatim Americanae, alis ſuperioribus maculatis. Deinde C. Americanae albidae, alis ſuperioribus nigro punctatis. Tum duarum *Blattarum*. Denique inſecti, quod *Ichneumon* appellatur, in quibus omnibus putrefactis plantae naſcuntur ſingulares. p. 199.

Menſe

Menſe Iulii.

p. 63. *Opinionis* Ill. *Abbatis* BACHELEY, *qui lapidem cum fulmine de coelo lapſum credebat, refutatio.* Auctoribus Cll. CADETO et LAVOISIERO. Certis ſcilicet argumentis haec opinio refutatur.

p. 77. *De iis, qui aquam ſub terra fluere ſe videre dicunt, epiſtola.* Multum de hac re Auctor philoſophatur, neque hoc ridiculoſum, vt putandum eſſet, reddit. Vaporibus enim exhalantibus homines tales aquae ſub terra fluentis curſum cognoſcere putat.

p. 261. *Obſeruatio cuiuſdam perrari effectus, a fulminis ictu profecti,* Auctore Cl. LAVOISIERO. Hic certe nihil, quod nouitatem prodat, reperitur.

Menſe Auguſti.

p. 107. *Experimentorum, cum diuerſis vini generibus, quae pro adulterinis habebantur, commemoratio.* Auctore Cl. BAUMÉ. Neque hic aliquid noui reperies, niſi fortaſſe hoc, quod non ſolum vinis ipſis, ſed etiam eorum fecibus, et extractis diligentiſſime exploratis, omnia innocentia et bona fuerunt.

Menſe Septembris.

p. 89. *De remediis, quibus monachi in Delphinatu Chartheuſii vulgo dicti, impediunt, quo minus ab iſto monte, quem ipſi incolunt, fertilis terrae cruſta tempeſtate pluuioſa delauetur.* Nemoribus nimirum, foſſisque et vallibus diligenter exſtructis. Sed digna, quae ipſa legatur diſſertatio.

p. 95. *De arundine Bambos* LINN. *obſeruatio.* Auctore Cl. DVBVISSONIO. Singulos nempe nodos huius

huius arundinis peculiari gluma tenſa, quae multis aculeis ad auertenta inſecta munita ſit velut membrana circumcinctos munitosque eſſe; atque hanc plantam tam celeriter per annos quatuor creſcere, vt quinquaginta pedibus fere excelſior, eius ambitus autem quinque pollicum maior fiat: neque hanc arundinem antea, quam totam iuſtamque ſuam altitudinem acquiſiuerit, ramosque ſuos omnes formauerit, folia emittere, quae, nonniſi admodum parua, circa ipſius plantae nodos appareant; ſemen eius ex Africa in Americam vento per aërem eſſe vectum, Auctori veriſimile videtur.

Obſeruationes de quibuſdam piſcibus electricis. p. 176. Id eſt de *Raia torpedine* et *Gymnoto electrico.* Sed torpedines inter ſe differre, earumque formas quatuor inprimis a RONDELETIO et IONSTONO numerari auctor ait. Ceterum non modo hae quatuor formae *Torpedinis*, verum etiam *Gymnotus electricus* iconibus quidem, ſed infoecundis et ieiunis illuſtrantur.

Menſe Octobris.

Omnium thermometrorum ſcalas in vnam tabulam redigendi easque inter ſe comparandi ratio. p. 147. Si quis hanc comparationem ignoret eamque tamen ſcire velit, is ipſam hanc diſſertationem legat neceſſe eſt. Nam non modo omnia fere thermometra hic ad thermometrum Reaumurianum, velut principatum tenens, redacta reperiuntur; ſed commemorantur etiam multae, quas certe hic nemo quaeret, cum hoc inſtrumento factae obſeruationes. Sed omnino nihil noui inuenies.

p. 198. *Circa congelationem aquae, obſeruationes quaedam. Auctore* Cl. LAVOISIERO. Mercurium in thermometro, glaciei liqueſcenti immerſum, non prius, quam omnis glaciei copia ſoluta eſſet, ſupra limitem, qui glacialis appelletur, aſcendiſſe, Cl. Auctor vidit.

p. 201. *Obſeruationum ſuper noua aliqua actiniae ſpecie pars prima. Auctore* Ill. *Abbate* DICQVEMARO. Altera enim ſectio menſis Decembris p. 151. tertia anni ſequentis p. 473. quarta Maii anni milleſimi ſeptingenteſimi ſeptuageſimi quarti p. 327. et quinta denique Aprilis huius anni p. 350. voluminibus continetur. Nos ſummam omnium hic tradamus. Hi vermes marini, qui in oris maritimis Galliae meridionalibus, inprimis autem prope *Portum gratiae* habitant, in duo genera, quorum vtrumque rurſus in duas ſpecies ſecedit, diſtribuuntur. Alterum colore rubro notatum, lapidibus maioribus aut conchis plerumque adhaeret atque in aqua marina mera tantum viuit, nec niſi magnitudine inter ſe differt. Alterum vero genus, quod non modo magnitudine priori multo inferius atque exile admodum tenerumque eſt, ſed etiam tantum ſabulum in maris fundo incolit, coloreque ſubuiridi diſtinguitur, in eo diſcrepat, quod alii tentacula alba, alii autem flaua data ſunt. Eorum dimidium corpus vna cum tentaculis omnibusque aliis partibus ſuperioribus, reſecta, in integrum a natura reſtituebantur, ita, vt tale animal, elapſo circiter vno menſe, denuo conchis cancriſque veſceretur. Tentacula autem ipſa per aliquot dies poſteaquam a corpore diuulſa eſſent, adhuc ſigna manifeſta irritationis dediſſe, Auctor teſtatur. Atque haec animalia neque in aqua marina, quae hyemali tempore aëri libero ad congelationem

lationem per totam noctem expoſita eſſet, nec quando haec aqua ſubito calefieret, neque in vacuo Guericciano periiſſe. Id autem continuo eueniſſe tum, cum iis aquam fontanam vel omnino dulcem affunderet. Minora haec animalia a maioribus devorari, atque quaedam eorum ſuam prolem per os edere ſe vidiſſe Auctor porro ait, tempeſtatumque varietates pronuntiaſſe. Iconibus praeterea non tam veris, quam elegantibus adiectis illuſtrantur.

Menſe Nouembris.

De aceti vini, prae reliquis acidis, ſalubritate p. 176. *Auctore* Cl. BENEVENVTTI. Acetum vini difficilius tardiusque in glaciem ipſo vino cogi ſe vidiſſe Auctor hic affirmat, maioremque caloris gradum quam hoc, ceteris omnibus paribus, accepiſſe. Interea, quae praeterea de eius virtute ſanandi dicuntur Cl. Auctor aceto frequenter quidem, ſed in exigua copia porrecto, ſe crura brachiaque gangraena deprauata, alias certe demortua, ſaepe conſeruaſſe fatetur; atque anguillulas in aceto a phyſicis microſcopio repertas, fictas, easque inter viſa ſomniorum referendas putat.

Lanii Carolinenſis icon eiusque explicatio. Capite, collo, pectore, dorſo, alis, caudaque nigris, ventre in medio albo, ad latera rufo. p. 181.

Obſeruationum tempeſtatis rationem decernentium enarratio. Auctore Cl. MACAGE. Hae obſeruationes in meridionali Americae parte Guiana factae ſunt. Atque iis repertum eſt, primum a menſe Decembris vſque ad menſem Aprilis ventum Supernatem diu, noctu autem Auſtrum flare. Verum a menſe Maii vſque ad menſem Nouembris Auſtro p. 185.

 noctu,

noctu, diuque Fauonio ſe agitari. Deinde per primam anni dimidiam partem plus, quam per vltimam ibidem pluere. Tum ſolem ſuam vim arentem maxime a menſe Auguſti ad menſem Nouembris exercere. Atque denique intenſiſſimum frigus menſe Februarii terram contrahere.

p. 189. *De monſtro aliquo canino epiſtola.* Hunc canem vtriusque ſexus partibus genitalibus quidem, ſed difformibus abundaſſe, atque quamquam pedibus quinque praeditus fuiſſet, tamen tribus tantum claudicando inceſſiſſe. Videtur natura canem geminum facere voluiſſe ſic, vt duo pedes breuiores atque genitales maſculinae alteri cani, nequaquam ſatis euoluto, tribui poſſent. Hac epiſtola aliarum etiam obſeruationum mentio fit. Prima enim eſt de peculiari vmbilici alicuius pueri forma. Fruſtuli carnis oblongi eum fuiſſe ſimilem atque proxime ſupra penem, in quem ipſe incumberet, protuberaſſe, penemque preſſione ſua diuturna velut excauaſſe. Altera autem de ſerpente eſt, quem aliquem hominem aluo deieciſſe Auctor huius obſeruationis anonymus putat. Sed quia opinati ſerpentis longitudo pedes duodecim fere excediſſe, atque eius craſſities craſſitiei minimi digiti tantum aequalis fuiſſe traditur: eum potius pro lumbrico, quam ſerpente habendum eſſe arbitramur.

p. 201. *Veruecis hermaphroditi deſcriptio.* Mentulam huius veruecis non fuiſſe perforatam; clitoridem vero habuiſſe exiguam; atque vterum orificio vel apertura caruiſſe diſſectione repertum eſt.

p. 231. *Cannabem exaltandi emolliendique ratio.* Res omnis in eo ponitur, vt cannabis in faſciculos ligata, lixiuio, ex ſale ſodae calceque parato, feruido

per

per ſex propemodum horas maceretur. Atque hac ratione, cannabem, Perſicae bonitate et tenuitate ſimilem obtineri, Auctor huius diſſertatiunculae teſtatur.

Menſe Decembris.

Experimentorum, vitro cauſtico Tſchirnhauſiano, a clariſſimis CADETO, BRISSONIO et LAVOISIERO *inſtitutorum enarratio.* Aurum a coactis in vnum velut punctum, quod focus appellari ſolet, radiis ſolaribus liquefactum, toties orbem purpureum in baſi, quacunque ex materia ea facta eſſet, relinqui, ſe vidiſſe aiunt, quoties ipſi hoc experimentum inſtituerent. Deinde fumum eosdem tam ex auro liquefacto, quam ex argento exhalantem, qui per ſpatium quinque aut ſex pollicum etiam aſcenderet, percepiſſe, ipſaque haec metalla, ſuper baſi ſua, fuſa ſemper in orbem a radiorum ſolis vi circumacta, vehementiſſimeque earum partes liquefactas et agitatas eſſe. Terram denique ferruginoſam atque omni principio igneo, quod phlogiſton vulgo appellatur, deſtitutam, ferri naturam absque vllo phlogiſto adhibito, a radiis ſolis acquiſiuiſſe. p. 93.

Plantarum cuiuſcumque generis ſiccarum pulchritudinem naturalem conſeruandi ratio. Auctore Cl. MONTIO. Plantas nimirum in aridum ſabulum diligenter immerſas cauteque in eo diſpoſitas, et ita ſiccatas, non modo earum ſpeciei elegantiam, verum etiam colorum venuſtatem naturalem retinere hic affirmatur. p. 132.

Atque huius libri forma, quae duodecima appellatur, ſimul deſinens, anni ſubſequentis initio

 quarta

quarta forma apparere cepit. Nos autem eorum, quae pro ſingulo menſe eiuſdem anni volumen continet, praecipua proxime commemorabimus, rerumque nouarum, quae nobis occurrent, Lectoribus noſtris copiam faciemus.

XX.

P. S. PALLAS *Reiſe durch verſchiedene Provinzen des Ruſſiſchen Reichs. Erſter Theil. St. Petersburg.* 1771. 2 *Alph.* 18½ *Bog. in* 4. *mit* 25 *Kupf.*

i. e.

Iter per diuerſas Ruſſici imperii prouincias, Auctore P. S. PALLAS. Pars prima.

Gratulandum eſt vtique omnibus, qui naturae cognitioni ſtudent, de impenſa benignitate, qua Auguſta Ruſſorum Imperatrix CATHARINA II. litterarum ſtudia tuetur et promouet, ita, vt etiam viros doctiſſimos, ſumtibus ſuppeditatis, inſtigarit, qui in remotiſſimis terris latentes naturae theſauros palam redderent. Ex his eſt etiam Cl. Auctor, qui hoc, quem indicamus, libro obſeruationes in itinere factas ſolita ſua ſollicitudine et doctrina curate et perſpicue proponit. Prima hac parte deſcribitur, iter per Ruſſiam atque ſortalitium Calmuccorum vicinasque terras vſque ad alpes Vralenſes in vrbem *Vfa* inſtitutum. Itaque regiones, circa fluuios Moskua, Mordua, Volgam, Okkam, Sokkum, Rhymnum ſ. Iaikum deſcribit, quibus ad litora maris Caſpii vſque et regione circa *Gurief* perluſtratis, reuerſus eſt, et trans ſortalitium Barskirzenſe Vfam profectus eſt. Vbique notauit mutationes globi terraquei, praeſertim ratione

tione terrarum, et lapidum, quae montes et planitiem conſtituunt; vnde, ſi omnia inter ſe comparantur, ſucceſſio lapidum primaeuorum, quam Cll. Viri FERBERVS *) et DE BORN **) obſeruauerunt, non parum confirmatur: etſi Noſter ad hanc ſucceſſionem, cum interiora telluris non intrauerit, non adeo attendit. Deinde ſollicite plantas in quauis regione naſcentes, et vnicuique proprias notauit, animantiaque in iis ſimul habitantia enumerauit nouaque ex his, vel minus recte deſcripta, breuiter in appendice deſcripſit, plantasque nouas depingi curauit. Animantium vero hiſtoriam pleniorem ſeparatim, itinere finito, editurus eſt. Simul vbique inſperſit obſeruationes de vſu animalium et plantarum oeconomico et medico, incolis illarum regionum ſolito: modumque, quo minerae illic fodiantur, erroresque in eo commiſſos notat, veſtigia quoque de olim cultis fodinis indicat. Incolarum denique naturam, viuendi genus, mores, morbosque atque ritus, leges aliaque ad politiam pertinentia appoſite et vberius enarrat. Omninoque ea, quae a perito et attento peregrinatore exſpectari poſſunt, recte praeſtat. Facile vero ex his apparet, nos propter copiam obſeruationum phyſicarum, quaſdam tantum, quae nobis prae ceteris memoratu dignae viſae ſunt, commemorare ex inſtituti ratione poſſe; Lectoribus, qui omnino perfectam de naturae productis illarum regionum cupiant cognitionem, ipſam libri vtiliſſimi lectionem commendantes.

Circa *Broniza*, non procul a iugo Waldaico, collis eſt, in quo magna ſaxa granitica, diametro vnius aut p. 6.

T 3 trium

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 244.
**) vid. ib. p. 496.

trium filorum, quae 1 ; pedes Anglicos aequant, diſperſa ſunt: quae, cum aquae vi vix moueri potuerint, alio forſan, quam reliqua ſaxa, modo orta Cl.
p. 10. Auctori videntur. Montes *Waldaici* in parte boreali ſaxis ſimilibus graniticis abundant, carent autem petrificatis; in auſtrali autem eorum parte copioſa petrefacta, helmintholithi varii generis, in argilla; nulla vero ſaxa reperiuntur. Ibidem copioſe *Orchis bifolia* naſcitur, quam loco radicis *Salep* adhi-
p. 14. beri poſſe monet. In Fluuio Moskua *Spongia fluviatilis* reperitur, in qua Cl. Auctor nunquam vel minimam irritabilitatem, aut motum animalem animaduertit; eadem autem accenſa, animalem
p. 15. odorem ſpargit. Eodem in flumine laruae *Ephemerae horariae* argillam terebrant, quae foramina cum etiam in *Silice igniario* reperiantur, hunc ex argilla ortum eſſe probare Noſtro videntur, quam originem confirmant in riuo *Sunghir* inuenti eiusmodi lapides, qui in diuerſo gradu duritiei inueniuntur, ita, vt ab argillacea maſſa, vſque ad durum igniarium aſcendant: ad ripas fluuii *Kolp* ſilices igniarii conſtituunt ſtratum ſuper argillam, quae fiſſuris in cubos diuiditur.
p. 17. In Sylua circa *Pokrof*, inuenta eſt *Hippophae.*
p. 22. Notari meretur in fiſſuris lapidis calcarii, qui circa *Fedotiewa* et *Kaſimow* ſolum conſtituit, tripelam rubram lateritii coloris, reperiri, iuxta quam fruſta globuloſa, et alius figurae ſilicis igniarii et iaſpidis
p. 24. ſubrubri coloris, diſperſa ſunt. *Gryllum pedeſtrem* copioſe in coitu inuenit, vt itaque ſine dubio vera ſpecies habendus ſit. Lapis calcareus, ripas *Okkae* fluminis conſtituens, firmus eſt, ſtratis craſſis compoſitus, et petrefactis repletus, ſub eodem argilla in cubica fruſta diſſiliens, in qua pyrites inſperſus
p. 36. eſt. In eiuſdem fluminis arena auri argentique colligunt grana et gemmas pauperiores, quae vero

ex

ex ſepulcretis dirutis caſu huc venire Noſter putat. Non procul abinde incolae ſcrophulis et ſtrumis laborant, qui morbi, cum aquae, quae bibuntur, martiales et margoſas partes contineant, inde forſan oriuntur. Copioſae hic ſunt ferri fodinae et officinae. Iuxta Okkam catena montium extenditur, quorum lapis eſt margaceus, in quo paſſim Alabaſtrum, Gypſum ſtriatum, Amiantus, caro montana, atque Gypſum lamelloſum et cryſtalliſatum reperitur. *Centaureae Sibiricae* folia, ſicca, contuſa vulneri recenti imponuntur, idemque ſanant. Fungis plurimis, etiam nonnullis, quos noxios medici credunt, *Boletis viſcido, bouino,* et aliis incolae hic ſine noxa veſcuntur. Notabilis eſt Boletus fagi, qui cum matureſcit, colorem oſtendit vltramarino ſimilem coeruleum, at euaneſcentem.

p. 38.
p. 42.
p. 43.
p. 44.

Deſcribitur modus *Arſamaſi* ſaponem parandi, coeruleo colore tingendi, aliaeque artes hac in vrbe exercitae. Mons circa Arſamaſum eſt calcareo lapide compoſitus, quem tegit argilla rubra. Petrefacta hic non; in montibus vero vicinis verſus orientem ſatis copioſe reperiuntur. p. 47.

Prope a vico *Barnukowa*, iuxta fluuium *Piana* notabilis eſt mons, cuius nucleus gypſeus eſt, ſuperficies vero calcareo tegitur, in qua petra gypſea reperitur inſignis, duos et viginti pedes Anglicos lata, perfrigida ſpecus, aquae vi haut dubie orta. p. 55.

Regio circa *Wolgam* et vicinos fluuios eſt fertiliſſima. Enumerat plantas, quibus incolae *Saranskae* lanam et alia tingant; inter eas, praeter vulgares tinctorias, reperimus, *Adonidem vernam, Carduum heterophyllum*, et *Bidentem tripartitam*, quibus flauo tingunt colore: *Origanum* vero *vulgare* ad dilute rubrum colorem adhibent: *Arundi-* p. 58. p. 61.

nis Calamagroſtis ſpicis nondum florentibus viridi tingunt. Circa *Inſara* minera ferri paludoſa foditur, bruna, ſaepe ſchiſtoſa, quae ferrum dat fragile.

p. 80. Solum in regione, quae *Wolgam* et *Suram* interiacet, eſt limoſum, argilloſum, et in vallibus humo conſtat, in montibus autem, qui hic ſunt frequentes, eſt arenoſum.

p. 93. Poſt *Sedelkina* regio magis montoſa fit. Saxum montis eſt lapis arenaceus fiſſilis, in quo minerae cupri hinc inde inuentae ſunt. Hi montes nectuntur cum iis, qui ab *Vral* verſus meridiem et occi-

p. 99. dentem extenduntur. Circa fluuium *Sok* prope a vico *Semenowo* iuxta montem eſt fons, in quo cum calida aqua Aſphaltum copioſe reperitur: tota fontis cauitas Aſphalto eſt obducta. Aſphalto ablato, ſubtile petroleum exſudat, ipſaque aqua particulas inflammabiles ſuſcepit, tingitque rubro colore ſolutionem coeruleam. Incolae et aqua, et Aſphalto externe aduerſus vulnera vtuntur, et interne in

p. 104. colica, et morbis venereis vtuntur. Poſtea regio circa *Sokkum* copioſis abundat ſulphureis lacubus: in quorum maiore aqua triginta gradibus calidior eſt atmoſphaera, eiuſque fundus tunica ſuperinducitur, quae ex tenuiſſimis fibris compoſita eſt, vt vegetabilis naturae eſſe Cl. Auctori videatur. Diſquiſiuit Noſter et deſcribit vberius naturam huius aquae ſulphureae. Alcalinis fixis lactea ſpuma oriebatur, et ſedimenti multum praecipitabatur. Solutio ſtanni et plumbi colorem aquae turbabant, multumque ferruginei ſedimenti praecipitabant. Solutio vitrioli coerulea viridi colore tingebatur. Acida et ſolutio mercurii aquam non mutabant.

p. 129. In regione circa *Simbriſk* copioſe *Muris* ſpecies variae, vt *Cricetus*, eiuſque varietas nigra, *Marmota*, *Citillus*, *agrarius* et *minutus* poſteriores nouae ſpecies, habitant. *Caſtor moſchatus* quoque in omnibus

omnibus iuxta *Wolgam* lacubus reperitur. Praeter *Tetraonis* ſpecies ibidem inuenit *Picum tridactylum*, *Falconem minutum*, *Parum indicum* ALDROVANDI et *Sturnum Cinclum*. Plurimis abundat fluuius *Wolga* piſcibus: inter eos eſt noua *Acipenſeris* ſpecies, *ſtellatus* dicta, *Cyprinus cultratus* etc. *Clupea Aloſa* incolae non veſcuntur, perperam opinantes, eſu huius piſcis inſaniam effici. *Muraena anguilla* caret fluuius. Non procul a *Simbrisk* iuxta riuum p. 140.
Birutſch reliquiae ſceletorum Elephantinorum inventae ſunt, vbi oſſa fere integra, neque mutata conſpiciebantur. E regione vrbis *Stawropol* incipit iugum montium calcareorum, quod fluuium *Wolgam* ſequitur. Poſtea continuatio montium, qui ripas fluuii *Sok* attollunt, huc quoque extenditur, et *Wolgae* litus alterum eleuat. Deinde autem circa vicum *Podgory* iugum montium, cum montibus, illic ſitis, in quibus ſulphur copioſe foditur, a fluuio *Wolga* ſecedit et terram continentem verſus occidentem tendit.

In *Samarae* regione planta vernalis maxime vulgaris eſt: *Anemone patens* ac, praeter alias plantas, *Fritillaria pyrenaica*, *Aſtragalus vralenſis*, et *tragacanthoides* verno tempore illic naſcuntur. Ad aues migratorias refert Cl. Auctor cum *Hirundinibus*, *Meropes*, quae vna cum illis ſerius verno tempore conſpicerentur. Regio circa *Samaram* eſt plana, ſenſim tamen in colles eleuatur: ſolum eſt limoſum arenoſumque; ſub humo primo marga, deinde gypſum ſequitur, in quo agates inſperſus iacet. in hortis illic praeter *Cucumem*, *Anguriam* et *Capſicum annuum* nihil colitur: pomonae vero arbores multae ſponte naſcuntur. Praeter multas plantas ibi *Onoſma echioides* copioſe creſcit, cuius radice, fuci inſtar, puellae vtuntur. Plantae tinctoriae hic naſcentes ſunt *Rubia peregrina*, et *Aſperula tincto-*

 ria

ria. Sciurum Glirem illic habitantem, vt et alia animalia hieme dormientia Noſter ſaepe aeſtatis tem-
p. 155. pore in caueis ſopiuit. De *Lepore minuto* *) hoc addit, eum matutino tempore vocem, inſtar Coturnicis, edere et quatuor vel ſex pullos parere. *Caſtor moſchatus* LINN. ex Noſtri obſeruatione ad *Soricis* genus eſt referendus, veſcitur vermibus, hirudinibus etc. viſcera ſulphur redolent, materies in glandulis ſub cauda reperiunda moſchum fragrantia antecellit. Praeter Colubrum *Berum* et *Natricem* nouum, quem *Melanidem* dicit, hic inuenit; eſt ſimilis *Bero*, telis venenatis inſtructus, corpore atro, ſubtus polito, ad latera verſusque gulam coeruleſcente nebuloſo; ſcutis abdominalibus 148, paribus ſquamarum abdominalium 27. Multa inſecta noua hic inuenit, quae in appendice deſcribit. Etiam hic oſſa Elephantina reperit.

p. 165. Vlterior tractus Vulgauiae petris calcareis cingitur, quae vel in margam ſolutae, vel cryſtallina nitroſa cruſta ſuperductae ſunt: ſub lapide calcareo, corneus griſeus ſitus eſt: praeterea in calcareo hoc vbique Gagates reperitur, qui omnes fiſſuras occupat, atque etiam in magnis maſſis occurrit: quin etiam *Madreporas* petrefactas Cl. Auctor inuenit, Gagate repletas.

p. 169. Notandum eſt in vrbe *Syſran Anſerem cygnoidem orientalem* cum *Anſere domeſtico* coire, atque inde gigni hybrida animalia, quae quoque ſint fertilia. Ipſa vrbs *Syſran* in monte arenoſo ſita eſt; arenaeque ſtratum infimum maſſa aſphaltica eſt
p. 172. penetratum. Vicus *Kaſchpur* iuxta *Volgam* in colle cretaceo, et perquam nitroſo ſitus eſt, montes vicini ſunt argillacei, petrefactis repleti, ſub argilla ſequi-

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 685.

ſequitur ſtratum lithanthracum. Prope ab vrbe *Vſſolie* in montibus, qui a Falconibus nomen habent, ſcaturigines ſalinae ſunt, quarum aqua natroſum, ſulphureum odorem ſpargit. Mons ipſe calcareo lapide conſtat, verſus faſtigium montis pyrites conſpicitur, atque aquae vitriolum ſapiunt. p. 178.

Pone vicum *Podgory* e regione fluuii *Sok*, incipit iugum montium, in quo magna ſulphuris copia foditur. In vno horum montium, qui ceteros altitudine ſuperat, altitudinemque perpendicularem centum filorum aequat, ſulphur natiuum repertum eſt. Lapis huius montis eſt calcareus, ſub argilla margacea poſitus, in quo gypſum vel molle, vel firmius reperitur, quod ſulphure, vel cinereo, vel virideſcente et impuro, vel cryſtallino penetratum eſt; interdum etiam in *Gypſo, glacie mariae* ſulphur hic inuentum eſt. p. 187.

Ex Atamanta Ceruaria, in arbuſtis huius montis naſcente, gummi aromaticum exſudabat, quod ſapore grato praeditum eſſet; in eadem vero planta illic aperto in campo creſcente non reperiebatur. In alio vicino monte inuentum eſt *Linum campanulatum* et *Polygonum fruteſcens*, cuius varietas eſt *Atraphaxis orientalis*, vtraque vero planta a Polygono ſeparanda eſt: Polygono fruteſcenti ſunt flores hexandri et heptandri, ſemina ouato lanceolata, acutiſſima, calycum foliola aucta tria maxima, roſea, ambitu vireſcenti pallida, duo minuta reflexa, alba. In humidis depreſſisque locis *Rumicem alpinum* inuenit, eiusque radicem loco Rhapontici inſeruire, et *Lychnidem chalcedonicam* ſaponis inſtar, ad lauandum, illic haberi monet. Iuxta ripas *Samarae* eſt amoeniſſima et fertiliſſima regio, in qua *Ceruus Alces* et *Pygargus* habitant: poſterior *Damam* magnitudine ſuperat, colore, *Capreolo* ſimilis eſt, cauda nulla, cornubus trifur- p. 192. p. 194. p. 194.

cis

p. 205. cis inſtruitur. Ad radices *Fragariae*, *Potentillae reptantis* et *Hyperici perforati* Coccus polonicus colligitur. Regio circa fluuium *Kinel* ei ſimilis eſt,
p. 209. quae *Sokkum* et *Samaram* cingit. *Salſola Kali* non adeo ſalſum ſolum amat, ideoque ad praeparationem ſodae maxime eandem conuenire Noſter arbitratur, cum parum ſalis culinaris cineres eius contineant. *Antilopae* cicurantur, atque homines, qui eas nutriunt, amant et vbiuis ſequuntur: ita vero ab *Oeſtro Antilopum* cruciantur, vt ſaepe dorſum vlceribus obſeſſum carnem nauſeoſam reddat. Circa fluuium *Buſuluk* et riuum Soroka ſolum fit ſalſum, vt nullae niſi ſalinae plantae illic naſcantur; quas quidem Noſter enumerat, interque eas nouas, *Salſolam ſedoidem*, et *Plantaginem ſalſam*, quam cum *maritima* LINN. forte eandem eſſe putat, priorem depictam et vtrasque deſcriptas in appendice tradit. Illic quoque *Pratincola* CRAMERI reperitur, quam optime nouum genus conſtituere putat.
p. 219. *Buphthalmum ſalicifolium* circa Samaram creſcens, loco Theae adhibetur.

p. 225. Iugum montium, quod verſus fluuium *Iaik* extenditur ex collibus componitur, quorum ſuperius ſtratum limus eſt ſubruber, glarea et ſilicibus immixtus; interius eſt arenarius lapis, ex quo quidem pleros que montes, in regione huius fluidi poſitos, conſtitui Noſter obſeruauit. Ceterum hoc iugum cum metallifero iugo Vralenſi cohaeret. Scaturigines ſalſae etiam hic occurrunt. *Falcone Chryſaeto* vtuntur Kirgiſenſes ad venandos Lupos, Vulpes, et Antilopas.
p. 236. Salinas Ilezkenſes cingunt plures colles, quorum proximus lapide gypſeo fere componitur; planities eſt arenoſa, ſub qua ſal, varia in profunditate foditur: quod qua ratione fiat Cl. Auctor deſcribit.

ſcribit. Sub ſale argillaceum ſtratum ſequitur. Salutare remedium aduerſus varios morbos Kirgiſenſis gens in balneo ex aqua ſalſa, in lacubus illic ſtagnante, ponit. Non procul ab his ſalinis alii ſunt lacus, qui in litore meridionali aquam dulcem habent, vt etiam piſces illic degant; cum tamen in ripa ſeptentrionali ſolum ſalſum ſit. Eodem in iugo circa Orenburg ſunt fodinae cupri: p. 246. minerae cupreae illic in ſiſſili arenaceo vel in glandulis, vel in venis reperiuntur; huic vero ſchiſto, ſtrata margacei lapidis, et, quod manifeſtum inundatione factae cataſtrophes ſignum eſt, fruſta ligni petrefacti immixta ſunt: lignum hoc petrefactum viridi et coerulea cuprea ochra tectum et penetratum eſt, ipſum vero non in mineram mutatum, praeter corticem, qui totus in viridem cupri ochram tranſiit. Atque haec lignea petrefacta, alibi rariora in omnibus fere Vralenſis iugi fodinis reperiuntur. Idem arenaceus lapis montem conſtituit, a quo caſtellum *Kraſnogorskaia* nomen habet, in quo quarzum granulatim reperitur; ibidem etiam eodem in lapide minerae cupreae reperiuntur.

Iugum *Guberlinskenſe*, quod a riuo *Guberla* nomen habet, componitur ſaxo mixto, ſchiſtoſo, quod p. 256. interdum magis argillaceum et talcoſum, interdum calcareum eſt. Alicubi ſerpentinus, et lapis fibroſus, asbeſto ſimilis reperitur. Coniicit Cl. Auctor hic copioſe mineras cupreas latere. Trans riuum *Guberla* iugum altius fit, et talcoſus laeuis corneus ſchiſtus externam montium ſuperficiem tegit et cum arenaceo lapide montium iam dictorum ſtratis ſuis vnam directionem ſequitur: huic ſchiſto asbeſtus nonnunquam innatus conſpicitur. Poſtea quarzum ſaxo montium immiſcetur; in quibuſdam montibus argillaceus lapis animaduertitur.

Verſus

p. 259. Verſus caſtellum *Orsk* iugum decreſcit, illudque variis in locis conſtituitur Iaſpide, qui denſitate et colore differt: mons, in quo *Orsk* ſitum eſt, totus Iaſpide conſtat, hicque in ſtrata ab occidente orientem verſus inclinata finditur. Poſt fluuium *Or* aliud ex pluribus collibus conflatum iugum iaſpideum reperitur: iaſpis eodem, quo prior dictus, modo finditur, eſtque quarzeis venis penetratus; interdum ei cubi pyritici inſperſi ſunt. In vallibus huius iugi ſunt ſcaturigines ſalſae. Pone hoc iugum prima indicia ferrearum minerarum inueniuntur.

p. 302. Incolae regionis circa fluuium *Iaik* lepra quadam ab aliquo inde tempore afficiuntur, quam a Perſis huc latam eſſe dicunt. In hominibus robuſtis facillime oritur, ſenſimque radices agit: prodit ſe, cum cutis liuida fiat, hinc inde maculae ſimiles non dolentes, in articulis manuum tumores lati, in facie impetigo oritur: nonnunquam ſub morbi initium febrilia ſymptomata adſunt: poſt duo autem annos dolores vehementes articulorum, appetitus proſtratus, defectus virium omnium ſequuntur. Iam maculae in vlcera mutantur, et cruſta foetida teguntur; quae, cum in benigniore morbo ſanitas ſequitur, pruritu accedente cadit. In maligniore autem malo vlcera oſſa erodunt, omnesque partes, etiam nares, fauces, atque aſperam arteriam occupant, quae mala mors ſequitur. In vehementiſſimo tamen morbo vola manuum, axillae, podex, poples, et capitis pars capillata libera a lepra manent. Omnis in venerem inſtinctus in his leproſis perit. *Anabaſi aphylla* morbus ſanari quibuſdam dicitur.

p. 308. Ex vberiore relatione de natura et moribus gentis Calmukkorum quaedam ad nos pertinent. Facie non ſemper informi, verum ſaepe formoſa praediti ſunt: interim obliquo oculorum angulo et obliquis

quis ſuperciliis, latitudine ſuperioris partis naſi parui et impreſſi multum a reliquis diſcrepant. Moribus laudandis reliquas Nomadenſes gentes antecellere Noſter expertus eſt. Lacte, et praeſertim equino, quod parum olei continet, neque ideo butyro conficiendo aptum eſt, veſcuntur, atque ex eo ſpirituoſum potum, inſtar ſpiritus vini parant: edunt etiam radices *Phlomidis tuberoſae*, et *Lathyri tuberoſi*.

In omni circa *Iaik* fluuium ſita auſtrali planitie p. 364.
ſolum ex arena et limo mixtum deprehenditur. Sic a fluuio *Tſchagan* ſolum et plantae multum mutantur: atque hae potiſſimum cum iis conueniunt, quae in Europa et Aſia calidiori naſcuntur; vt itaque Cl. Auctor STRAHLENBERGII ſententiae faueat, qui putat, iugum montium, quod a mari glaciali oriens, ad extremos ramos Vralenſium alpium extenditur, Europam a ſeptentrionali Aſia ſegregare.

Radice Rhapontici, et Rumicis alpini contra p. 381.
varios morbos, praeſertim verno tempore aduerſus ſcorbutum vtuntur incolae: Noſterque putat, rhaponticum Curcumae ſubſtitui poſſe. Relatio vberior de Kirgiſenſibus. Oues eorum ſunt Indicis ſimiles; differunt tamen in eo, quod loco caudae, magnam maſſam pinguem, ſaepe triginta libras ſebi continentem, gerant et, vt Islandicae, cornubus ſaepe quinque inſtruantur.

In regione caſtelli *Inderſchkichgor*, quod prope p. 402.
a ripis fluuii *Iaik* poſitum eſt, montes a caſtello Inderskenſes dicti plerumque ex Gypſo, Marga et Argilla conſtant, verſus fluuium Iaik autem griſeam et luteam cotem oſtendunt: ſunt colles cohaerentes, primo praecipites, altitudine deinde planiores adſcendunt petroſi, atque cum montibus in regione Kalmuccorum ſitis connecti videntur. In ſummis

mis montibus in lapide gypſeo vbique diſperſo, et montes maxima ex parte conſtituente, foſſae et fiſſurae profundae ſunt. Plantae ſalinum et arenoſum ſolum amantes illic naſcuntur, vt *Ephedra monoſtachya*, *Anabaſis aphylla*, *Heſperis tatarica*, *Salſolae*. Ne vnus quidem dulcis aquae fons in hoc montium iugo reperitur. Pone hoc lacus magnus ſalſus poſitus eſt, qui altitudine fluuium Iaik ſuperat. Diameter eius plus, quam duo millaria Germanica, et peripheria circiter duodecim aequat. Ex vicino montium iugo ſalſae ſcaturigines in hunc lacum fluunt. Adeo ſalſa eſt huius lacus aqua, vt, tempeſtate ſicca fauente, cryſtalli in litore formentur. Litus huius lacus conſtituit tum lapis gypſeus, tum argilla diuerſi coloris; vno tantum in loco arenaceus ſchiſtus occurrit; verſus auſtralem partem terra margacea aluminoſa reperitur, in qua paſſim naturales aluminis cryſtalli inſperſae ſunt, quae quoque ſulphuris multum continet. Alio in loco litoris petrefacta in argilla deprehenduntur, quam interdum humus atra bituminoſa tegebat.

p. 415. Deſcribit ſymptomata leproſi cuiuſdam, quae cum ſupra dictis plurimum conueniunt: aeger autem nullis in articulis tumoribus laborabat, neque carebat appetitu, neque parentes, cum eo multum verſati, hoc morbo infeſtabantur.

p. 426. Etiam in oppido *Gurief*, iuxta mare Caſpium ſito, ſunt ſolum paludesque ſalſae; atque ſalſedo haec non tam ex mari, quam potius ex latentibus ſcaturiginibus proficiſci videtur, quod Noſter ex propinquo gypſeo monte coniicit. Hanc coniecturam magis probabilem reddunt vicini lacus ſalſi, quorum vnus in fundo ſal amarum continet. Adeo vero ſalſa eſt tota regio, vt ipſe etiam ros ſalſus ſit.

p. 441. Mons *Itſchka* ad radicem ſolum limoſum ſiccum habet, in cacumine montis autem eſt calcareus, marga-

margaceus, et cretaceus, in quo ſpati ſcintillantis ſaxa diſperſa ſunt. Ceterum plantis viret cacumen, et multae in eo reperiuntur ſcaturigines. Prae reliquis plantis notari meretur noua *Anabaſis cretacea*, quae habitu Erinaceo conuoluto ſimilis eſt, atque veram terram calcaream continet: quam Auctor florentem non vidit, ex fructus ſimilitudine generi ſubdidit, et hic vberius deſcriptam et depictam tradit. E regione poſitus mons Derkul quarzo et ſpato ſcintillante maxime componitur. Regio iuxta riuos *Kargala* eſt minerarum cuprearum arenacearum diues. Lapis montis eſt arenaceus fiſſilis, in quo copioſa petrefacta ligna ſunt; in montibus vero ad iugum Vral dictum pertinentibus talcoſus reperitur; atque priores, vt promontoria, conſiderat Cl. Auctor.

Ex deſcriptis nouis animalibus et plantis quaedam, praeter iam ſupra paſſim nominata et potiſſimum eas plantas indicabimus, quae depictae ſunt. *Aquilam, Falconi Haliaeto* LINN. ſimilem ad Iaikum p. 454. obſeruauit, quam *leucorypham* dicit, artubus longioribus, cera liuido cinerea, corpore fuſco, remigibus interius albis, pedibus pallido albentibus. *Stryges* nouae ſunt *Accipitrina*, *Vralenſis*, et *pulchella*. Prior eſt magnitudine *St. Vlulae*, habitu p. 455. anomalo; capite nempe reliquis minore, inaurito, pepla parua, corpore luteſcente, nigro vndulato, remige extima ſerrata, cauda alis breuiore, rotundata: habitat ad mare Caſpium. Altera *Aluconi* ſimilis, caudae longitudine ab ea diſtinguitur, remigibus tribus ſerrato ciliatis. Poſterior *Paſſerina* minor, capite aurito, corpore cinereo, ſubtus albo, vbique fuſco vndulato, remige extima ſerrata. *Rana ridibunda*, quae voce humanum riſum aemu- p. 458. latur, maxima, latidudine manus, pondere ſemi-

 libri,

libri, forma *Ranae temporariae* reperta verſus mare Caſpium. *Acipenſer ſtellatus*, *Rutheno* gracilior, corpore pentaedro, capite aſperrimo, tuberculis ſtellatis, cauda hexaedra. Ex inſectis multis, quae numero ſunt ſexaginta duo, commemoremus tantum

p. 472. *Sphegem lacerticidam*, quae Veſpae magnitudine, tam audax eſt, vt Lacertas occidat, iisque veſca-

p. 476. tur; et *Phalangium araneoides*, quod *Tarantulam* longitudine ſuperat, omniumque eſt venenatiſſimum inſectum.

p. 478. Plantae deſcriptae ſunt *Salicornia herbacea*. *Salicornia Caſpica*, a BVXBAVMIO ſolo (centur. plant. 1. p. 6. t. 10. fig. 1.) indicata, ſpicis pedunculatis, floſculis imbricatis, in ſingula ſpica trige-

p. 481. nis pluribus, ſtigmate vmbilicato. *Salicornia ſtrobilacea* ſuffruticoſa, ſpicis alternatim oppoſitis, ſeſſilibus floſculis in ſingula ſpica viginti, diandris, ſtylo bifurco, ſtigmatibus reflexis. Vtraque ſpecies circa mare Caſpium et Caſtellum Georgii creſcit. *Salicornia arabica*, facie *Tamaricis*, caulibus erectis ligneis, ramis alternatim ſparſis, ſpicis terminalibus 3 - 4, alternis; floſculis paucis alternis. *Salicornia foliata*, foliis carnoſis, quam Cl. Auctor varietatem *Arabicae* habendam coniicit. In omnibus his ſpeciebus vidit flores eſſe tribus tuberculis praeditos, quorum medium piſtillum, lateralia vero *duas antheras* ſuſtinerent, vt itaque *Salicornia* ad Diandriam pertineret; etſi ſaepe alterum ſtamen, praeſertim

p. 483. in *herbacea*, ſterile, imo eliſum ſit. *Polycnemum monandrum*, caulibus plurimis ſtrictis, foliis linearibus exſuccis, tomentoſis, floribus alternis: et *Polycnemum triandrum*, caulibus baſi ligneſcentibus, ſubflexuoſis, geniculatis, foliis elongatis, ſucculentis. Vtraque ſpecies corolla perſiſtente, triglumi,

p. 484. valuulis inaequalibus inſtruitur. *Polycnemum oppoſitifolium*, corolla biglumi, ſtaminibus quinis, anthe-

antheris ſagittato linearibus praeditum. Moneț ſimul Cl. Auctor *Polycnemum* cum *Coriſpermo* ſummopere affinia genera videri. *Rindera tetraſpis*, quam LINNAEVS *Cynogloſſum laeuigatum* *) dixit; quae tamen omni iure nouum genus conſtituit. *Salſola arbuſcula*, truncis adſcendentibus, ramis patentibus, cortice ſtrigoſo, ſquamis ramorum gemmaſcentibus vel in folia faſciculata, carnoſa, teretia vel in flores ſolitarios binos ſeſſiles. *Salſola proſtrata* LINN. et *Salſola hyſſopifolia*, quam Kali foliis Linariae BVXBAVM (cent. I. t. 16. p. 10.) eſſe certus eſt Auctor, et *Salſola ſedoides* etiam depinguntur: poſtremam forte *Salſolam hirſutam* eſſe et in Flor. Lib. III. Parte p. 118. t. 23. fig. 1. *Camphoratam* minus recte dici, monet Noſter. Praeterea *Salſolae vermiculatae* et *fruteſcentis*, et *Kali* deſcriptiones emendat. *Anabaſis cretacea*, *Glycyrrhiza aſpera*, *Heſperis tatarica*, *Agaricus bulboſus*, et *Mucor decumanus*, quoque depicta ſunt. p. 486.

XXI.

SAMVEL GEORG GMELINS *Reiſe durch Rußland zur Unterſuchung der drey Naturreiche. Erſter Theil. St. Petersburg.* 1771. 182 *Seit. in groß* 4. 40 *Kupfert.* 2*ter Th. ib.* 1774. 128 *Seit.* 38 *Kupfert. Dritter Theil. ib.* 1774. 508 *Seit.* 51 *Kupfert.*

i. e.

Iter per Ruſſiam ad diſquirenda tria naturae regna ſuſceptum a SAMVELE GEORGIO GMELIN. Pars I. II. III.

V 2 Cl.

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 625.

Cl. Auctor, iam fatis ereptus *) in hoc diario itineris ſui deſcribit iter factum per Ruſſiam, atque Perſiam, quae ad mare Caſpium adiacet, ita quidem, vt prima parte iter a Petropoli per Vkraniam ad vrbem Tſcherkask inſtitutum contineatur; altera parte regio Tſcherkaskenſis atque iter vſque in vrbem Aſtrachan deſcribatur, vbi praeſertim incolae, eorumque politia et oeconomia enumerantur; tertia denique parte iter ab Aſtrachan per mare Caſpium, atque loca Perſarum, in continente terra ſita, Derbentum, Baku, Raeſcht, et Aſtrabad exponitur. In huius itineris deſcriptione Cl. Auctor omnia, ad quae peregrinatoris eſt attendere, deſcribit, nouarum tamen plantarum, nullo vſu in oeconomia inſignitarum deſcriptionem reſeruauit ad edendam floram Perſicam, quam nunc a Cl. PALLAS editum iri legimus. Bene et vberius exponit de iis, quae ad generaliorem regionum cognitionem pertinent, ſollicitus etiam fuit in ſingulis animalibus et plantis deſcribendis, vt omnino omnes laudes ſtudium et opera b. GMELINI mereantur. Mineralogi et qui geographiae mineralogicae ſtudent, optabunt, vt magis et curatius, praeſertim in parte tertia huius libri, montium et lapidum, qui eos conſtituunt, diuerſitas indicata ſit. Sed ad ea nos conuertamus, quae ſpeciatim ex ſingula parte decerpere placet.

Tom. I. p. 1. Lapides calcarei in Ruſſia copioſi praeſertim incipiunt circa *Toſninskoy Iam*, atque vtramque ripam fluuii *Tſchudowa* conſtituunt, in ſtratis poſiti; et in fundo huius fluuii minera ferri lacuſtris
p. 2. diſperſa eſt. Salinas circa *Stataruſſa* deſcribit; duo illic ſunt ſalſi lacus, cincti a lapide calcareo, et

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 555.

et origo ſalinae aquae in monte vicino reperitur. Iam montes Waldaicos et, quae illic obſeruauit, deſcribit. Illi ad ſtratoſos montes pertinent, cohaerere dicuntur cum iugo Rewenizkenſi, eorumque quoad longitudinem finis eſt circa vicum *Kreſtezkoy*, et quoad latitudinem non procul poſt fluuium *Mſta*, verſus fluuium *Pola* in planitiem abeunt. In vtroque fine horum montium et iuxta fluuium *Kremetſcha*, et riuum *Krubiza*, in fluuium *Mſta* manantem, ſunt ſtrata lithanthracum, argillaceo lapide cincta et ſuperius ſubcoerulea terra tecta, quam pro ſolutis aëre lithanthracibus Noſter habet. Circa fluuium Pola iterum fontes ſalſi apparent. Superficies montium Waldaicorum humo tecta eſt, quam ſequitur ſtratum lapidum calcareorum, in quo quarzum, gypſum et aluminoſa terra ſaepe immixta eſt, huic ſubiacet argilla, tum argilla calcareae terrae immixta imponitur ſchiſto, atque hic minerarum, quae plerumque ferreae et cupreae ſunt, in ſtratis diſpoſitarum, tegmen quaſi efficit. Plantae hic natae iam cognitae indicantur; nouae ſunt *Hieracium dichotomum*, caule dichotomo, foliis lanceolatis, floribus ſolitariis, in ramis terminalibus, quod *H. murorum* propinquum eſt: *Hieracium flexuoſum*, foliis radicalibus oblongis acuminatis, caulinis ſquamarum forma; *H. ſquamoſum*, foliis radicalibus pinnatis, caulinis ſquamiformibus: *Campanula racemoſa*, caule lanato, foliis lanceolatis, floribus racemoſis.

p. 4.
p. 9.

Circa *Volgam* obſeruauit *Anatem ſubulatam*, roſtro nigro, capite fuſco, dorſo nigricante, remigibus dilute brunis, ſpeculo cupreo, pectore abdomineque albis; multa petrefacta in calcareo lapide. In montibus circa *Iuriewskowa* et *Kudriawzowa* eadem ſtrata lithanthracum, quae ſupra diximus,

p. 12.
p. 14

ximus, inuenta, praeter quod molliora eſſent et
p. 19. pyrite commixta. Prope ab vrbe *Tula* ferri ochra, et minera nigra denſior ſtatim ſub humo fodiuntur, et vel in ſtratis, vel in maſſis reperiuntur. Eiusmodi minerae pluribus circa fluuium *Donum* locis fodiuntur. Noſter modum, quo in iiſdem tractari ſoleant hae minerae, commemorat, et errores commiſſos conſiliis emendare ſtudet.

p. 20. *Dedilowum* tamquam limitem indicat, in quo Flora mutari incipit, cum ab hoc loco plures orien-
p. 22. tales plantae naſcantur. Vicus Nikizkoi notabilis eſt propter inſignem copiam Turfae, quae in lacubus et ſub omni humo reperitur, atque adeo inflammabilis eſt, vt caſu accenſa turfa flagrare continuet. *Muris iaculi, citelli* *), *criceti, marmotae, Sciuri vulgaris, Falconis fului, palumbarii, Niſi* eiuſque varietatis, *Strigis nycteae, Tetraonum, Cyprinorum, Alaudarum* et aliorum animalium praeſertim auium hiſtoriam deſcriptionibus et iconibus
p. 29. illuſtrat, de quibus haec notemus. *Caſtor moſchatus* LINN. Noſtro medius videtur inter *Murem* et *Caſtorem:* in maxilla ſuperiore duos primores quidem, at in inferiore quatuor habet. Zibethum continet in glandulis conglobatis octodecim, in tribus ſeriebus intra cutem et tendines muſculi re-
p. 35. ctoris caudae poſitis. De *Sciuro* commemorat mutationem in colore pilorum eiuſdem, ſub initium hyemis obuenientem. In arena iuxta *Donum* oſſa Elephantina, parum mutata, non petrefacta, inuenta
p. 39. ſunt. De cauſſa diſputans, cur quorundam animalium pili et pennae hiemis tempore albeſcant, hanc in defectu ſufficientis alimenti, indeque impedita tranſpiratione et humiditate hinc nata poſitam eſſe putat: illam enim in iis tantum animalibus

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 4.

libus obſeruari, quibus alimenta hieme deſint, ſuppreſſa tranſpiratione pilos et pennas crebriores naſci, et propter humiditatem alba fieri. *Tetrao* p. 40. *Lagopus* pedibus in terra foueam efficit, in quam oua ponat; et pullos, ſimulac ouum egreſſi ſunt, auolare poſſe notari meretur. *Equum ferum* hic depictum et vberius de eius origine, quae nobis a cicuribus et ſenſim in feros mutatis deriuanda videtur, diſputat, et partes eius differentes indicat. *Coruum*, tectricibus remigum rectricibusque dua- p. 50. bus vtrinque extimis rufis, nouum, a *glandario* diverſum exiſtimat. Ex piſcibus *Cyprinum Lauare-* p. 60. *tum* et *Silurum Glanidem* LINN. vberius et ana- p. 62. tomice quoque deſcribit.

Indicat, quo ordine ſucceſſiue aues migratoriae p. 67. *Woroneſchi* apparuerint, et paſſim deſcriptiones et obſeruationes ornithologorum confirmat vel corrigit: inter aues nouae ſunt *Anas lurida*, tota obſcu- p. 70. re rufa, dorſo nigreſcente, *Anas cogolca*, et *erytrocephala* *). *Larus* tab. XIV. depictus, nobis *paraſiticus* LINN. videtur, praeterea deſcribuntur *Larus Atricilla*, et *canus* ac *Haematopis oſtralegae* varietas. Noſter etiam ſeparandam eſſe putat *Hirundinem Pratincolam* LINN. ab *Hirundine*, eamque ad *Tringam* refert.

Iterum diſquiſiuit oſſa elephantina circa *Ka-* p. 78. *ſtinsk* ſub terra poſita, eaque parum a Dono remoto in loco non inuenit, ſed tantum proxime iuxta ripas eiuſdem. Iam plantarum huius regio- p. 81. nis vernalium tradit enumerationem. Radice *Adonidis vernalis* et *apenninae* loco *Hellebori nigri* in pharmacopoliis vtuntur, atque loco *Althaeae offici-*

V 4 *nalis*,

*) Deſcriptae in nou. comm. Petrop. Tom. XVI. p. 426. ſeq. vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 11.

p. 82. *nalis*, *Lauateram thuringiacam* adhibent. Symptomata recenſet luis bouinae, illic graſſantis, et diſſectione cadauerum animaduertit pulmones eſſe inflammatos, et pure repletos, vt morbus ſit peri-
p. 86. pneumonia epidemica nominandus. Pone *Tulam* per totam *Vcraniam* terra maxime eſt nitro foeta, quod etiam illic colligitur, ſed modo, qui de im-
p. 93. peritia incolarum ſatis luculenter teſtatur. *Coſacci* contra morbum venereum vtuntur mercurio ſublimato, atque tertiam partem loti ruſſici ſpiritu vini ſolutam quotidie mane aſſumunt, et plerumque ſanantur. Etiam a priſco inde iam tempore in Vcrania inoculatio variolarum adhibita fuit.

p. 112. Circa *Libizka* fons martialis ſcaturit et minerae ferri paludoſae fodiuntur et parantur. Ex plantis
p. 116. regionis *Kaſtinskenſis* nouas hic depictas notemus. *Aſtragalum varium*, foliorum pinnatorum foliolis ouatis lanceolatis, floribus racemoſis, calyce lanato: *Aſtragalum hybridum*, foliolis obtuſis, ſubemarginatis, ſubtus tomentoſis, floribus capitatis, quem ex *alopecuroide* et *piloſo* forte natum eſſe exiſtimat. *Echium italicum* LINN. Hic etiam montes cretacei incipiunt, in quibus copioſe ſilices igniarii reperiuntur, extenduntur verſus occidentem.

p. 126. In regione Tſcherkaskenſi praeter cognitas plantas inuenit *Centauream*, *dubiam*, propter affinitatem cum *Calendula* dictam et *Aſtragalum glaucoidem*, vtraſque plantas hic depingit. Morbus in hac regione incolas ſaepe afficit, a verme ortus, quem Noſter *Hirudinem* dicit, nobis vero omnino ad Gordios pertinere, morbusque cum cognita
p. 131. vena medinenſi conuenire videtur. *Sphalax* a Cl. GVLDENSTAEDT in commentariis Academiae Petro-

Petropolitanae *) deſcriptus etiam hic icone et deſcriptione illuſtratur: Ruſſis *Slepez* dicitur.

Montes cretacei circa *Pawlowsk* finiuntur, atque ſolum ab hoc loco vſque ad *Tſcherkaska* incultum eſt, argillaceum, planum. Circa *Kaſanka* invenit Cl. Auctor nouas plantas, vt *Centauream micrantham*, an *paniculata* LINN. et *amplexicaulem*, *Achilleam corymbiferam* (*millefolio* multum ſimilem). *Teucrium arenarium*, *chamaedry* habitu ſimile. *Potentillam bifurcam* foliis ouatis emarginatis. *Scabioſam heterophyllam*, foliis radicalibus petiolatis bipinnatis, caulinis ſeſſilibus pinnatis, et ſimplicibus, corolla quinquefida, *Campanulam faſtigiatam*, et *racemoſam*. *Salſolam laniſloram*, plures notas, e quibus *Centauream*, *phrygiam* et *Achilleam tomentoſam*, *Teucrium Chamaepithym*, *Potentillam ſupinam* et alias pictas tradit. Sequuntur deſcriptiones aquatilium animalium in Dono habitantium; vt *Acipenſeris Sturionis* et *Stellati* Cl. PALLAS **), circa quos notat numerum ſquamarum in vna et eademque ſpecie variantem eſſe. Spongia fluuiatilis neque Cl. Auctori animalis videtur, incolis inſeruit loco remedii coſmetici et anthelminthici. Mures duos nouos, alium *terreſtri* LINN. ſimilem, alium, qui *Talpino* PALL. ***) ſimilis eſt, deſcribit iconesque eorum tradit. Ex auibus, hic degentibus, depictae ſunt *Larus ridibundus*, mas et femina, *Charadrius himantopus*. *Phellandrii aquatici* eſu oues illic necari monet Cl. Auctor.

p. 134. p. 149. p. 139. p. 150. p. 162.

In altera parte pauca ſunt, quae ſpeciatim commemoremus. Generatim regio circa Aſtrachan fertilis eſt, omni

T. II. p. 60.

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 5.
**) in itin. append. p. 460. vid. ſupra p. 302.
***) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 10.

omni genere frumenti abundans. Res pecuaria
p. 150. quoque illic multum colitur. Oues Calmuccorum, quae, vt cognitum eſt, laticaudae ſunt, degenerant ſimul, ac pabulo ex arenoſis et ſalinis regionibus carent. *Strix accipitrina* Cl. PALLAS et hic depicta traditur, ſic quoque *Anates caſarca*, et *torquata*, nouae ſpecies, aliaeque cognitae huius generis, *Ardeae*, interque eas ex familia *Ciconiarum* vna, quae 6 pedum altitudinem ſuperat. Multa, quae ad
p. 249. oeconomiam pertinent, omittimus. Deſcribit etiam Cl. Auctor lacus ſalinos, circa Aſtrachan poſitos.

T. III. In auſtrali parte maris Caſpii plures ſunt col-
p. 5. les arenoſi, qui vento mota arena et alicubi illiſa,
p. 10. illicque aggregata oriuntur. Caſtellum *Derbentum*, de quo proſpectus depictus eſt, intra rupes, ſaxo firmiſſimo (vtinam Auctor adiunxiſſet cuiusnam ſit generis!), petrefactis repleto, compoſitas, ſita eſt.
p. 23. Loco Piſi colitur hic planta, quam Noſter *Nochottam oleraceam* dicit depictamque tradit: pertinet ea ad *Diadelphiam*. Calyx eſt monophyllus, quinquefidus, piloſus, baſi ventricoſus: corollae vexillum apice ſerratum, lateribus reflexis, medio carinatum; alae breues, lanceolatae, inferius bifidae, ſuperius reflexae: carina breuiſſima, extus gibba, intus lateribus alatis. Stamina 10: Germen ouale: Legumen oblongum, ſubuentricoſum. Semen cordatum. Foliorum pinnatorum foliola ouata, tri- et quinqueparia, flores ſtipulacei, ſolitarii. *Nigellae ſatiuae* ſeminibus inſtar ſeminis papauerini Perſae vtuntur.

p. 26. In montibus vicinis etiam noui generis arbor naſcitur, Perſis *Kalaſa* dicta, quae ſalici habitu ſimilis eſt: flores calyce nullo, corolla monopetala, infundibuliformi, quadrifida inſtruuntur. Stamina

mina quatuor; germen oblongum, ſtylus corollae longitudine, ſtigma ſimplex. Fructus eſt Drupa lanuginoſa, ouata, octangula, nucem oblongam continens. Perſae inde aquam neruinam et cardiacam parant. Plures ferae et multa inſecta illic habitant. In ſylua poſt Derbentum copioſe naſcitur *Smilax China*, in montibus poſt Cubam, et in ripis Gilanenſibus et Maſanderanis *Conuoluulus perſicus* naſcitur, quas plantas depictas et deſcriptas ſiſtit Cl. Auctor. Saxum notabilis et admodum alti montis Biſchbarmak, hic depicti, Granites videtur, cui Gypſum et Cryſtalli (forte quarzeae) immixta ſunt. Scaturigines Naphthae prope a caſtello *Baku* celebres, et a KAEMPFERO iam deſcriptas, ex lapide margaceo propullulare, atque primam earum originem ex Cauca∫i montibus deriuandam eſſe coniicit, ipſam vero adire non potuit. Ad ipſum fontem, admoto corpore flagrante, terra flammam concipit et ignis continuo flagrat, flamma ſubcoerulea flaua: nec alio modo, niſi ſuperfuſa terra vel aqua extingui poteſt. Naphtha haec, plurimis e locis ſcaturiens, duplicis generis eſt, alia impura, nigra, quae *petroleum* dicenda eſt, particulis terreſtribus multis immixta, alia purior, alba dicta, eſt pellucida, flaua, celerius flammam capit et ex vno tantum fonte prouenit. Hac naphtha, vt remedio aduerſus morbos articulorum, venereos et ſpaſmodicos incolae vtuntur. Lapis montes circa *Baku* conſtituens a Noſtro dicitur calcareus, tum in montibus, tum in lacubus ſal commune reperitur.

p. 32.

p. 41.

Inter *Baku* et *Schamachie* montes plures poſiti forſan omnes cum iis conueniunt, quos argillaceo lapide compoſitos dicit Auctor, in quo *Tripela* rubro flaueſcens, immixto *Selenite* micans generatur. Argillaceum fiſſilem eſſe, et rubris, albisque maculis

p. 58.

p. 59. culis variare monet. In riuo *Puſahat* ingens nouae *Teſtudinis*, quam *caſpiam* dicit, copia reperiebatur, eſtque ea hic picta et deſcripta. Teſta partim nigra, partim viridis eſt; margine ex 25 ſcutis, diſco ex 5 ſcutis compoſita. Pedes ſunt ſemipinnati, palmae tetra- et plantae pentadactylae. Tantam haec *Teſtudo* magnitudinem acquirit, vt quoſdam homines in teſta ſuſtineat; ceterum vulgari multum ſimilis eſt.

p. 77. In Inſula *Salliam* ſunt copioſi fontes calidi, ſalſam et amaram aquam praebentes: hos cum Petroleo in Caucaſi montibus per ductus ſubterraneos communicare, atque hanc aquam, vti et maris Caſpii amaritiem huic petroleo debere, indeque cubicam et rhomboidalem ſalinarum cryſtallorum figuram pendere putat Cl. Auctor. His lacubus incolae
p. 78. ſaepe balnei loco vtuntur. Ex ſeminibus *Antirrhini maioris* egregium oleum exprimitur, quod oleo oli-
p. 79. varum nihil cedit. *Fulicam Porphyrionem* LINN., quam hic depingit, ab hoc genere ſeparandam exiſtimat Noſter, propter pedes ſimplices, victumque diuerſum. Femina in arundine nidificat, 4 oua
p. 80. Martio ponit, difficile cicuratur. Deſcribit *Lupum - Chacal.* BVFF.*), eiusque dat iconem, at mediocrem.

p. 86. Solum ad littora portus *Enzelli* eſt arenoſum: praeter communes plantas, illic repertae ſunt *Crataegus nobilis*, *Mirabilis Nyctage*, et *Cynanchum acutum.* Praeter Europaeas migratorias aues et plurimos vulgares paſſeres, hic obſeruauit Noſter *Charadrium ſcolopacem*, corpore ſuperius cinereo rubicante, genis albis, faſcia ſub oculis nigra, abdomine niueo, remigibus 30 nigris, cauda rotundata, rectricibus extimis albis, apice nigris, reliquis cinereis:

*) v. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 588.

cinereis: *Scolopacem obſcuram* roſtro purpureo, p. 90.
capite cinereo, collo elongato, ſubtus dorſo et vropygio nigris, abdomine cinereo, remigibus 18, cinereis, rectricibus caſtaneis, cauda breui, apice caſtaneo: *Tetraonem caudacutum*, qui *Alchatae* LINN. p. 93.
perquam eſt ſimilis, nobisque eiuſdem varietas, colore quarundam partium parum differens videtur: *Motacillam littoream*, capite, collo ſuperius, dorſo p. 99.
et vropygio obſcure viridibus, orbita luteo alba, corpore ſubtus ſubluteo albo, remigibus 18, ſubnigris, rectricibus ſubnigris, extimis albis: *Motacillam longiroſtrem*, tota ſuperius cinerea, ſubtus p. 100.
nigra, remigibus ad mediam partem purpureis, rectricibus apice albis: *Motacillam Ochruram*, cauda lutea, *Phoenicuro* LINN. ſimilem. *Parum luteum* corpore ſuperius oliuaceo, remigibus primoribus interiore latere albis, tectricibus cinereis, hunc ſolum ex paſſeribus eſſe migratorium monet. *Parum Caſpicum*, ſubtus toto et vropygio flauo, p. 104.
aliis nigris, cauda corpore plus duplo longiore: *Parum variegatum*, capite ſubrubro vropygio ſubalbo bruno, quia nigra, pennarum apice flauo, ventre albo, pedibus plumatis. Hae aues ſollicite omnes deſcriptae et depictae traduntur. Ibidem etiam habitat *Hyſtrix criſtata*, cuius hic iconem p. 107.
inuenies multum a reliquorum Auctorum et ab ipſo animale, quod vidimus, diuerſam, vt coniectura ſuboriatur, nouam eſſe hanc ſpeciem, capite obtuſo, et breuioribus aculeis ſingularem. *Citrum*, quam *ſpinoſam* dicit Cl. Auctor, et a *Limonio* vere ſpecie differre putat, eiusque fructum, nomine Citronati notum, illic ſponte natum hic icone et deſcriptione illuſtrat.

Ex vberiore et lectu digniſſima de moribus, p. 140.
animo, temperamento, et corporis natura Perſa-

rum

rum, quaedam delibare licet. Sunt humani, et
promiſſis faciles, raro autem iiſdem ſtant, et ſi qua,
non, niſi ambitione et ſuis commodis adacti,
re ipſa praeſtant; praeterea ſuperbia, auaritia, incon-
ſtantia, voluptas, iracundia, atrocitas aliaque vitia
eorum animos gubernant. Temperamento cho-
lerico et ſanguineo, corpore robuſto; facie oblon-
ga praediti, morbis raro, ſi quando, acutis, febrili-
bus, vertigine, oculorum et aurium morbis, hae-
morrhoidibus, et ictero fere endemio, afficiuntur.
Litterarum ſtudia apud eos plane ſunt neglecta.

p. 231. De mari Caſpio: Diuerſae illud eſt altitudinis
et verſus littora fere planum, et vndique montibus
praealtis cinctum, piſcibus varii generis, praeſer-
tim verſus ora fluuiorum abundans, vt *Acipenſeris*,
Salmonis et *Cyprini* plurimis ſpeciebus. *Acipen-
ſeris Ratheni* LINN. tres ſpecies (forte varietates)
eſſe monet, quarum prima *Sterlett*, ſecunda *Koſter*,
tertia *Koſtera* Ruſſis dicitur, quas vberius, vt et
Cyprinum Idum, *Barbum* et *Aſpium*, et *Percam ni-
loticam* deſcribit, et tres poſteriores mediocriter
depictos tradit. Praeter *Phocam vitulinam* et quas-
dam animalium teſtaceorum ſpecies, nulla mamma-
lia marina aut vermes marinos illic animaduertit.
Aues vero pelagicas et aquatiles plures illic habi-
tant, plures *Anatum* ſpecies, atque nouam *Anatem*
p. 249. *Kekuſchkam* hic depictam, dorſo cinereo, pectore
abdomine et criſſo niueis, vropygio et cauda ſubtus
atris, tectricibus alarum igneo colore: Plures *Ardeae*,
e quibus *Ardeam ſantodactylam* deſcribit, pluresque
e Grallarum ordine cognitae hic habitant, nouae in
hiſtoria auium Perſicarum deſcribenda promittun-
p. 257. tur. Aqua huius maris non ſemper, neque vbique,
ſalſa eſt, ſalſedoque eiuſdem Cl. Auctori videtur
a montibus, ſalem continentibus, deriuanda eſſe:
ſaepe littus occidentale aquam dulcem obtulit, prae-
ſertim

ſertim Borea flante: amaritiem aquae huius maris a ſcaturiginibus petrolei pendere ſupra iam indicauimus; nunc addit Cl. Auctor experimenta, quae probent, in aqua maris Caſpii contentum eſſe quoque ſal, ſali mirabili Glauberiano perquam ſimile, quod a naphtha etiam ortum eſſe ex eo patet, quoniam, cum naphtha ſali communi adderetur, ſal Glauberianum oriebatur. Vix opus eſt referre plures plantas ſalinas hic naſci. Confirmat quoque Cl. Auctor increſcere et decreſcere hoc mare.

Nonnullas varietates *Citri* Noſter deſcribit, notatque fructu iuniore *Solani Melongenae* Perſas veſci. p. 278.
In locis arenoſis Gilani, tertio Martii florentem inuenit nouam *Salicem*, quam *nitidam*, foliis piloſis integris, nitentibus, floribus diandris, dicit, iconeque illuſtrat. Aquam deſtillatam ex floribus contra febrem Perſae parant. Balnearia Perſarum ac *Muſtelam Lutram* deſcribit. Remedia Perſae ex Granato, vt refrigeranti, *Rhoe Coriaria*, aduerſus ſcorbuticos morbos et alui fluxus, et Manna, ſic quoque *Lacerta Scinco*, vt aphrodiſiaco, ſumunt. Terras etiam, Tripelas, vt ſalutares in multis morbis exhibent. p. 283.

Circa vrbem *Raeſcht* paludoſa eſt regio, in qua oryza laete creſcit. In his paludibus inuenitur, praegreſſa pluuia, vermis, quem, cum quilibet articulus diſſectus vitam retineat, *Taeniam dubiam* nominat. Corpus eius eſt mucoſum, pellucidum, liberum, non geniculatum; intus ſubrotundis, ſimplicibus corpuſculis repletum. Ex plantis hic detectis deſcriptione et icone hic indicat *Siſymbrium ſimpliciſſimum*, foliis ouatis, integerrimis, caule infra hiſpido, ſupra glabro, floribus albis; magnam cum *Eruca* BOCC. Muſ. 2. p. 84. t. 80. ſimilitudinem habet. *Scandicem Gilanicam*, foliis tripinnatis, pinnulis oblongis, inuolucro partiali quadriphyllo, p. 291. p. 302.

floribus

floribus radii ſterilibus: *Syringam capitatam* foliis conglomeratis, inferioribus pinnatis, ſuperioribus
p. 304. vel ternatis vel ſimplicibus: *Silenem oppoſitifoliam.* foliis lineari lanceolatis, calyce venoſo reticulato, ſtigmatibus ſimplicibus capitatis, fructibus erectis: *Viciam clymenum*, mediam inter *Lathyrum clymenum* et *Vicium ſatiuam;* floribus tamen pedunculatis, pedunculis vni - et trifloris ab hac differt: *Viciam exſtipulatam*, foliis ſeſſilibus, oppoſitis ſubcordatis, cirrhis intra folia poſitis, floribus alari-
p. 310. bus, pedunculatis, ſolitariis: *Salicem excelſam* et *Babylonicam: Loeflingiam Caſpicam*, caulibus procumbentibus, ramis alternis, foliis ouato oblongis, ſubuerticillatis floribus congeſtis, ſtigmate capitato. *Sedum ſtoloniferum*, caulibus repentibus, articulatis, nudis; cyma ſeſſili terminali folioſa, foliis ſubcuneatis, cauis; foliis calycis longitudine petalorum. De morbis et medicina Perſarum refert, quae vero ridicula neque vtilia dogmata continet.
p. 349. *Anagalli aruenſi* Perſae vtuntur aduerſus principia cataractae; eiusque ſucco goſſypium humectant et extus oculo imponunt.

p. 359. Alpes Gilanenſes, quae ſunt continuatio Caucaſi, Cl. Auctor adſcendit, notatque mutationes atmoſphaerae, ex varia altitudine ortae, breuiſſimeque addit, lapides earum eſſe ſaxa, vel ſimplicia, vel quarzo et mica mixta, copioſe quoque eſſe corneum in ſtratis poſitum non fiſſilem; Petrefacta in iis non animaduertit neque metalliferas venas inquirere potuit. Sine dubio ex imperfecta hac obſeruatione id tamen colligere licet, Granitem infimum lapidem et hic eſſe, atque eundem tegi a corneo: lapidis calcarei nulla facta eſt mentio. Ex plantis copioſe hic
p. 363. repertis commemoratae et depictae ſunt *Symphytum regium*, foliis lanceolatis; lanuginoſis, confertis, ſeſſilibus, floribus terminalibus, cernuis, purpureis.

pureis. Variat ſtaminibus ſex cum faucis dentibus ſex alternis. *Symphytum ſecundum*, foliis oblongo lanceolatis, racemis terminalibus floribus pedunculatis ſecundis, ſtaminibus corolla longioribus. *Mimoſa arborea* et *Nymphaea Nelumbo*
LINN. Quaſdam *Melonum* varietates deſcribit. Ex p. 388.
auibus *Vulturem percnopterum*, et *barbatum* LINN. p. 364.
Coruumque, quem *docilem* nominat, nigrum, roſtro
coccineo, tum quoque *Coraciam*, *docilem* dictam, p. 378.
cum linguam humanam aemuletur, roſtro pedibusque flauis, capite collo et pectore carneis, abdomine ſubcinereo, remigibus primoribus dimidio albis, dimidio nigris, rectricibus nigris, apice albis
indicat. Deſcribit poſtea modum, quo laruae *Pha-* p. 374.
laenae mori illic nutriantur et educentur, Mori variae ſpecies colantur atque ſericum inde paretur:
apum culturam quoque, Perſis vſitatam enarrat, et p. 394.
Cucurbitae ſpeciem, de qua dubitat, an *verrucoſa* LINN. ſit, nobis tamen cum eadem conuenire
videtur, icone et deſcriptione illuſtrat. De reliquo p. 425.
prouincia *Gilanenſis* grauis eſt locus, ſanitatique minime commodus, morbis praeſertim putridis facile eius incolae et aduenae infeſtantur.

Quae in prouincia *Maſanderam* obſeruauit, potiſſimum culturam *Goſſypii*, *Sacchari*, *Vitium*, atque inde productarum rerum proprietates attinent:
Tum etiam *Teſtudinum* nouas ſpecies, atque *Scor-* p. 483.
pionem Italicum, *Araneam Tarantulam*, quae illic non venenata habetur, atque *Phalangium*, Calmuccis *Bychoncko* dictum venenatiſſimum, et hic depictum, quod nobis cum *aranoide* Cl. PALLAS *) idem eſſe videtur, illic habitare refert. Praeterea *Tigridis*,

*) v. comm. noſtr. ſupra p. 302.

Tigridis, *Ouis orientalis* et *Caprae bezoardicae*, et *Cerui Pygargi* PALL. quem Perſae *Ahu* nominant, hiſtoriam deſcriptionibus egregiis perfectiorem reddit. Lapidem bezoar verum, qui coloris ſubcoerulei vel virideſcentis eſſe debet, penetrantiſſimo et gratiſſimo odore, indeque vi medica magna probabiliter praeditum eſſe ait; ſed, cum innumeris modis mangoniſetur, factum eſſe, vt eius vſus effectu careret. E Glirium ordine nouos deſcriptos
p. 500. et pictos tradit, *Soricem puſillum* et *Murem micru-*
p. 507. *rum*. Verſus oram *Swidurue* magnam arenae ferreae copiam animaduertit, atque piſcandi modum illic vſitatum deſcribit.

XXII.

CARSTEN NIEBVHRS *Reiſebeſchreibung nach Arabien und andern umliegenden Ländern. Erſter Band. Kopenhagen, gedruckt in der Hofbuchdruckerey bey Nikolaus Möller.* 1774. 4. 2 *Alph.* 10 *Bogen, mit* 72 *Kupfertaf.*

i. e.

Itineris in Arabiam aliaque vicina loca deſcriptio, Auctore CARSTEN NIEBVHR. Vol. I.

Cl. Auctor vnus ſolusque redux eſt ex eo itinere, quod iuſſu Potentiſſimi Danum Regis FRIDERICI V. quinque eruditi in Arabiam ſuſceperunt. Eorum FORSKÅLIVS propter hiſtoriam naturalem electus, vt et Medicus, Philologus, et Pictor mortui ſunt. Noſter praeſertim Geographiae illuſtrandae et corrigendae cauſſa profectus, tamen multa vtilia interſperſit, quae ad naturam cognoſcendam faciunt. De quibus ſolis hic quaedam notatu digniora referamus.

Contine-

Continetur hoc in volumine iter a Hafnia, per Conſtantinopolin, Alexandriam, Kahira, Damiat Sues, Djidda, Lohaia, Beitel fakih, Mochha, Taaes, Sana, iterumque per Moccham in Bombayum. Iter ab hoc loco in Hafniam ſecundus tomus habet.

Confirmatur lucem aequoream pendere ab animalculis molluſcis marinis, hoc loco Meduſae cauſſa fuerunt. In Inſula Malta Salinas adiit, quae quadratae ſunt, et quarum quaelibet 100 quadratos pedes aequat. Hae bis quotannis implentur aqua marina, quae ſponte euaporatur et ſal relinquit. Conſtantinopoli et in Aegypto diligenter et curate notauit Auctor Cel. aſtrorum ſitum et relationem locorum praecipuorum ad ſtellam polarem, regionumque amoenitatem, prouentus, incolarum mores, veſtitum, negotia aliaque. Inter alia notemus machinas quatuor, quibus Aegypti terram continentem aqua ex Nilo irrigant, aliam, quae boum ope agitur, aliam pedibus calcandam, aliam, in regione circa Damiat adhibitam, quae pretioſiſſima quidem, attamen etiam vtiliſſima eſt; quartam denique ſimpliciorem, harpaginis noſtratium inſtar exſtructam. Penuria ligni lapidumque Aegyptus laborat: neque illic molendinas, aqua aut vento agendas vidit, ſed manu tantum vel equis machinae, ab Auctore deſcriptae, agebantur. Inſtrumenta agriculturae apta pauca et vilia ſunt. Bobus grana frumenti etiamnum excutiuntur. Carent curris vel plauſtris Aegyptii, machinam horum loco adhibitam, vt ceteras omnes, eleganter depictas curateque deſcriptas ſiſtit Auctor. Delineata quoque eſt fornax, in qua ſal ammoniacum paratur. Muri eiuſdem arcuatim ſtructi ſunt. Globi vitrei argilla cum limo mixto muniti, fuligine fimi vſti implentur atque ſuper fornacem, quae fimo ſiccato repletur, ponuntur, non tamen aperturae

p. 7.
p. 19.
p. 148.

 globo-

globorum occluduntur, ſed lateribus teguntur, ſpatiaque intermedia terra implentur, vt globi omnes tecti lateant. His factis fimus accenditur, atque ignis per tres continuatos dies aequalis conſeruatur. His finitis, globi franguntur, ac ſal ammoniacum ſublimatum in vſum adhibetur, relictis virideſcentibus cineribus, qui nulli vſui impenduntur. Perinde eſt, a quibus animalibus fimus ſit, ex quo ſal ammoniacum paratur. Fimus, qui in fornace accenditur, ſtramine mixtus ſiccatur. Fuligo ligni ſale ammoniaco carere dicitur. Probabilis omnino nobis videtur Auctoris coniectura, quod et in noſtris terris ex fimo animalium ſal ammoniacum poſſit confici.

p. 155. Tradit etiam hic Auctor Cl. iconem fornacis, in qua oua *Kahirae* excluduntur, cum diuerſa ſit ab illis, quam alii dederint.

p. 189. Sunt in Aegypto ſerpentes, qui muſicam amare videntur, caputque erigunt, circumgyrantur,
p. 195. vt ſaltare dicantur. Pyramides altiſſimae ex molliore marmore factae, in ſupremo cacumine interdum Granite tectae ſunt: In marmore hoc multa petrefacta minora, plerumque Helicitae reperiuntur.

p. 225. In itinere verſus montem Sinai in arena multa teſtacea inueniebantur, teſtimonia illic antea mare
p. 230. fuiſſe. Ab vrbe, *Sues* dicta, inde ad vallem *Girondel* montes plerumque ſunt calcarei. Magis verſus orientem montes corneo ſcintillante, et petrefactis conchis, illis, quae in arabico Sinu inueniuntur, ſimilibus componuntur. Poſtea lapis durior magisque niger fit, atque venae granitarum hinc inde conſpiciuntur, quae, quo magis verſus montem Sinai tendunt, eo magis augentur.

Montes, qui vallem *Pharan*, a MOSIS aetate hoc nomine inſignitam cingunt, conſtant ex Arenario,

nario, in quo granites ruber nigerque inſperſus eſt. Naſci illic dicuntur Palmae.

In vrbe *Beitelfakih* incolae magna formicae cuiusdam maioris, *Ard* dictae, copia vexantur, quae ſibi tubum formant, per quem ad ſummas arbores ſcandunt, comeduntque fructus, veſtes, aliaque quaelibet. Non aliter, niſi deſtructis his tubis, aliquantum domari poſſunt. Regio circa hanc vrbem plana, non quidem fertiliſſima, ſed arenoſa, gramineque et arbuſtis frequenter abundans, interim tamen culta eſt. Generatim haec regio amoena eſt, et aqua bona, palmis et arbore, ex quo indigo creſcit (ſine dubio *Indigofera tinctoria*) abundat. Non procul ab hac vrbe, prope a vico *Kahhme* erat collis, qui ex lapidibus quinquangulis conſtabat: lapides hi in ſtratis ad perpendiculum ſibi arcte iuncti erant, ſimilesque paſſim alibi vidit Auctor. Prope ab vrbe Orede Cl. FORSKÅL veram arborem balſami de Mecca inuenit, eamque in litteris, quas LINNAEVS inſeruit diſſertationi, Opobalſamum declaratum inſcriptae, vberius definiuit. p. 318.

In vrbe *Taaes* FORSKÅLIVS montem *Sarreb* adire cupiebat, ſed diſſidiis incolarum impediebatur, hisque aliisque cauſſis aeger factus tandem moriebatur.

Cl. Auctoris obſeruationes praeſertim Geographiam, vti diximus, attinent, interim tamen lectu vtiles et amoenae etiam Phyſicis erunt, tum propter ipſas de moribus hominum, tum propter meteorologicas, ſub finem libri annexas.

XXIII.

Abhandlungen einer Priuatgeſellſchaft in Böhmen zur Aufnahme der Mathematik, der vaterländiſchen Geſchichte, und der Naturgeſchichte, zum Druck befördert von IGNATZ EDLEN VON BORN. *Erſter Band. Mit 8 Kupfertafeln. Prag,* 1775. *Im Verlage der Gerliſchen Buchhandlung.* 1 *Alph. Seit.* 2.

i. e.

Tractatus ſocietatis priuatae Bohemicae in augmentum matheſeos, hiſtoriae patriae et naturalis, editi ab IGNATIO DE BORN Tom. I.

Ideo congreſſi ſunt viri doctiſſimi et illuſtres huius ſocietatis, vt inuenta et opera ſecum inuicem communicarent, atque, quae digna viderentur, publici iuris redderent. Atque laetari omnino omnes litterarum ſtudioſi poterunt de vtiliſſimo hoc conſilio, quo certe diſciplinae multum et egregie illuſtrabuntur. Primus hic tomus vtiliſſimos continet tractatus; praeſertim ii, qui matheſin ſpectant, ſunt maxima attentione digni. Nos vero eos hic ex inſtituti ratione praeterire cogimur, atque phyſicarum, non minus lectu digniſſimarum commentationum epitomen tradamus.

p. 243. *Litterae illuſtriſſimi comitis* DE KINSKY *ad Perill.* DE BORN, *mineralogicas et lithologicas nota-*
p. 244. *biliores res continentes.* Primo refert Ill. Auctor, cacumen montis ſummi, *Pleſchiwez* dicti, in prouincia Beraunorum quarzo puro conſtitui, neque procul ab eo eſſe petram quarzeam, diuturnitate temporis, et vi aquarum in columnas aliaque fruſta fiſſam; aliumque etiam vicinum eſſe aceruum

ſaxorum

ſaxorum quarzeorum. Atque ab hoc monte copioſa diſperſa in illa regione ſaxa minora, rotundata, quarzea, quos ſilices vulgo dicunt, probabiliter abrupta eſſe.

Deinde *Entomolithus paradoxus* LINN. in argilla fiſſili repertus eſt ab Ill. Auctore, atque integris exemplaribus, quae hic eleganter et accurate depicta ſunt, id cognouit, animal, qualecunque fuerit, facultate tamen ſe contrahendi praeditum fuiſſe. Sunt eodem in loco fodinae ferreae, quae vero male coluntur. Denique etiam confirmatur ſucceſſio lapidum primaeuorum *), de qua alibi iam diximus. p. 246. p. 251.

Reſponſio ad has litteras a Cl. DE BORN. Primo enumerat aliarum regionum notabiles montes quarzeos. Recte affirmari putat ex his et aliis lapidibus montium ſaxa minora diſperſa eſſe, atque cruſtam brunam, qua nonnulla cincta ſint, a martiali terra deriuandam eſſe. Obſeruationes ſubiicit Cl. Auctor, quas, ratione lapidum primaeuorum, cum in thermas Carolinas proficiſceretur, inſtituit. Illic in argillaceo ſchiſto argenti et ferri minerae inueniuntur. Verſus thermas Carolinas a vico *Taborn* ſolitaria Baſaltica et granitica ſaxa diſperſa ſunt. Baſis montium in priore loco eſt Granites. p. 253.

Obſeruationes mineralogicae, ex itinerariis nouiſſimis excerptae, Auctore EODEM. Conſtituit Perill. Auctor diſperſas in itinerariis obſeruationes mineralogicas, vtiles et nouas, hic colligere et a reliquis relationibus ſeparatim tradere, atque ſuas annotationes et illuſtrationes inſpergere. Tradit hic, tentaminis inſtar, noua mineralogica obſeruata in *itinerario* Cl. PALLAS relata: atque, cum nos p. 264.

 ſupra

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 506.

ſupra *) de iis iam vberius egerimus, quasdam tantum Cl. Auctoris annotationes hic commemore-
p. 275. mus. Opinionem Cl. PALLAS, qui lapidem igniarium ex argilla, cum hypotheſi WALLERII, et aliorum, qui eum ex creta natum eſſe ſtatuunt, ita conciliat Cl. Auctor, vt oſtendat et argillam, et calcaream terram ad originem gelatinoſae maſſae, ex qua lapis igniarius fit, requiri.

p. 281. Nullum dubium eſſe ait Noſter, quin ſaxa granitica, de quorum origine Cl. PALLAS **) du-
p. 283. bitat, aquae vi a montibus Waldaicis illuc lata ſint. Cum *Tripela* iuxta Iaſpidea ſaxa inuenta ſit, CRONSTAEDTII ſententia, qui eam ex particulis Iaſpidis dilapſi natam putat, corroborari
p. 289. videtur. Auri grana, quae in fluuio *Okka* reperiuntur, Perill. DE BORN ex venis et fiſſuris mon-
p. 294. tium ſoluta in illum cum riuis fluxiſſe putat. Gypſum Cl. Auctor ad lapides ſecundarios refert; nam et locus, in quo reperitur, et compoſitio, et petrefacta in eo contenta, quae Cl. Auctor ipſe poſſidet, hoc demonſtrant. Ceterum confirmat Auctor, Gypſum plerumque iuxta ſalium locum natalem
p. 336. eſſe. Cum ſalinis a Cl. PALLAS deſcriptis comparat alias in Polonia, Auſtria et Transſyluania ſitas. Reliquas obſeruationes Lectoribus tamquam vtiles et amoenas commendamus.

*) v. comm. noſtr. ſupra p. 288.
**) v. ſupra p. 289.

XXIV.

XXIV.

Ausführliche Nachricht von neuentdeckten Zoolithen unbekannter vierfüſſiger Thiere, und denen ſie enthaltenden, ſo wie verſchiedenen andern denkwürdigen Grüften der obergebürgiſchen Lande des Marggrafthums Bayreuth. Von IOHANN FRIEDERICH ESPER. *Mit vierzehn illuminirten Kupfertafeln. Herausgegeben von Georg Wolfgang Knorrs Seel. Erben, in Nürnberg.* 1774. *fol.* 1 *Alph.* 16 *Bog.*

i. e.

Vberior relatio de nouiter detectis Zoolithis mammalium incognitorum, et ſpecubus eos continentibus, in marchionatu Byruthino poſitis, Auctore IOANNE FRIDERICO ESPER.

Maxima ſane attentione digna eſt haec regio, quae vt et ea naturae producta, quae de mutatione globi terraquei teſtantur, petrefacta nempe, a Cl. Auctor diligentiſſime, et forte nimis copioſe, deſcribuntur. Eſt enim regio montoſa, iuxta pagos, Mokkas, Muggendorff, et Gailenreuth, quae in montibus calcareis plures magnasque ſpecus continet, in quibus petrefacta quamplurima, et praeſertim animalium mammalium reperiuntur. Notabiliora et integriora horum oſſa petrefacta in tabulis aeneis, ſumma ſane arte depicta ſunt: atque omnes Phyſici certe Cl. Auctori laudes et grates tribuent, pro huius mirandi phaenomeni vulgatione. Sed ad ſpecialiora accedamus.

Ex deſcriptione regionis indicatae haec notamus. In monte circa *Bretsfeld*, praeter alias mon- p. 2.

 tanas

tanas plantas, *Draba Aizoides* et *Lichen ſaccatus*,
p. 3. plantae alpinae, naſcuntur. In planitie verſus *Mokkas*, petrefacta, Madreporarum, Teſtaceorum et Echinorum reperiuntur. In hac regione rimae atque ſinus ex collapſa terra reperiuntur. In vno vicinorum montium reperitur perlonga, profunda, ſed anguſta ſpelunca, in qua eadem, quae in reliquis, inueniuntur petrefacta, in eo ab iis diuerſa, quod dendritae in iis inſculpti ſint, quos a ſalis Glauberiani ſolutione productos exiſtimat.

p. 9. Jam ipſam maximam ſpeluncam Zoolithorum prope a Gailenreuth ſitam vberius et accuratiſſime deſcribit; lapis montis, ſub quo ea extenditur, eſt calcareus, ipſa ſpelunca 80 perticarum profunditatem habet, atque in quatuor quaſi partes diuerſae altitudinis diuiſa eſt. In altera diuiſione oſſa petrefacta aliqua primo, in ſequentibus vero, et praeſertim in vltima copioſiſſima conſpiciuntur.

p. 22. In his ſpeluncis praeter dicta petrefacta vrnae, vel vaſa terrea reperta ſunt; ſuntque ipſae vbique humo animali repletae; marmor vero minoribus fruſtis et partibus animalium immixtum eſt, vti alibi con-
p. 33. chyliis. Ex concretis maſſis vna continebat os, quod oſſibus maſticatoriis *Tricheci* *) aliquo modo ſimile erat, coſtam, auis forte cuiusdam, et in medio cochleam. Sic plura concreta deſcribuntur, in quibus diuerſa variorum, vt Cl. Auctori videtur, animalium oſſa reperta ſint. Praeterea autem illic oſſa animalium quamplurima, plura tamen diffracta libera diſperſa ſunt, ex quibus memorari merentur, cranium integrum, deficiente tamen maxillae ſuperioris parte anteriore; os bregmatis cum naſali, alius, vt Cl. Auctori videtur, animalis; maxil-

la

*) vid. STELLERI deſcript. in Comment. Petropol. Tom. II. p. 302.

la ſuperior et inferior, quarum priorem quatuor dentibus primoribus triſurcatis et quatuor laniariis, poſteriorem ſex dentibus primoribus et duobus laniariis inſtructum dicit. Verum ſi iconem comparamus, omnino dentes, quos laniarios breuiores et anteriores Cl. Auctor dicit, ad primores referendi ſunt, etſi acuti ſint: eodem enim modo comparati ſunt dentes in Cane et praeſertim Vrſo: quae omnia ſi conſiderauerimus, animal, quod Cl. Auctor ipſe cum Vrſo multum p. 80.
conuenire dicit, haut dubie ad Vrſi genus pertinebit: in qua re confirmamur, ſi ſceleton Vrſi maritimi albi *), quod ad manus eſt, contemplamur, cuius caput omnino cum iconibus horum oſſium petrefactorum conuenit, vt ideo nullum dubium nobis ſupereſſe videatur, quin plura ex his oſſibus ab hoc animale ſint, vti et Cl. Auctor coniicit. Reliqua oſſa depicta, ſiſtunt vertebras et quidem ſecundam diuerſae magnitudinis, ſincipita aliorum, vt videtur animalium, os calcis, atque femoris. Oſſa haec et alia, quae curate et copioſe a Cl. Auctore verbis deſcribuntur, tam diuerſa inter ſe ſunt, vt a pluribus animalibus eadem profecta arbitretur.

Poſtea Auctor copioſe inquirit, quomodo hae ſpecus ortae ſint, et qua ratione animalia illuc deuenerint, ita vt in petras mutarentur; atque putat, omnia eſſe a diluuio Moſaico repetenda, quo tantae terrae inuerſiones factae; animalia vero iis in locis quaedam habitaſſe, quaedam fluctibus aquarum huc lata eſſe. Sicque ſimul omnes reliquas opiniones refellere ſuſcipit, obiectionibusque omnibus reſpondet.

His expoſitis Cl. Auctor reliqua memora- p. 107.
bilia naturae producta vicinae regionis indicat. In praefectura dicta *Streitberg* copioſa ſunt marina

*) Eſt hic quoque a Cl. PENNANT depictus. vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 348.

p. 110. rina, circa pagum *Muggendorff* conchylia petrefacta inueniuntur; non procul ab hoc vico eſt magna et ſatis extenſa ſpecus, *lapis pulcher* dicta, quae magnitudine et varietate ſtalactitorum aequat ſpecum Baumannianam in Hercynia: praeter hanc plures aliae ſimiles maiores, minoresue deprehenduntur ſpeluncae, quarum plurimae ſimiles Zoolithos continent. Reliqua regio diuerſis petrefactis Echinorum, Entrochorumque repleta eſt.

XXV.

D. IOHANN CHRISTIAN ARNOLD, *der Arzney und Hebammenkunſt Prackticus zu Liſſa in Gros-Pohlen, Gedanken von der Zuläſſigkeit der Meynung: die Mutter wirke in die Bildung ihrer Frucht durch die Einbildung.* 1. *Verſuch. Leipzig.* 8. 111 *Seiten.* 2. *Verſuch ibid.* 1775. 108 *Seiten.*

h. e.

IOANNIS CHRISTIANI ARNOLD, Med. Doct. etc. cogitata de opinione, matrem imaginatione ſua ad mutandum ac deformandum fetum valere. Tentamina I et II.

Primo quidem tentamine Cl. Auctor quaedam de ortu huius, vt putat, vanae opinionis, quidue
p. 15. homines cum ea ſibi velint praefatus; ad quae-
p. 21. ſtionem pergit, vtrum opinio iſta, de maternae imaginationis ad fetum ſuum formandam efficacia, cum praeceptis, voluntate ac ſapientia Dei conueniat, an ipſis potius ſit dedecori. Cui vt reſpondeat ita verſatur, vt primo demonſtret hominis formationem eſſe coniunctionem et coordinationem ſummam partium corporis, quae diligenter

genter fabricatae et apte diſpoſitae ad vitam peragendam, actiones obeundas et valetudinem ſuſtinendam valere poſſint. Hanc vero artificioſam corporis fabricam a ſapientiſſimo rerum creatore omnibus hominibus neceſſario tribuendam eſſe, contendit. Quomodo autem et quibus legibus, quoue tempore fetus formetur, de his inquam omnibus, quippe obſcuriſſimis, non ſubtiliter inveſtigandum eſſe, perſuadere conatur. p. 22. p. 23.

Ipſam vero hominis internam externamue fabricam, in aliis aliam eſſe, atque mirum in modum, quamuis in minutis partibus differre, experientia quotidiana, ait, euinci. Neque varietates eas temere eſſe inordinatas, ſuperfluas deformesque appellandas, cum ſemper natura per homines et vitam et valetudinem promoueri ſtudeat. Incredibilemque ſapientiam ex eo elucere, quod in vniuerſo rerum creatarum concentu, duae res ſibi omni ex parte ſimiles geminaeque nequeant reperiri. Exemplis deinde deficientis ſaporis et odoratus, probare conatur hominum iſtorum corpora tam perfecte fuiſſe conſtructa, quantum maxime in iis fieri poterit. p. 27. p. 29. p. 33. p. 36. p. 38.

Tum ad monſtra ſic dicta progreditur, quorum nempe interna aut externa partium ſtructura a conſueta inſigniter diſtet, quas differentias vt dilucidiores reddat naturalem cordis fabricam et ſanguinis circuitum exponit, tum hominis adulti, tum etiam fetus. Id quod deinceps cum cuiusdam infantis inuſitata forma comparat, quae quidem duobus conglutinatis capitibus, ceruice vna lata, manibus pedibuſue quatuor, atque duplicibus genitalibus, praeſentium incitabat attentionem, quam geminum quoque hepar, funiculus vmbilicalis duplex, lienis defectus, tres pulmones, vnicum denique cor, quatuor et arteriis et venis praeditum, p. 49. p. 57.

mire

mire augebant. Quam tamen ſingularem prorſus ſtructuram, ad huius fetus vitam propagandam artificioſiſſime fuiſſe elaboratam, atque ita comparatam, vt, cum huic fetui ſimplex tantum viuenda fuiſſet vita, neceſſario eſſe debuiſſet, arbitratur; et
p. 89. in eo maiorem partium quarundam numerum improbare, idem eſſe, atque horologium octo rotis compoſitum ideo vituperare, quoniam alia decem, alia quinque tantum conſtarent.

p. 93. Neque hunc fetum ex duobus connatum, ſed ita iam ante delineatum formatumque fuiſſe contendit, quoniam conglutinationis nulla detecta fuiſſent veſtigia. Tum ſingula in hoc infante noua et inſolita reperta perſequitur, oſtenditque omnes iſtas partes, quae obiter inſpicienti inutiles, ſuperfluae, inordinatae temereque conflatae videri poſſent, omnes inquam ſi oculo perſpicaci ac in ſingula re creata ſapientiſſimum auctorem deprehendere ſolito contemplaremur, mirabiliter artificioſas, et a ſummo rerum fabricatore apte diſpoſiteque exſtructas atque elaboratas apparere. In quo quidem argumento tractando Cl. Auctor imitandam ſuam erga numen ſupremum reuerentiam luculenter patefacit.

p. 119. Secundo vero tentamine Cl. Auctor ad aliam quaeſtionem progreditur, num haec opinio de *maternae imaginationis in fetum ſuum formandum efficacia, reipublicae ſi non vtilis, at certe innoxia ſit.* Cui quidem quaeſtioni ita ſatis facere ſibi videtur, vt primo hanc opinionem eatenus ciuitati innocuam eſſe pronunciet, ſi homines ſimilem parentibus prolem per imaginationem maternam procreari
p. 124. poſſe opinentur. Quod ſi vero haec eadem opinio de perfectione, pulchritudine et deformitate iudicium facere audeat, tum ſcilicet eam publicae rei referre

eique

eique noxiam fieri arbitratur. Nam iudicio alterius de altero in vtramque partem, ſocietatis humanae vinculi firmitatem maxima ex parte niti. Quaecunque vero in hanc ſententiam copioſe ſatis diſputata ſint a Cl. Auctore haec in vniuerſum ad temerariam tantummodo hominum, de aliorum maiori minoriue dignitate aut vilitate ex forma eorum aeſtimationem pertinent. Neque vllo modo, vt cuiquam apparebit, ad opinionis iſtius illicitam rationem demonſtrandam valebunt. Aeque enim reipublicae noxium erit, infantes inſolite formatas horrida, prodigioſa, mutilataque putari monſtra, ſiue haec deformatio ad maternam imaginationem, ſiue aliam quamcunque cauſam atque etiam Deum ipſum vulgo referatur.

Quod idem fere de argumento valet, dum inter diuerſos multitudinem hominum augendi, id eſt publicam vtilitatem propagandi modos eum praecipuum eſſe ratur, vt parentes de educandis ſuis liberis quam maximam gerant curam, colligit fieri non poſſe, quin curae iſtius vigor, ſi non exſtinguatur, certe infirmetur et frigeſcat, cum parentes deformitatem prognatae ſobolis ab imaginatione profectam opinati, eam adeo negligant aut tantilli faciant, vt cito plerumque intereat, aut miſericordia indulgentiaque nimia atque intempeſtiua ducti eam in peius ruere deterrimisque moribus imbui ſinant.

p. 127. p. 131. p. 138. p. 144.

Exempla vero feminarum, quae ſecundum noſtrum auctorem fetum a ſe expuliſſe perhibentur, metu ſe monſtra parituras eſſe, multae adhuc dubitationi ac ſuſpicioni locum relinquunt. Deinde obiectioni alicui, quod tamen et idem ad propoſitum non pertinebat, monſtris illis rempublicam oneratum iri, ita occurrere ſtudet, vt opinetur, fore, vt iſti ſingulari alienoque modo formati homines, ad

p. 150. p. 152.

ad varia vtiliaque ſuſcipienda negotia valeant, quibus quidem homines, qui nunc ſunt, non apti eſſent, quod, qui fieri poſſet, non perſpicitur.

p. 156. Poſtea alteri quaeſtioni venit obuiam Cl. Auctor. Num ſcilicet haec de imaginatione materna opinio etiam ſingulorum ciuitatis membrorum ex re ſit, re tamen publica incolumi? Cui ita reſpondet, vt, multa de ſanitate corporum ex tranquillitate enata praefatus, vtramque ab iſta opi-
p. 164. nione impediri dicat; nam grauidam mulierem iſto inani errore infectam, inquietem, ſollicitam,
p. 172. anxiamque fieri; in ipſo autem partu hanc fluctua-
p. 176. tionem et metum augeri, fetum vero monſtroſum ſi enixa fuerit, moerore ex iſta opinione profecto
p. 177. confici atque non raro exſtingui, cuius generis exemplum, et ipſe in medium profert.

De iudicio inhumano quorundam hominum, qui in his monſtroſis infantibus diuinam erga pa-
p. 184. rentum vitia vindictam deprehendi dictitant, multa,
p. 195. ſed minus ad rem differuntur. Ceterum aliquos libros de maternae imaginationis ad fetum mutan-
p. 198. dum efficacia tractantes laudat. Poſtremo quaedam partim iam dicta, partim tralatitia adiungit.

XXVI.

Fetus cum matre per neruos commercium. Diſſertatio inauguralis propoſita ab IOANNE VLRICO THEOPHILO SCHAEFFER Ratisbonenſi. Erlangae. ſtanno Waltheriano. 4. 1775. c. fig. aenea. 7½ plagg.

Huius praeclarae diſſertationis ordo ſic eſt compoſitus, vt primo anatomica et phyſiologica praemittat hypotheſesque enarret easque, quae cum

cum ſua theoria non conueniant, refutet, deinde theoriam ſuam proponat, denique de vi pathematum ad matrem loquatur.

Primo in genere de functionibus ſermonem facit atque ſexus functiones ad naturales refert, cum ſecretione et excretione fiant. Dum anatomiam funiculi vmbilicalis exponit, contendit venam vmbilicalem ſumma ſapientia tortuoſo curſu procedere, ne celeris impetus ſanguinis fetui incommoda procreare poſſit, atque funiculi vmbilicalis inuolucrum eſſe prolongationem tunicae amnii. Etiamſi nullum ſenſum in placenta atque funiculo vmbilicali, neque vllus neruos in his detexit, tamen nerui negari non poſſunt. Nam vaſa placentae ab vterinis, quae muſculari tunica neruisque inſtructa ſunt, oriuntur et ſanguis matris mutari debet in placenta et fetu ipſo in humores ad nutrimentum aptos, quae quidem mutatio ſine neruis, vt et placentae incrementum, fieri nequit. Pilos etiam incrementum capere auxilio neruorum neque materia vnguinoſa perſpirabili Noſter affirmat, cum adſint neruorum plexus circa bulbos pilorum poſiti. p. 1. p. 9. p. 10. p. 13.

Poſtea negat tranſitum ſanguinis in placenta, vti in tubis capillaribus fieri: etſi enim in primo grauiditatis tempore vaſa ſanguinem vehentia etiam tanquam tubi capillares aſſumi poſſint; tamen in protractiori tempore lumina vaſorum maiora reddi neque tunc tuborum capillarium inſtar agere poſſe dicit. Similitudinem vaſorum placentae cum tubis capillaribus quoque turbant leges phyſicae, quae docent tubum capillarem pro diuerſo ſitu, mox vnam modo, mox plures guttas recipere. Cl. Auctor aſſumit, refluxum fluidi neruei, in ſenſu, affluxum vero eius in motu exerceri atque in diuerſis tubis fluidum nerueum moueri. Materia ner- p. 14. p. 16. p. 17.

 vea,

vea, quae ſenſum efficit, non ad ſenſorium com-
mune peruenit, neque ea, quae motum admini-
ſtrat ad partes externas, ſed eſt materia aliqua
intermedia.

p. 20. Sunt nerui, qui tantum ſentiunt, ſcilicet nerui
p. 21. cerebri. Neruos alueolares annumerat Noſter
neruis ſentientibus. Eſt enim, vt dicit, conſenſus
horum neruulorum cum neruis organi auditus,
quod eo Noſter demonſtrat, cum nempe horolo-
gio dentibus capto, auribusque obturatis ictum
perſentiſcimus. Concedit quidem tubis EVSTA-
CHII plurimum tribuendum eſſe, ſed tamen et
neruos alueolares quaedam ad hoc phaenomenon
p. 22. conferre. Abſentibus etiam fibris muſcularibus,
tamen neruuli et motus adeſſe poſſunt, quod
p. 23. probat nyctalopia et hemeralopia. In placenta
atque funiculo vmbilicali igitur reperiuntur nerui
mouentes neque ſentientes et affluxus materiae
nerueae ad has partes fit, refluxus vero prohibetur.

p. 25. Refutatis iis, quae contra theoriam Auctoris
moneri poſſent, dicit, cordis motum etiam ſuam
ſententiam confirmare atque probare. Ad cor
enim nerui mouentes neque ſentientes progre-
diuntur atque dolor in pectore a maiori motu ſan-
guinis in pulmonibus, neque a neruis cordis oritur
p. 28. ſentientibus. Porro Auctor affirmat, neque abſur-
dum eſſe, neque fieri non poſſe, neruos mouentes
matris, ſentientes prolis conſtituere. Anaſtomo-
ſis etiam neruorum matris et infantis, licet non
quoad fluidum nerueum, tamen in neruorum in-
tegumentis locum habet.

His bene propoſitis de vſu huius theoriae atque quaedam de vi imaginationis maternae in fetum Cl. Auctor loquitur, ad monſtra progreditur et caſum huiusmodi monſtroſi infantis profert, cuius formam et figuram in adiecta tabula aenea exprimi

iuſſit. Femina ſine dubio grauida perterrebatur, cum videret hominem pedibus manibusque reptantem, eoque iterum poſt tres hebdomadas viſo, iterum terrorem ſentiebat, atque haec menſe octauo puellam, poſt partum mortuam, procreavit. Digiti manus huius fetus erant craſſi, connati atque nonnulli vnguibus carebant. Funiculus vmbilicalis naturali et bona ſtructura gaudebat. Digiti pedis vnius extremitatis quoque corrupti erant. Siniſtra extremitas in regione muſculorum gaſtrocnemiorum quaſi amputata erat, et recenti cuticula obducta ita, vt modo paruula et rubicunda vulnerisque recentis ſpeciem prae ſe ferens pars remaneret. Ibi fibula atque tibia conſpicua erat atque inter haec oſſa oriebatur fibra, cuius extremo corpus muſculoſum adhaerebat, in quo quinque inciſurae, digitos pedis aemulantes apparebant. p. 31.

Quod ad animi pathemata attinet, Noſter autumat, ſtatum naturalem futuri infantis ſaepe pendere a temperamentis atque diſpoſitione animi parentum nihilque impedire, quominus credat parentes et alia obſtacula ad ſtatum praeternaturalem quaedam conferre poſſe. Hic quoque de morbis hereditariis quaedam exponit. Opinionem ſuam confirmat demonſtrationibus phyſiologicis, quibus a communicatione circuli ſanguinis et neruorum conſenſu matris et infantis deformationes probat. Denique eos, qui vim pathematum ad matrem negant, recenſet, eorumque opiniones ita proponit, vt reſpondeat ad eorum argumenta. p. 39. p. 40. p. 46.

XXVII.

Analecta ad Antiquitates medicas, quibus Anatome Aegyptiorum et HIPPOCRATIS, nec non mortis genus, quo *Cleopatra* Regina periit, explicantur. Iterum retractauit, recenſuit, et teſtimoniis veterum ſcriptorum confirmauit CHRISTIANVS GODOFR. GRVNER, Med. Doctor, Botanices ac Theoretices in Academia Ienenſi Profeſſor publ. ord. Facultatis medicae Aſſeſſor, Societatis Latinae Ienenſis ſodalis. Vratislauiae, apud Kornium, cIↄ Iↄ CC LXXIV. Plagg. II. in forma maiori 8.

Nuper iam Cl. GRVNERI laudauimus veteris Medicinae, et Philoſophiae inprimis, cognitionem. Hic libellus iterum noſtram exiſtimationem comprobat, oſtenditque, quam praeclarum ſtudium et ad hiſtoriam Medicinae fructuoſiſſimum in antiquitatibus medicinae Graecae cognoſcendis et inueſtigandis collocauerit Noſter. Certe quo maioris vtilitatis, et difficultatis, hiſtoria medica recte tractata a rerum peritis exiſtimatur eſſe, eo acceptior gratiorque debet nobis videri opera et induſtria Viri, qui in illa ſibi elaborandum ſuſtinet, praeſertim in ea hominum, qui vel poſſunt, vel volunt hic aliquid laudis mereri, penuria, qua noſtra aetas magis magisque premitur, vbi magis praeſentia ſpectantur, quam curantur cognoſcunturque praeterita. Sed age ad enarrandum argumentum libelli potius accedamus. In praefatione ſatis ampla reſpondet Auctor obiectionibus cuiuſdam SCHNEIDERI, qui nimis acerbe et temere Cenſuram librorum Hippocraticorum perſtrinxerat.

Sunt

Sunt, qui Aegyptiorum veterum Anatomen vehementer laudent, eorumque cognitionem corporis humani plane eximiam fuiſſe contendant. Iſtorum hominum opinionem Noſter hic conatur refutare. Quicquid enim de OSIRIDIS, ISIDIS, HARPOCRATIS et MERCVRII TRISMEGISTI ſcientia iactetur, eſſe vel plane fabuloſum, vel certe ita obſcurum, vt certum, quod inſit, vix deprehendi poſſit; aut ſi qua Medicinae cognitio illis ſit tribuenda, eam vltra herbarum quarundam medicamentorumque vſum non aſſurgere. Idem quoque ſtatuendum eſſe de Sacerdotum Aegyptiorum ſcientia medica; qui, procul abeſſe, vt exquiſita corporis humani cognitione imbuti fuerint, vt ſuperſtitione et religione impediti fuerint, quo minus corpora mortuorum ſiue hominum ſiue caeterorum animalium inſpicerent, quippe quae ne tangere quidem fas fuiſſet. Certe HERODOTVM, quo loco recenſeat ſingula Aegyptiorum inuenta, omnino corporum diſſecandorum inſpiciendorumque conſuetudinem praetermiſiſſe. Cuius igitur auctoritatem maiorem habendam eſſe, quam CLEMENTIS ALEXANDRINI, vt multo recentioris, qui inter MERCVRII Aegyptii libros commemoret etiam aliquot, qui ad anatomen pertinent. Nec vllo modo quicquam certi argumenti ad hanc Medicinae partem probandam duci poſſe ex pollinctura, qua Aegyptii in corporibus condiendis ſint vſi: etenim hanc rationem *maxima cum oſcitantia et ſine vllis artis legibus* ab Aegyptiis eſſe adminiſtratam, ſatis fieri clarum ex loco HERODOTI, vbi de hac pollinctura narrat.

Quamquam libenter cuiuis viro docto concedimus, Aegyptiorum cognitionem Anatomes non metiendam eſſe perfectione et incrementis, quae

haec Medicinae pars praeſtantiſſima inprimis ab HARVEI aetate cepit: Auctoris tamen doctiſſimi ſententia et argumenta nos nondum ita commouerunt, vt Aegyptios in hoc genere prorſus rudes fuiſſe crederemus. Nam primum cum ſatis conſtet, inprimis Aegyptiorum ſacerdotes Medicinam feciſſe: haut a vero abhorret, iiſdem quoque partes corporis internas praecipuas, earumque vſum et functiones fuiſſe cognitas. Deinde corpora mortuorum tangere ac tractare non nefas habitum eſſe illorum moribus, non modo intelligitur ex pollincturae ipſius ratione, verum etiam ex loco HERODOTI II, 90. vbi diſerte *Sacerdotibus Nili* ius mortuos contrectandi tribuitur. Tum praeter EVSEBII teſtimonium de hoc genere habemus etiam CELSI auctoritatem Praef. lib. VII. qui nonnullos Medicos commemorat in arte chirurgica celebres apud Aegyptios. Qui quaeſo fieri potuit, vt haec Medicinae pars, quae manu curat, ſine cognitione et inſpectione corporis coleretur? Denique omnium luculentiſſimum rei argumentum eſt in pollinctura: haec profecto fieri non potuit, niſi ab corporis humani eiusque ſingularum partium internarum praecipuarum peritiſſimis. Hanc vero condiendorum corporum rationem nec vanam nec negligenter factitatam eſſe, HERODOTI auctoritate procul abeſt, vt infringatur, vt confirmetur maxime, vti inſpectio loci quemque docebit. Etſi vero, fatemur, ex iſta narratione non apparet modus, quo facta ſit, ita, vt nosmet ipſi poſſimus induſtriam illorum hic imitari: tamen hiſtoricus narrat, quod ſui muneris erat, vtcunque rationem et diuerſitatem rei. Quid? ſi plane vana illa res fuit, cur quaeſo etiamnum illius rei reliquiae ſuperſunt? Igitur ſi his argumen-

argumentis ſatis feciſſet Auctor doctiſſimus, tum in eius ſententiam alacriter pedibus iremus.

Sed ab Aegyptiis nunc, duce GRVNERO noſtro, accedamus ad HIPPOCRATEM Medicinae parentem: vbi quaeritur, *ſecueritne humana corpora, necne?* Noſter, aduerſus ſententiam virorum maximorum, GALENI, BOERHAAVII, HALLERI, TRILLERI ſexcentorumque aliorum, audet negare, Hippocrateam anatomen, ſi qua fuerit, de corporibus humanis diligenter repetitam eſſe; ſed vel ex animalium brutorum laceratione, vel curatione vulnerum ſola hauſtam et perceptam. Nam primo quamquam Aſclepiadarum in hoc genere cognitionem eximie laudet extollatque GALENVS; cum tamen certum illorum documentum nuſpiam extet, GALENI fidem et auctoritatem, quae alias quoque admodum ſit lubrica et fallax, hic nihil quicquam valere. Deinde quoniam omnis veterum medicina, auctore ipſo GALENO, ſola experientia et vſu conſtiterit: anatomen κατ᾽ ἐπιτήδευσιν locum non habuiſſe, ſed tantum κατὰ περίπτωσιν, h. e. quae caſu oblata ſit, et percepta per vulnus et alia his ſimilia. Denique quod, quo minus ſecaret corpora humana HIPPOCRATES, religione et ſuperſtitione fuerit prohibitus.

In hac doctiſſimi GRVNERI ſententia deſideramus hoc, quod magis nititur argumentis metaphyſicis, quibus in re hiſtorica nihil fallacius eſſe poteſt, quam teſtimoniorum vi ac pondere; praeſertim cum CELSVS, GALENVS, SORANVS, SVIDAS, aliique de Hippocratea anatome ſecus ſtatuant. GALENVM quidem vero non eſſe hominem vanum et temerarium, qui facile ſibi imponi ſinat, aut aliis imponere audeat, ſed

eius diligentiam certa ab incertis, vera a falſis diſtinguendi haud mediocrem eſſe, cum aliunde conſtat, tum ex Commentariis in Aphoriſmos HIPPOCRATIS, et in libros de morbis epidemicis. Caeterum quamquam negari nequit, veterum religionem in corporibus hominum mortuorum ſepeliendorum aliquam fuiſſe: tamen hinc plane nihil ad anatomen HIPPOCRATIS refutandam argumenti trahi poteſt. Nam primum *ſepelire* non tam eſſe humare, quam omnino corpus a conſpectu hominum remouere, dicique de concrematione, de proiectione in mare, de ſuſpenſione ex arboribus, aliiſque ſepulturae generibus, luculenter multis exemplis demonſtrauit GISB. CVPERVS Obſeruatt. I, 7. Igitur nihil obſtat, quo minus corpus ſepeliri, et ita religioni ſatisfieri dici poſſit, ſi corpus diſſecatur, praeſertim cum partes diſſectae et inſpectae aeque poſſint ſepeliri, aut humari, i. e. terra obrui. Deinde homines nocentes, veluti, proditores patriae, ſacrilegos, et αὐτόχειρας ab honore ſepulturae eximendos eſſe, patet ex locis, quos laudant KIRCHMANNVS de Funerib. App. cap. 4. et LEISNERVS ad BOSII Antiquitt. ſub finem.

Accedamus nunc ad tertiam et vltimam libelli partem, quae de mortis genere, quo *Cleopatra* Aegyptiorum Regina periit, exponit. Sunt, qui contendant, iſtam mulierem veneno hauſto periiſſe; ſed Noſter recte, auctoritatem optimorum Hiſtoricorum veterum ſecutus, aſpidis morſu vitam ſibi finiiſſe, probat argumentis luculentis.

XXVIII.

XXVIII.

CAROLI A LINNÉ genera morborum in auditorum vſum publicata. Editio iterata; foras dedit et nomina Teutonica adiecit IOANNES CHRISTIANVS KERSTENS Med. et Philoſoph. D. et Prof. Ord. Kilon. Acad. Imper. Nat. Cur. Sod. Hamburg. et Guſtrauiae ſumtibus Buchenroederi et Ritteri 8. ſ. a. pl. 4.

Anno 1763. Vpſaliae prima huius libelli editio, vti ex proemio intelleximus, prodiit auctore Ill. LINNAEO, qui botanicorum ſyſtema et in medicina imitandum eſſe arbitratus eſt, et, dum vltra viginti annos b. SAVVAGES *) methodum in hac academia docuit et quotannis ſecundum recentiorum obſeruationes emendauit atque auxit; Ipſe conſtituit hoc ſyſtema morborum condere, ſecundum Sauuageſianum ſyſtema, quod ordine naturali, characteribus et perfectione, Ill. LINNAEO iudice, aliorum omnium methodos ſuperauit.

Cl. KERSTENS ea propter hunc valde rarum et vtilem librum tam ad definiendos morbos, quam ad recte intelligendam Ill. LINNAEI materiam medicam iterum vulgauit, ipſum opuſculum prorſus intactum reliquit, quaedam addidit e. gr. ſterilitatem, ac inprimis Suecicorum nominum in locum ſubſtituit Teutonica. Ita enim differt haec editio a priori, quae praeterea cum diſſertatione

 acade-

*) v. comm. noſtr. Vol. XII. p. 37. Referendum quoque hic eſt Cl. SAGAR ſyſtema morborum, tanquam additamentum ad Cl. SAVVAGES opus. v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 448. it. Cl. CVLLEN v. ib. Vol. XX. p. 716.

academicis amoenitatibus *) inſerta, exceptis Suecicis nominibus, quae addita ſunt ab Ill. LINNAEO omnino conuenire videtur. Nos vero, qui de his generibus morborum iam quaedam **) notauimus, hic ſolummodo Germanicorum nominum rationem habebimus.

p. 14. Appellatur Teutonice ſphacelismus, *Gottes-*
p. 15. *hand*, phlegmone *Fetthautentzündung*, cynanche *Kehlſucht*, ſyrigmos *Ohrenklingen*, lipothymia *Beſchweimelung*, asphyxia *Todtenohnmacht*, anosmia *Geruchloſigkeit*, atechnia *Reizloſigkeit zum Beiſchlaff*,
p. 28. hieranosos *Begeiſterung*, ephialtes *Alp Mahr*, cre-
p. 37. pitus *Windeplage*, galactia *Milchfluſs*, *Milchrinnen*, intertrigo *Wundſeyn*, *Frattſeyn*, *Wolf*, rhagas *aufgeſprungene Haut*, noma *um ſich freſſendes Geſchwür*
p. 38. cocyta *Höllenſtich Skott*, preſſura *Nagelſprung*, arctura *Nagelzwang*, *eingewachſener Nagel*, bacchia *Kupfer*, *Kupferhandel*, natta *Speck - oder Talggeſchwulſt*, clitorismus, *Kitzlersgeſchwulſt* cet.

Praeterea eſt hic additus index duplex latinus nempe, qui et deeſt in diſſertatione ſupra***) a nobis iam memorata et Teutonicus, quem Cl. KERSTENS adiecit et valde vtilem nos iudicamus.

*) Vol. VI. diſſ. 124. genera morborum Reſp. *Io. Schroeder* 1759. d. 5. decbr. p. 452. comm. noſtr. ſecund. decad Suppl. I. p. 25.
**) v. comm. noſt. l. c.
***) vid. ſupra.

XXIX.

Noua phyſico medica.

Academia ſcientiarum, artium et literarum *Divionenſis* pro anno 1777 propoſuit eandem quaeſtionem, quam iam annis 1771 et 74*) reliquerat virorum doctorum iudicio atque disquiſitioni praemio trium numiſmatum promiſſo. Atque concernebat haec ipſa quaeſtio mutationem et mixtionem acidorum in oleis et indolem variorum ſaponum, inde compoſitorum.

Hanc itaque quaeſtionem vel Latina vel Gallica lingua conſcribere Viris eruditis, qui hac de re agere velint cum academia, placebit. Tradendae ſunt elaborationes ante calendas Aprilis eiusdem anni Cl. MARET conſueto more. Singulum numiſma aureum erit trecentarum librarum valore, in cuius altero latere fundatoris Academiae Cl. PAVFFIER effigies, in altero autem Academiae huius ſymbolum eſt expreſſum.

Alterius quaeſtionis: in quibusnam nempe morbis medico agendum vel exſpectandum ſit, a nobis iterum iterumque eſt mentio iniecta**).

Pariſienſis Academia ſcientiarum Regia, praemium inſolitum 1200 librarum ad annum 1777 conſtituit *disquiſitioni et examini chemico Indigi, quo vtuntur in negotio tinctorio. (analyſe et l'examen chimique de l'Indigo, qui eſt dans le commerce pour l'uſage de la teinture.)*

Eadem extra ordinem, volente ita Rege, praemium 4000 librarum conſtituit ei, *qui inuenit celerrima et minus ſumtuoſa remedia in Gallia nitrum largiorem*

*) v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 708. Vol. XVII. p. 349. Vol. XVIII. p. 151.

**) vid. ib. Vol. XX. p. 144.

giorem in modum parandi, vt viſitationes in domis ſingulis, quae per iura licebant nitrariis, intermitti queant.

Addita ſunt praeterea duo *acceſſit*, vnum 1200 alterum 800 librarum.

Elaborationes Latina ſeu Gallica lingua ſunt ſcribendae et ante 1mum diem Aprilis 1777. mittendae. Praemium diſtribuetur poſt Paſchatos diem feſtum 1778.

Academia ſcientiarum et artium elegantiorum *Berolinenſis* ad annum 1777. quaerit:

Quae amplitudo angulorum definita praecipue generi cuiuis ſecretionum requiratur? Quomodo experimentis impetrari poſſit huius definitionis integritas atque veritas; quae inde celeritatis atque ſanguinis circumfluentis directio redundat; quod fundamentum huius rei firmis argumentis muniendae ſufficiat?

(Quelle eſt la grandeur déterminée de ces angles préférablement requiſe pour chaque eſpece de ſecretion? comment on peut le mieux parvenir par des experiences a fixer cette determination? et quelles ſont les modifications dans la célérité et dans la circulation du sang qui en réſultent? Ce qu' il faut appuyer sur des calculs dont les principes ſoient d' une ſolidité ſuffisante.)

Quae praeterea oportet curare, cum Academia hanc ipſam rem communicaturos, tanto ſecurius hic mittere poſſumus, quanto accuratius in ſuperioribus *) ſunt notata.

Regia *Gottingenſis* ſcientiarum ſocietas die 11 nouembris 1775, quo ipſo haec ſocietas fundata eſt, et annum vigeſimum et quintum fundationis celebra-

*) v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 547.

celebrabat, repetit quaeſtionem eamque diſtulit ad annum 1777, attinentem coryzam equorum *), quae vtrum contagioſa ſit, nec ne ex indubitatis experimentis atque tentaminibus certis ſocietas inprimis quaerit.

Miſſae quidem ſunt Societati tres elaborationes, penitus tamen voluntati Eiusdem non ſatisfaciebant. Quapropter eam quaeſtionem denuo tradidit ideoque elaborationes vult 1777. anno, vt tentaminibus, accuratione atque diligentia ſumma inſtitutis experientiaque vere confirmatis, quoad naturam et indolem equorum, quoad res externas, quae huic morbo quid tribuere poſſunt, quoad gradum morbi, et conditionem aliorum equorum, qui infecti ſunt nec ne, aliquid certi atque indubitati de infectione atque contagio coryzae equorum quis dicat.

Praemium eſt moneta duodecim aureorum Hollandicorum. Commentarii ante finem Septembris 1777. ſunt ita tradendi, vti alibi monuimus. Rogat ſocietas et eos ipſos, qui iam cum ea elaborationes huius rei communicarunt, vt denuo in eandem inquirant ideoque cum ſocietate agant; hac tamen cautione adhibita, ne leges ſocietatis laedantur.

Cl. ERNESTVS GODOFREDVS BALDINGER, ſocius exterus Electoralis Bauaricae Academiae ſcientiarum, quae Monachii floret, eſt electus.

Cl. HELL Societatis ſcientiarum Gottingenſis exterus factus eſt ſodalis.

Regiae ſocietatis ſcientiarum Gottingenſis ſodalis exterus nominatus eſt Cl. IOSEPHVS THADDAEVS KLINKOSCH **).

Expe-

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 552.
**) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 523.

Experientiſſimus FRIDERICVS AVGVSTVS GOTTLIEB KNOLLE a rege Poloniae archiatri honore eſt affectus.

Domum obſtetriciam conceſſit Senatus Holmienſis communem partui feminarum pauperum et virginum, a quibus humani quid non fuit alienum, praeceptis ſaluberrimis munitam.

Cl. DESAVIE pharmacopaeus Leodinus viam inuenit ferri in infinitum diuidendi et iungendi rebus ad eius vim contra morbos augendam atque facilitandam idoneis.

Illuſtris profecto Pater FOVRCAVLT die 3. augusti 1775. quinquageſimo ſeptimo aetatis anno *Florentiis* in monaſterio Minimen morbo neruoſo ex hac vita diſceſſit. Burgundiae natus eſt et inprimis corporum naturalium conſeruatione in muſeis admodum clarus. Et quamquam huic ipſi ſtudio ſeptimo et vigeſimo aetatis anno ſeſe dicarat, tamen illud ſine omni duce egregie coluit et auxit. Arcebat non ſolum vermes a corporibus in muſeis ita, vt eorum natura, ſtructura, color minime laederentur; ſed etiam aues inprimis in cylindrum vitreum per valde anguſtum orificium ingerere, illaeſa earum forma didicerat, quem hermetice ita claudebat, vt nec aër, nec puluis, nec humiditas eas corrumpere poſſet, ſed viuae quaſi ſine vlla labe conſeruarentur. Eſt quoque huius ipſius artificii cauſa a multis Academiis e. gr. Pariſina, Lugdunenſi, Diuionenſi, Bononienſi cet. ſocius electus atque nominatus.

Anno 1767. Parmam vocabatur et eadem ratione, eodem ſucceſſu, eademque omnium admiratione

qua-

quadrupeda animalia apta reddidit ad conſeruationem in muſeis.

Maximum profecto opus artificioſum, ab EO confectum, eſt piramis viginti et quatuor cylindrorum vitreorum, quae multas aues continet et cuius deſcriptionem in diario hiſtorico *), quod prodiit Francoforti ad Moenum, inuenient huius occupationis amici.

Haec omnia ad magnitudinem huius viri pertinent, augetur autem haec ipſa tanto vberius, quanto glorioſius egit in eo, quod ars haec cum EO non pereat. Tradidit enim Academiae ſcientiarum Pariſinae hanc eandem integram atque permiſit benigne illam poſt mortem ſuam vulgare.

Londini Gothorum die 28. nouembris 1775 Cl. GVSTAVVS HARMENS medicinae doctor et phyſicae experimentalis profeſſor anno aetatis ſeptuageſimo ſexto mortuus eſt.

Halae hoc ipſo 1775 anno mortuus eſt IOANNES AVGVSTVS GRÜNDLER Academiae naturae curioſorum Berolinenſis ſodalis, aeris inciſor et vti in hiſtoria naturali, ſic potiſſimum in inſectorum cognitione bene verſatus. Communicauit quoque ſuas obſeruationes cum viris eruditis **); Eiusque memoria legi poteſt in actis Societatis naturae curioſorum Berolinenſis ***), quae proxime indicabimus.

*) v. *III. Th. II. B.* 1772. S. 863.
**) v. *Naturforſcher. Halle.* 1774.
***) Vol. I.

Memoria

Memoria NICOLAI ROSENII A ROSENSTEIN, Archiatri Potentiſſimi Regis Suecorum, Equitis ex ordine a Stella boreali dicto, et regiae Academiae apud Holmienſes Sodalis.

Quemadmodum hominis perinepti et ridiculi eſt, nil mirari et alicuius aeſtimare pretii, niſi alienum et quod ab externis nationibus ad nos eſt profectum: ita quoque non minus ineptum eſt habendum, domeſtica tantum mirari. Patriotiſmus enim, cuius veram naturam ii plane ignorare videntur, qui eum vbique, etiam in quaeſtione de bonis litteris ac diſciplinis, tantopere iactant, non eam debet habere vim, vt domeſtici libri tantum legantur, et populares tantum docti aeſtimentur, externi vero et libri et auctores ſpernantur, et tanquam fungi inertes repudientur. Litterarum enim et artium patria propria nulla eſſe debet, ſed vbiuis terrarum coli et poſſunt et debent. Quod ſi enim haec inſania, quae hac aetate quorundam male ſanorum cerebella vexat, latius ſerperet, pluresque contagione quadam inficeret, vt tantum litterarum domeſticarum, h. e. quae a ſuo cuiuſque populare vel inuentae et excultae, vel certe ſermone matrio illuſtratae ſunt, haberetur ratio: breui metuendum eſſet, ne vel barbaries, vix e finibus noſtris expulſa, reuocaretur, vel multa eaque longe praeſtantiſſima, ignorarentur bona et inuenta, quae exteris debentur hominibus. Litterarum enim tot ſunt genera, rerumque natura ſaepe tot inuolucris abdita latet, vt omnium nationum commune debeat eſſe ſtudium ac commercium, vt verum, quod ſit, inueniant, idque recte et perſpicue explicent. Atque ſane ſi vlla vnquam reperitur ars et diſciplina, quae multo-

multorum hominum et diuerſis in locis degentium operam induſtriamque poſcat: eſt ars medica habenda, quae vt obſeruationibus primum eſt nata, ſic iiſdem debet coli et perfici. Igitur nos quidem hoc in genere, ab omni patriotiſmo alieni, non minus exterarum gentium homines eruditos colendos aeſtimandosque cenſemus, quam domeſticos, ſi qui ſunt, qui recte coli laudarique poſſint.

Quare etiam memoriam viri celeberrimi, et de quibuſdam artis medicae partibus egregie meriti, NICOLAI ROSENII A ROSENSTEIN recolendam libentiſſime ſuſcepimus; qui quamquam natione Suecus, et in Suecia vixit et mortuus eſt, ſcriptis tamen externis profuit plurimum. Hic vir praeſtantiſſimus autem natus eſt, anno huius ſeculi ſexto, patre ERICO ROSENIO, qui tum apud cuiuſdam ordinis milites ſacra adminiſtrabat, viro bono et docto, atque matre ANNA, ex antiqua gente Wecandria, quae olim non paucos tulerat ſacrorum antiſtites. Quae matris prima ac praecipua cura eſſe debet, niſi grauiſſima obſtent impedimenta, hoc eſt, ſuum quamque fetum lactare atque nutrire, eam illa ANNA neutiquam negligendam eſſe exiſtimauit, quamuis a barbara et inhumana noſtri ſeculi mollitie tale officium alieniſſimum eſſe videbatur. Quemadmodum autem mater in corpuſculo pueri alendo nutricis vices obibat: ita pater in ingenio ad litteras formando et moribus ad virtutem fingendis fidelis magiſtri munere fungi ſedulo ſtudebat.

Hanc parentis curam ſingularem expertus eſt Noſter vſque ad duodecimum aetatis annum, a quo in Gymnaſium Gotheburgenſe eſt miſſus. Ibi biennio abſoluto, in litterarum Vniuerſitatem, quae Londini Scaniorum floret, migrauit. Pater, qui

 cupie-

cupiebat, filium Theologiae ſtudium amplecti, eum fidei et curae ANDREAE RIDELII, qui eo tempore Theologiae erat Profeſſor, antequam epiſcopus fieret, commiſit. Verum Noſter cum inde a prima pueritia inprimis Medicinae ſtudio captus eſſet: inſciente patre clam, quantam poterat, operam dabat arti medicae diligenter diſcendae; nec repugnante RIDELIO, quippe qui non ignorabat, raro fieri poſſe, vt quis in arte aliqua, ad quam tractandam inuitus accedat, mediocriter proficiat, ſed docilitatem facilitatemque diſcendi inprimis pendere ab ingenio procliui ad ſtudium, quod quis ſuſceperit. Igitur ROSENIVS, praeter Philoſophiam, cuius praeceptore vtebatur RIDELIO ſuo, et praeter mathematicas diſciplinas, quae tradebantur a QVENSELIO, in vniuerſa arte medica percipienda fideli opera vſus eſt QVILIANI STOBAEI, quem et poſtea ſemper maximi fecit coluitque vehementer. Quadriennio hic ita tranſacto, cum non haberet, vnde ſatis commode viueret: Holmiam anno 1724. ſe conferre iuſſus eſt, vt ibi et pueris inſtituendis victum ſibi pararet commodius, et forte eo citius munuſculum aliquod publicum nanciſceretur. Hic quoque ſtatim educatio filiorum SANDBERGII Conſiliarii imperialis, et RIBENII Archiatri regii eius fidei curaeque eſt commiſſa. Caeterum quoque ſcribendo et libros vertendo (nam tum quoque iſte labor haud contemnendum miſerorum litteratorum videbatur eſſe refugium) ita ſuae rei familiari conſuluit, vt ſatis idoneam librorum vtilium ſibi pararet ſupellectilem. Sic vitam ſatis commode tranſegit priuatus vſque ad annum ſeculi duodetrigeſimum; vbi obitu PETRI MARTINI Aſſeſſoris locus Adiuncti Facultatis medicae in Academia Vpſalienſi relictus eſt: in quem vt ſuccederet, inprimis opera RVDBECCII Archiatri regii et Profeſſoris, viri prudentiſſimi,

factum

factum eſt. Igitur Noſter vt ſpecimen doctrinae, inaugurationis gratia, ederet, publice tum ſub praeſidio ROBERGII diſputationem defendit *de vſu methodi mechanicae in Medicina.* Quo facto, demum patri, qui filium adhuc ſemper Theologiae cultorem miniſteriique eccleſiaſtici candidatum putauerat, aperuit, quis eſſet, et cui rei operam adhuc dediſſet.

Verum cum non ignoraret, quanta vtilitas ex itineribus recte inſtitutis redundaret inprimis ad Medicinae cultores; oblata rei opportunitate, decreuit vna cum Comite MAVRITIO POSSENIO regiones tranſmarinas adire. Igitur iter ſic eſt inſtitutum, vt per Gryphiswaldiam, Stettinum, Berolinumque peteretur Lipſia. Vbi poſteaquam aliquamdiu moratus eſt, inde ſe contulit Noſter Halam, vt HOFFMANNVM in Medicina practica, in Anatomia BASSIVM, et in Chemia audiret STABELIVM. Verum nondum anno elapſo rediit Lipſiam, non tam vrbis amoenitate, litterarumque omnis generis, quibus ſemper haec Academia floruit, copia captus, quam inprimis PLATNERI exquiſita doctrina et humanitate delinitus. Hinc nobiliora Germaniae, Heluetii Galliaeque oppida adiit, donec Lutetiae Pariſiorum aliquamdiu reſtitit, non luxu et mollitie incolarum retentus, ſed WINSLOWII, HVNALDI, GROSSII aliorumque celeberrimorum tum nominum doctrina captus. Inde Belgium adeundum eſſe ſtatuit, atque ob MVSCHENBROCHIOS, BOERHAAVIOS, ALBINOS, GRAVESANDIOS, CLERICOS, aliosque viros longe doctiſſimos et experitiſſimos in nonnullis vrbibus diutius eſt commoratus, et tandem Harderouici, praeſide GORTERO, ad ſummos in arte Medica honores conſequendos, quibus ob exquiſitam doctrinam

dudum dignus fuerat, defendit Diſputationem de *hiſtoriis morborum conſcribendis.*

aqua in vitro aſſeruata diu colorem ſuum coeruleſcentem odoremque ſulphureum retinet. Hinc, vt Cl. Auctor recte concludit, hepar ſulphuris in ea perfecte ſolutum eſſe debet. Sedimentum deponit, quod ex paſta ſulphurea conſtat, nec non aliud terreae magis ſeu ſeleniticae indolis, ex quo forte lapis ille Tiburtinus, ex quo Romae aedificia plura exſtructa ſunt, formatus eſt. Plantae et alia corpora peregrina, ab hac aqua in ſuo decurſu tacta, tophacea hac maſſa obducuntur, quae cryſtallos minores in iis format. In ripa quoque huius riuuli lapilli illi tophacei reperiuntur, qui vulgo ſub nomine *tragematum Tiburtinorum* (*Confetto di Tiuoli*) in muſeis curioſorum occurrunt. Locum deinde Cl. Auctor deſcribit, ex quo riuulus hic oritur. Si lapis vel aliud corpus in illum iniicitur, plures bullae aëreae per ſatis longum tempus ex fundo ad ſuperficiem aquae adſcendunt. De inſulis natantibus in hoc lacu reperiundis eadem fere, quae alii itinerariorum Auctores, Noſter habet. Calor huius aquae calorem atmoſphaerae non multum ſuperat. Adduntur experimenta quaedam chemica, a Cl. CADET cum hac aqua Pariſiis inſtituta, quae probant hepar ſulphuris terreſtre in ea contineri. Aqua hac in phiola diu aſſeruata, inflammabilis ſulphuris pars auolat, acidum vero vitriolicum cum baſi alcalina terrea ſe coniungit et ſal neutrum ſeleniticumque concrementum producit.

2. Cl. DE LA LANDE *Obſeruationes de parallaxi ſolis ex obſeruationibus tranſitus Veneris per diſcum Solis* a. 1769. *inſtitutis.* p. 9.

3. Cl. LE SAGE *examen chemicum lapidis calaminaris in comitatu Sommerſettenſi et Nottinghamenſi* p. 15.

Angliae effoſſis. Haec nonnunquam cryſtalliſata eſt ideoque vt Auctor Cl. putat pro *zinco cryſtallino* Cel. LINNAEI haberi debet. Si deſtillatio eius ope acidi vitriolici affuſi inſtituitur, acidum marinum tranſit, quo zincum in dicto lapide mineraliſatum eſt. Si vncia huius zinci cum vncia vna ſalis ammoniaci deſtillatur primo, alcali volatile et deinde liquor aliquis adſcendit, qui frigefactus in maſſam ſolidam, griſei coloris et ſemipellucidam tranſit, quae cum butyro antimonii fere conuenit, atque vt illud aëri libero expoſita deliqueſcit. Si aqua vero affunditur, nulla praecipitatio oritur, vti hoc, ſi butyrum antimonii cum aqua commiſcetur, fieri ſolet. Butyrum hoc verum ſalem ammoniacum continet et ideo minus cauſticum eſt.

p. 24. 4. Cl. CASSINI *Obſeruatio et theoria cometae* a. 1769, *obſeruati.*

p. 35. et 45. 5. Cl. FOVGEROVX *Commentarius I. et II. de petroleo Parmeſano.* Puteos Cl. Auctor deſcribit, ex quibus illud hauritur. Album et rubrum ex diuerſis tamen fontibus oritur, interim tamen deſtillatione petrolei rubri cum aqua facta, illud etiam album fit. In pluribus horum puteorum petroleum purum, nec cum aqua commiſtum, colligitur. Veſtigia quoque montium igniuomorum, in hac regione reperiundorum, deſcribit Noſter et varios locos indicat, vbi inflammabilis vapor aſſurgit, aut verus ignis ſemper ardet, qui vapore petrolei ſubtili adſcendente alitur. Similem vaporem inflammabilem Cl. Auctor obtinuit, cum terram et petroleum miſceret, et vas, in quo haec mixtura erat, igni imponeret. In vniuerſum petroleum e vegetabilibus oriri, ex plantarum reliquiis in locis, ex quibus vapor inflammabilis aſſurgit, reperiundis Noſter concludit.

6. Cl.

6. Cl. LE ROY *de conductoribus metallicis, quibus fulmen ab aedificiis arcetur.* p. 53.

7. Cl. IARS *de ratione, qua in Anglia Minium praeparatur.* Ignis lithanthracum ope alitur, ligni enim flamma nullum minium obtinetur. *Ceruſſa citrina* ſeu *Maſſicot* ex plumbi cineribus per viginti quatuor horas calcinatis oritur; deinde vero in mola comminuitur, lauatur et ſubtiliſſimus puluis iterum per triginta ſex ad quadraginta octo horas calcinatur. Poſt calcinationem minium primo colorem profunde rubrum oſtendit, qui poſt breue tamen tempus in coccineum mutatur. p. 68.

8. Cl. LAVOISIER *Commentarius I. de natura aquae et experimentis variis, quorum ope illius in terram mutationem probare nonnulli voluerunt.* Duplici via hac in re Auctores proceſſerunt, et poſſibilitatem mutationis aquae in terram, partim ex vegetatione plantarum in ſola aqua, partim ope deſtillationis variarumque aliarum operationum chemicarum probare voluerunt. HELMONTIVS primus eſt, qui cum vegetatione aquarum in aqua pura experimenta inſtituit. Hunc plures alii ſecuti ſunt, ex quibus BOYLEVM, ELLERVM et BONNETVM nominaſſe ſufficiat, qui omnes plantas in terra aqua pura humectata laete creſcere viderunt, ſine eo, quod terrae aliquid de pondere ſuo decederet. Interim vt Cl. Auctor probat, aquam vere in terram plantarum mutari ex his experimentis non ſequitur, cum vel non debitis cum cautionibus inſtituta ſint, vel pondus terrae ex planta combuſta collectae, parum tantum auctum ſit, atque magno tandem nutrimenti vegetabilium copia ex aëre attrahatur. Iam quod experimenta chemica attinet, quibus aquae in terram p. 73.

 mutatio-

nem probare tentarunt, BORRICHIVS et BOYLEVS primum aſſeruerunt, aquam deſtillatione in terram mutari poſſe, quos MARGGRAFFIVS et ELLERVS inprimis ſecuti ſunt *). Putauit quidem, vt Noſter refert, Cl. LE ROY, terram, quae, repetita deſtillatione aquae, ſemper in fundo remanet, iam aquae et quidem tam arcte inhaeſiſſe vt non niſi pluribus deſtillationibus ab aqua ſeparari potuiſſet. Sed cum quantitas terrae, quae ab aqua in deſtillatione ſecedit, ſemper eadem maneat, nec vnquam terminus inuentus ſit, quo haec ſeparatio non amplius accidat, haec ſententia veritati minus conſentanea eſſe videtur. Hinc Cl. Auctor concludit, originem terrae, quae, ſi aqua ſaepius deſtillatur, remanet, obſcuram adhuc eſſe.

p. 83. 9. *Obſeruationes tranſitus Veneris per diſcum Solis* a. 1769, a Cl. CHAPPE *in California inſtitutae, quibus aliae obſeruationes ibidem ab* EODEM *factae additae ſunt.* Omnes has obſeruationes Cl. CASSINI DE THVRY in epitomen redegit.

p. 90. 10. *Secundus Commentarius* Cl. LAVOISIER *de natura aquae et experimentis, quibus nonnulli Auctores aquae mutationem in terram probare tentarunt.* Aquam pluuialem puriſſimam Cl. Auctor per octo vices deſtillauit ſemperque terrae portionem obtinuit. Tunc Cl. Auctor hanc aquam vaſi vitreo ex eo genere, quod Pelicanum vocant, includit et per 101 dies perpetuo in calore ſexaginta vel ſeptuaginta graduum thermometri Reaumuriani (cuius gradus 85 calorem aquae ebullientis aequat) ſeruauit. Duobus circiter menſibus elapſis aqua haec ſenſim turbida facta eſt, tandemque

*) vid. Mém. de l'Acad. de Berlin 1746 et 1756. conf. comm. noſtr. Vol. VII. p. 701.

que ſedimentum terreum, quod pondus quatuor drachmarum et nouem granorum habebat, depoſuit. Ipſam aquam deinde Noſter euaporauit et iterum 15 drachmas et quinque grana terrae obtinuit. Vas autem vitreum, in quo aqua fuerat, 17 drachmas et 3—4 grana de pondere ſuo amiſerat, vt itaque terra haec non ex aquae in terram mutatione, ſed ex ſolutione vitri in aqua orta ſit. Parua enim portio terrae, quae maior eſt, quam id, quod alembicus de pondere ſuo amiſerat, ex ſolutione vitri vaſorum, in quibus poſt deſtillationem per aliquod tempus ſtetit, aut ex aquae cum terra in euaporatione combinatione oriri videtur. Terra ipſa ex hac aqua, diu calori expoſita, collecta, cum acidis leniter quidem efferueſcit, ſed immutata in fundum vaſis deſcendit, nec in igne fortiſſimo liqueſcit.

11. Ill. DE CONDORRET *Commentarius de aequationibus differentiarum finitarum.* p. 108.

12. Cl. MORAND *de conformatione monſtroſa digitorum humanorum.* Notum eſt ſaepe numerum digitorum manus pedisque ex monſtroſa conformatione ita augeri, vt ſex vel plures eorum numerentur. Cl. hic Auctor fuſe de variis ſpeciebus horum digitorum ſuperfluorum, quae ſaepe in vna eademque familia per haereditatem quaſi propagantur, exponit, pluresque de iis obſeruationes anatomicas addit. Inprimis pedem deſcribit in quo octo digiti numerabantur. Ex his concludit cum WINSLOVIO et HALLERO, monſtroſam hanc fabricam iam a prima oui conformatione pendere. Amputatio digitorum horum, quae a chirurgis nonnunquam deſideratur, facillima eſt, atque pro varia conformatione digiti amputandi, vel in articulo vel extra articulum fieri debet. p. 137.

13. Ill.

p. 151. 13. Ill. CONDOPCET, *de aequationibus differentiarum partialium.*

p. 179. 14. Cl. LE MONNIER, *de longitudine Inſulae St. Dominicae.*

p. 183. 15. Cl. PORTAL *Obſeruationes anatomicae de fabrica partium, generationi in mulieribus inſeruientium.* Varias obſeruationes hic commentarius continet, quae vteri fabricam ſitum cet. concernunt. Pollicetur tamen Cl. Auctor ſe ſequentibus commentariis etiam plures circa externa genitalia obſeruationes traditurum eſſe. Situs vteri in diuerſa aetate variat, in fetu trium vel quatuor menſium ſupra peluim ſitus eſt, ita vt linea ab oſſe pubis ad os sacrum ducta, collum tantum vteri paullo tangat. In puellis contra recens natis paullo profundius in peluim deſcendit, ſemper tamen ſupra marginem eius ex parte eminet. A decimo quinto ad trigeſimum quintum aetatis, annum ſub oſſibus pubis ſitus eſt, ac in vetulis longe profundius in peluim ſe immergit. Item de axi vteri valet, quae in fetu fere perpendicularis eſt, in vetulis contra horizontalem fere ſitum obtinet. Omnis tamen haec ſitus huius viſceris varietas, a peluis conformatione et amplitudine ſenſim per aetatem aucta pendet. Nec minorem differentiam vteri figura in diuerſis aetatibus oſtendit. Ea enim in fetu et puellis priſmatica, in adultis contra triangularis et in vetulis iis etiam, quae non pepererunt, inaequaliter rotundata deprehenditur.

Color etiam vteri in diuerſa aetate variat, quod HARVAEVS primus et, vt Auctor Cl. aſſerit, ſolus obſeruauit. Albus is enim in fetu, ac ruber in puella nubili eſt, in vetulis vero iterum palleſcit.

p. 185. Ligamenta deinde vteri Auctor Cl. deſcribit. In

grau-

grauiditate duplicata peritonaei lamina ligamentorum latorum prope vaginam paullulum a ſe inuicem recedit et plicae nonnullae a peritonaeo formatae euaneſcunt, vt itaque ligamenta haec etiam expanſioni et euolutioni (*dévelppement*) vteri in grauidis inſeruiant. Ligamenta vteri lata peluis cauitatem in duas minores, cauitatem anteriorem ſcilicet et poſteriorem, diuidere notum eſt. Ex his cauitatibus in adultis anterior minor eſt, quam poſterior. Contrarium vero in puellis euenit. Pendet autem haec diuerſitas, a diuerſa amplitudine et capacitate peluis et maiore vel minore oſſis ſacri in peluim prominentia, quae in adultis et minoribus diuerſa deprehenditur. A lamina peritonaei, quae vterum exterius inueſtit, plures productiones celluloſae ſatis fortes inter ipſas vteri fibras muſculoſas ſe demergunt et vaſorum vterinorum ramos maiores eodem fere modo inueſtiunt, vti id in ramis venae portarum, qui ſubſtantiam hepatis intrant, a capſula ſic dicta GLISSONII fieri ſolet. Nonnunquam haec tela celluloſa, quae vaſa vteri maiora comitatur, pinguedinem vel aquam etiam continet. Ligamentorum vteri poſteriorum inuentionem, quam Cl. PETIT *) ſibi tribuit, Cl. Auctor ad HENRICVM AB HERMONDAVILLE, medicum et anatomicum ſeculi decimi tertii refert, qui in Gallia anatomen docebat et cuius chirurgia manuſcripta in Bibliotheca regia Pariſina latet **). Octo enim hic ligamenta vteri enumerat. GABRIEL vero DE ZERBIS, qui ſub finem ſeculi decimi quinti vixit, plenius adhuc

*) vid. Hiſt et Mém. de l'Acad. Roy. de Paris 1760 pag. 288. Comm. noſtr. Vol. XIV. pag. 597.

**) vid. quoque Ill. HALLERI Biblioth. anat. T. I. pag. 143.

huc de iis ſcripſit. Porro a Cll. Viris LE VASSEVR et PICCOLHOMINI, inprimis vero a SANTORINO et GÜNZIO accuratiſſime deſcripta fuerunt, ita vt earum inuentio non noua ſit. His expoſitis Cl. Auctor de figura internae cauitatis vteri, quae etiam in diuerſa aetate admodum variat, nec non de lineis eminentibus in ſuperficie interna vteri exponit, quae, vti notum eſt, figuram quaſi arboris referunt. Veſiculae ſeu excreſcentiae in ſuperficie interna vteri exſurgentes (*ovula* forte NABOTHI), in vetulis frequentiſſime obſeruantur. Interna vteri ſuperficies valde irritabilis et magis quidem quam externa eſt, quod etiam de corde per experimenta SENACI et HALLERI valet.

p. 191. 16. Ill. DE CONDORCET *de aequationibus differentialibus.*

p. 231. 17. *Obſeruatio contactus interni diſci Veneris cum diſco ſolis*, a Cl. BOCHART DE SACON *facta.*

p. 233. 18. Cl. LE MONNIER *Supplementum obſeruationum Vere* 1735, *inſtitutarum.*

p. 236. 19. *Variae obſeruationes anatomicae*, Auctore Cl. PORTAL. Prima harum obſeruationum Cl. Auctor de ea iſchuria exponit, quae in ſenibus haud raro ex calloſitate et induratione veſicae (*racorniſſement*) oritur et cuius apud alios Auctores fere nullam mentionem fieri Cl. Auctor putat. Scilicet in pluribus ſenibus dyſuria et iſchuria antea afflictis, veſicam vrinariam, inprimis vero eam partem illius, quae collum vocatur, in omni ſuo ambitu ita calloſam et anguſtatam vidit, vt neceſſario hac re exitus vrinae plane praecluderetur. Aſſerit Cl.

Cl. PORTAL huius craſſitiei veſicae praeternaturaliter auctae inter cauſſas iſchuriae a nullo Auctore mentionem fieri *).

Altera Auctoris Cl. obſeruatio *ſpinam* ſic dictam *bifidam* ſpectat. Probat autem ſedem aquae in hoc morbo in canali eſſe, qui per omnem medullam ſpinalem deſcendit, et de quo recentiores anatomici ſilent, licet COLVMBVS et CAROLVS STEPHANVS iam eum deſcripſerint. Canalis hic, vti Cl. Auctor putat, alterno motui medullae ſpinalis fauet, quae vti encephalon alternis vicibus ſurgit et iterum ſubſidet. Tertia obſeruatio de hydrope particulari ventriculorum cerebri exponit. Vidit Cl. Auctor aquam limpidam in vno et ſanguinolentam in altero ventriculo, quae non inter ſe miſcebantur, vt itaque in naturali ſtatu omnino nulla communicatio inter vtrumque ventriculum anteriorem locum habeat. Gibberis deinde ſingularem ſpeciem Cl. Auctor deſcribit, in quo coſtae ſpuriae in ſiniſtro latere introrſum preſſae erant. Aegra diu de dolore pedis ſiniſtri poſt cibum adſumtum conqueſta erat, quod Cl. PORTAL preſſioni neruorum a colo flatibus diſtento adſcribit. Addit quoque varia de noxis thoracum. Circa inaequalem ventriculorum cordis amplitudinem, de qua tantae inter diſſectores lites ortae ſunt, Cl. Auctor monet, eam in diuerſa aetate differre. In fetu enim ſiniſter ventriculus dextro amplior, in pueris vero magnitudo vtriusque ventriculi aequalis eſt, cum in adultis dexter ventriculus ſiniſteriorem

p. 238.
p. 240.
p. 242.
p. 244.

*) Interim nuper etiam de hac re Cl. GILCHRIST, in *Edinb. Phyſ. and. Med. Eſſ.* Tom. III. n. 21. eleganter expoſuit, et medendi etiam methodum indicauit.

rem magnitudine ſuperet. Diuerſitatis huius cauſa in ea differentia poſita eſt, quae ratione circulationis et copiae ſanguinis ad ventriculum vtrumque accedentis, inter fetum et adultum locum habet.

p. 246. Addit tandem Cl. PORTAL quaſdam obſeruationes myologicas. In his primo de muſculis ligamentorum capſularium ſeu iis fibris muſculoſis exponit, quae ligamentis capſularibus adnectuntur, et ſub motu membri capſulam ita eleuant, vt non inter vtrumque os ea comprimi poſſit. Deſcribit vero inprimis mechaniſmum harum fibrarum in articulo humeri, cubiti, femoris cet. In nonnullis aliis articulationibus non peculiares muſculi, ſed fibrae nonnullae aliorum muſculorum capſulae articulari implantatae, huic fini inſeruiunt. Ex muſculis ſerratis poſterioribus faſcia aponeurotica oritur, quae muſculos longos dorſales coercet et luxationem eorum impedit. Cl. Auctor in homine ex caſu ab alto tumorem ſatis durum in dorſo ad octauam, nonam et decimam coſtam cum ſummo dolore aegri oriri, illoque tandem inter vehementiſſimas conuulſiones demortuo, in ſectione cadaueris faſciam hanc diſruptam vidit. Per rupturam vero pars muſculi longiſſimi dorſi egrediebatur et ab fibris faſciae ſtringebatur. In ſimili caſu inciſionem tumoris et dilatata ruptura reductionem fibrarum fieri debere, Cl. Auctor monet. Vltima obſeruationum myologicarum, de origine muſculorum rectorum oculi Cl. PORTAL diſputat. Rectus internus, inferior et externus, in origine ad nerui optici foramen in vnum tantum tendinem tenuem et breuem vniuntur, qui margini inferiori et poſteriori foraminis optici adhaeret. Rectus contra ſuperior et eleuator palpebrae ſuperioris in alium communem tendinem coëunt, qui margini ſuperio-

ſuperiori et anteriori foraminis optici inſeritur. Ex hac deſcriptione confirmatur, quod iam alii annotarunt, originem horum muſculorum non, vti VALSALVAE fuit opinio, annulum circa neruum opticum formare.

20. Cl. FOVGEROVX *de natura ſtratorum montis prope vrbem* St. Germain en Laye. Strata huius montis deſcribit, qualia ea, cum foſſa ſatis profunda excauaretur, reperta ſunt. Fruſtulum ligni bituminoſi ſatis profunde vna cum pyritibus effoſſum eſt, gagati ſimile, quod gagatem vegetabilis eſſe originis confirmat. p. 252.

21. *Elementa orbitae cometae* a 1770. *Auctore* Cl. PINGEE. p. 255.

22. Cl. DU SEIOUR *noua methodus calculandi eclipſes ſolis* cet. Commentarius IX. p. 257.

23. Cl. PORTAL *obſeruationes circa ſtructuram ductus thoracici et ciſternae lumbaris*. Ciſternam ſic dictam lumbarem, ſeu receptaculum chyli a PECQVETO propoſitum, in homine adeſſe negat, cum vaſa lactea non in vno eodemque loco, ſed diuerſis et lineas aliquot diſtantibus ductum thoracicum ingrediantur. Ibi vero, vbi in eum inſeruntur, inter ſe tela celluloſa ita coniunguntur, vt diuerſas eleuationes ac depreſſiones forment, atque tota fabrica formam veſicularum ſeminalium aëre turgidarum aliquo modo referat. Fuſius Cl. Auctor hanc vaginam celluloſam, confluxum vaſorum lacteorum inueſtientem, deſcribit monetque hanc fabricam effeciſſe, vt nonnulli hoc loco receptaculum aliquod peculiare in homine adeſſe putauerint, in primis cum ſaepe vnum vel alterum p. 393.

 horum

horum vaſorum varicoſum ſit. In cane vero, in quo PECQVETVS ſuas obſeruationes inſtituit, omnino tale adeſt, ac in ſciuro et ſimia, ſecundum Cl. FERREIN plura eiusmodi receptacula reperiuntur. Nonnulli piſces ad *amphibiorum* claſſem LINN. pertinentes, vt *Lophius* vel *Rana piſcatrix*, duos ductus thoracicos, *Delphinus* vero ſeptem habet. Plures alias leuioris momenti obſeruationes omittimus. In cadauere, cuius glandulae meſaraicae obſtructae erant, vaſa quoque lactea, ibi, vbi in ductum thoracicum inſeruntur, materia gypſea repleta erant. In cane ductus thoracicus fere ſemper duplex eſt. Addit Cl. Auctor vaſorum lymphaticorum pectoris ſatis amplam deſcriptionem. Valuulae ductus thoracici aëris impulſui non perfecte reſiſtunt. Monet Cl. Auctor eas etiam ductum hunc firmiorem reddere et expanſioni eius reſiſtere. Plures quoque varietates in numero harum valuularum obſeruauit.

p. 403. 24. Cl. DE LA LANDE *commentarius de diametro Solis, in calculo tranſitus Veneris per diſcum Solis adhibendo.*

p. 406. 25. IDEM *de prolongatione obſcura diſci Veneris in eius per diſcum Solis tranſitu obſeruato.*

p. 413. 26. Cl. PORTAL *obſeruationes anatomicae in* Phoca vitulina LINN. *inſtitutae.* Deſcriptionem partium huius animalis, quam olim Cl. PERRAVLT dedit, emendat et variis annotationibus auget. Ventriculus dexter minor et craſſior eſt ſiniſtro, atque orificium arteriae pulmonalis quinque valuulis inſtruitur. Retro has valuulas ſinus quinque, Valſaluianis in homine exiſtentibus ſimiles, et in ipſis valuulis Arantiana tubercula deprehen-

prehenduntur. Valuulae vero inter auriculam dextram et ventriculum dextrum, non in lacinias diviſae ſunt, ſed annulum formant. Auricula ſiniſtra in phoca duas tantum valuulas et aorta tres habet. Orificia arteriarum coronariarum ſupra has valuulas poſita deprehenduntur. Aorta poſt egreſſum in ampliſſimum ſinum dilatatur. Foramen ouale in hoc animali apertum et valuula munitum, canalis vero arterioſus, quod mirum, coalitus erat. Venae pulmonales amplitudine et numero arterias huius viſceris ſuperant. Annuli aſperae arteriae cartilaginei perfectos circulos formant. Reliqua minoris momenti ſunt.

27. *Obſeruationes tranſitus Veneris per diſcum Solis* in California a Cl. CHAPPE *inſtitutae.* p. 416.

28. *Obſeruationes metallurgicae circa ſeparationem metallorum.* Commentarius I. Auctore Cl. IARS. p. 423. Modum primum deſcribit Cl. Auctor, quo ex cupro, quod paruam argenti portionem continet, addito plumbo argenti portio per praecipitationem educi poteſt. Vtitur hac in re obſeruationibus Celeberrimi Chemici et Metallurgi CRAMERI, qui tunc temporis Blankenburgi adhuc viuebat. Plumbo cum cupro fuſo et maſſa refrigeſcente, cuprum primo coit et plumbo innatat, plumbum vero liquidum et argentum cum eo ob affinitatem chemicam remixtum manet. Repetitis poſtea fuſionibus, in qua ferri pyrites et ferrum deinde ipſum cum lithargyrio additur, vlterior ſeparatio argenti obtinetur.

29. Cl. VAVCANSON *commentarius ſecundus de modo fila ſericea ducendi.* p. 437.

p. 457. 30. *Variationes acus magneticae Pariſiis obſeruatae* a Cl. MONNIER.

p. 467. 31. *Determinationes refractionis et diſperſionis radiorum in vitro Venetico* (Crown glaſs) *et cryſtallino albo Anglico* (Flint glaſs), Auctore Cl. JEAURAT.

p. 887. 32. *Deſcriptio itineris* a Cl. PINGRE' *in Americam ſuſcepti.* Obſeruationes tantum aſtronomicas, geographicas et nauticas continet.

p. 514. 33. *Obſeruationum metallurgicarum circa ſeparationem metallorum*, Auctore Cl. IARS, *Pars altera* Mineras, quae cuprum et argentum ſimul continent, non cum plumbo ſed cum plumbi mineris et carbonum puluere fundit. Si nullae plumbi minerae adſint, in prima fuſione pyrites, in altera vero lithargyrium, tandemque ad reductionem plumbi calx et carbones addi debent. Sicca, vti aiunt, via aurum ab argento et cupro additis pyritibus Noſter ſeparat.

p 526. 34. Cl. LE ROY *adnotationes de aërometris.*

p. 540. 35. Cl. IARS *obſeruationes circa fodinas in vniuerſum et in ſpecie de fodinis, quae in prouincia Angliae* Cornubia *reperiuntur.* Stanni et cupri fodinas huius inſulae accurate deſcribit. Stannum natiuum, quod ante aliquot annos ibidem in locis, vbi plura fragmenta minerarum accumulata ſunt (*Seiffen*), repertum eſt *), vti nos ipſi iam ſuſpicati ſumus, ab officinis fuſoriis olim ibidem exſtructis relictum fuit. Putat Noſter haec fruſtu-

*) vid. *Tranſact. Phil.* Vol. LVI. p. 35 et 305. et Comm. Vol. XV. p. 498 et 512.

fruſtula, in quibus ſtannum ſic dictum natiuum, quarzo inhaeret, formata fuiſſe, dum ſtannum liquefactum quarzum, quod ad fornaces adhibitum erat, penetrauerit, aut ſe in interſtitia cryſtallorum inſinuauerit.

36. *Examen criticum obſeruationum aſtronomicarum tranſitus Veneris per diſcum* Solis 1769 *facti*, auctore Cl. PINGRÉ. p. 558.

37. Cl. DU HAMEL *obſeruationes botanico-meteorologicae ad annum* 1769. p. 584.

38. *Deſcriptio turris ſeu obſeruatorii aſtronomici portatilis*, auctore Cl. DE BORY. p. 612

39. *Additamenta ad commentarios* Ill. DE CONDORCET p. 108. 157 et 159. *Voluminis huius inſerta.* p. 615.

40. *Obſeruatio eclipſis partialis Lunae* d. 29. Apr. 1771. Monſpelii a Cl. DE RATTE et POITEVIN *facta.* p. 619.

41. Cl. POITEVIN *commentarius de efferueſcentia et calore vini in fermentatione ſpirituoſa.* p. 620. Probant hae obſeruationes, Monſpelii a. 1772. inſtitutae, calorem vini ſub fermentatione ita diminui, vt v. c. qui in initio ad gradum thermometri viceſimum ſextum adſcenderat, ſub fine viginti duorum tantum graduum ſit. Variat vero haec caloris diminutio in diuerſis vaſis, ſaepeque differentia adhuc longe maior deprehenditur.

Progredimur iam ad alterum volumen horum commentariorum a nobis iam indicandum, quod eas continet obſeruationes et commentarios, qui Anno 1771.

 ad

ad annum ſeptuageſimum primum huius ſeculi ſpectant. Ex iis, quae hac parte continentur, poſſumus ſequentes commentarios commemorare, qui potiſſimum *obſeruationes anatomicas* ſpectant.

Hiſt. p. 38. Cl. GVYON fetum, cuius brachium in partu prolapſum erat, ſola vi naturae propelli vidit. – Venas pulmonales arterias pulmonales numero et magnitudine longe ſuperare Cl. PORTAL confirmat. Idem varietates nonnullas venarum harum deſcribit.

p. 44. Inter *obſeruationes botanicas* etiam eae occurrunt, quas Cl. MVSTEL Academiae Regiae Londinenſi communicauit *).

p. 131. Inter elogia membrorum Academiae Regiae, anno hoc demortuorum primum, eſt Celeberrimi MORGAGNI. Cum de vita et ſcriptis eiuſdem iam alio loco a nobis expoſitum ſit **) ex elogio hoc ſequentia tantum adnotaſſe ſufficiat.

Summos in medicina honores conſecutus eſt, cum nondum decimum ſextum aetatis annum exceſſiſſet. Munus Profeſſoris, in quo Cl. MOLINETTI in Academia Patauina ſucceſſor erat, vt hic ſcribitur anno huius ſeculi decimo quinto in eum delatum eſt. In Commentariis Bononienſibus, nec non in Hiſtoria Academiae Pariſinae a. 1741 nonnullae obſeruationes anatomicae exſtant, quae eum Auctorem habent, et in indice ſcriptorum eius, quem in memoria eius ſupra allegata dedimus, a nobis

*) v. ſuperius p. 105. et Phil. Tranſact. Vol. LXIII. P. I. p. 126.

**) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 733.

a nobis omiſſae ſunt. Filium reliquit, ſatisque dives demortuus eſt. Auctor elogii huius libere fatetur, vti in omnibus mortalibus, ita et in MORGAGNIO aliqua fuiſſe, quae ab aliis reprehenſione quadam digna iudicata ſint. Nimiae enim parſimoniae nonnulli illum accuſarunt, neque negandum eſt, eum aſtronomiae indiciariae aliquo modo deditum fuiſſe.

1. Progredimur iam ad ipſos commentarios, inter quos primus eſt: *Examen chemicum aquae mineralis vrbis* Raugae (*Roye*) *in Picardia*, quod Cll. Viros de LASSONE et CADET auctores habet. Libra huius aquae (*Pinte*) ferri granum vnum cum ſemiſſe, terrae calcareae grana duo, terrae calcareae, quae baſin ſalis marini efficit, quartam partem grani, granum ſemis ſalis marini baſi calcarea et totidem ſalis eiuſdem baſi terrea praediti, nec non pauxillum materiae cuiuſdam pinguis continet, quae vegetabilis eſſe indolis videtur et a qua praeſentia ferri in hac aqua pendet. Additur breuis deſcriptio aquarum variarum ferruginearum, quae in confiniis huius vrbis reperiuntur. Mém. p. 1.

2. *Obſeruatio eclipſis Solis* d. 4 Iun. 1769, Auctore Cl. MESSIER. p. 12.

3. *Calculi et obſeruationes de conſilio machinam hydraulicam vi ignis mouendam* (Pompe à feu) *Pariſiis exſtruendi* auctore Cl. LAVOISIER. p. 17.

4. *De Inſecto Americano*, auctore Cl. FOVGEROVX DE BONDAROY. In fructibus palmae cuiuſdam, quae in America creſcit et vti Cl. Auctor putat, nondum deſcripta eſt, in Galliam allatis, inſectum Noſter reperit; quod plane nouum p. 45.

 ei

ei eſſe videtur. Ad Coleoptera pertinet et cum *Dermeſte* ſatis conuenit, ſed antennas filiformes ſubſerratas (aut potius moniliformes) habet. Caput ſub thorace inflexum et thorax antice attenuatus ac ſubtriangularis eſt. Tarſorum articuli tres numerantur. Lineas circiter 7 longum et quatuor craſſum eſt, et, vti Nobis videtur, ad *Bruchi* genus, cum quo et viuendi ratione conuenit, referri poſſet.

p. 49. 5. Ill. DE CONDORCET *de determinandis functionibus arbitrariis, in aequationes integrales differentiarum partialium ingredientibus.*

p. 75. 6. *Variae obſeruationes ad hiſtoriam naturalem pertinentes in confiniis vrbis* Compiegne *factae*, auctore Cl. DE LASSONE. *Lapides lenticulares* ſ. *numiſmatici* in magna copia ibidem reperiuntur, ex quibus ſolis mons aliquis conſtat. Ad teſtacea et quidem biualuia pertinere videntur, interim Cl. Auctor magis ea ad polyporum claſſem referenda eſſe et ſingulare eorum genus, cuius archetypus adhuc incognitus ſit, conſtituere, autumat. Cum *Porpitis* maximam ſimilitudinem habent. Singularem quoque ſpeciem hippuritis Noſter deſcribit et in fine huius commentarii relationem de ſceleto Crocodili prope *Traiectum ad Moſam* inuento addit.

p. 93. et 95. 7. 8. *Continuatio diſquiſitionum circa variationes acus magneticae*, auctore Cl. LE MONNIER.

p. 96. 9. EIVSDEM *commentarius de obliquitate eclipticae.*

p. 97. 10. Cl. DU SEIOUR *de noua methodo analytica computandi eclipſes ſolares.* Commentarius IX.

11. Cl.

11. Cl. LEMONNIER *de longitudine vrbis Lapponicae* Ponui. p. 241.

12. IDEM *de longitudine vrbis Breſtley ex obſeruationibus vltimae eclipſis ſolaris.* p. 244.

13. Cl. LE GENTIL *relatio de itinere iuſſu Regis Galliae in oceanum Indicum ſuſcepto.* Illud occaſione tranſitus Veneris per diſcum Solis a 1761, Noſter ſuſcepit et per vndecim fere annos in India orientali commoratus eſt. Maxima pars obſeruationum hic inſertarum geographici argumenti eſt. p. 247.

14. Ill. DE CONDORCET *cogitata de methodis approximationis in aequationibus differentialibus hucuſque inuentis.* p. 281.

15. *Obſeruationes iuſſu Regis Galliae in Normandiae oris maritimis factae, quo determinetur, vtrum fumus Fuci maritimi* (Varech) *in praeparatione Sodae combuſti, noxius an innoxius ſit,* Auctore Cl. TILLET. Magna copia ſalis Sodae ex combuſtis fucis maritimis in Normandiae littore praeparatur. Putarunt multi fumum huius herbae noxium eſſe et venenatam poſſidere qualitatem. Experimenta autem a Cl. TILLET et FOVGEROVX inſtituta probant, nil noxii ei ineſſe, nec oua piſcium fuco inhaerere, atque ſine damno vlteriorem praeparationem Sodae incolis huius orae permitti poſſe. p. 307.

16. *Commentarius primus de methodo, qua papyrus in Belgio praeparatur,* auctore Cl. DESMAREST. p. 335.

17. Cl. VANDERMONDE *de reſolutione aequationum.* p. 365.

p. 417. 18. *Commentarius IV. de theoria Mercurii*, auctore Cl. DE LA LANDE.

p. 423. 19. Cl. MESSIER *obſeruatio cometae* a. 1770. et 1771.

p. 430. 20. EIVSDEM *obſeruatio eclipſis lunae* d. 28 Apr. 1771.

p. 435. 21. EIVSDEM *catalogus omnium ſtellarum nebuloſarum, quae* Lutetiis Pariſiorum *conſpici poſſunt*. Addita eſt elegans nebuloſae ſtellae in Orione figura.

p. 462. 22. Cl. DE LA LANDE *collectio obſeruationum aſtronomicarum*.

p. 472. 23. Cl. BERTIN *de pueris, qui ano praecluſo naſcuntur*. Quatuor ſpecies et gradus huius vitioſae conformationis Cl. Auctor recenſet. In aliis enim 1) inteſtinum rectum membrana tantum occluſum eſt. 2) In aliis vero vel totum inteſtinum, vel pars eius tantum deficit, vel illud interius membrana aliqua clauditur. 3) In puellis nonnunquam in vaginam, et 4) praecipue in pueris in veſicam terminatur. Color cutis liuidus et mollis aliquis tumor exterius percipiendus ſigna ſunt, meconium ſub tenui membrana haerere. Omiſſis iis, quae Cl. Auctor ex aliis collegit, ſequentia tantum, quae ei propria ſunt, annotaſſe ſufficiat. Si anus tenui tantum membrana clauditur, ſimplex inciſio ſufficit, nec circulari a LEVRETO propoſita opus
p. 482. eſt. Nonnunquam naturalis quidem apertura exterius apparet, ſed interius inteſtinum clauſum eſt. Sic colon a recto inteſtino penitus ſeparatum, vidit Cl. MOTAIS in quo caſu tamen acum triquetram introducere et partes perfodere Cl. Auctor iubet et contra

contra LEVRETVM monet, talia vitia, etiamſi inteſtini tractus non ad integumenta vſque integer ſit, tamen curationem admittere. In puellis, in quibus inteſtinum rectum in vaginam aperitur, ex Auctoris Cl. ſuſpicione, etiam alia naturalis inteſtini recti apertura adfuit. Cum omnes Auctores de methodo curationis in hac malae conformationis ſpecie obſeruanda ſileant, Cl. Auctor ſuadet, vt etiam in hoc caſu apertura exterius in eo loco fiat, vbi anus eſſe ſolet, vt, illo reſtituto, praeternaturalis in vaginam apertura claudatur. Idem hoc de pueris valet, in quibus inteſtinum rectum in veſicam vrinariam terminatur. Si inciſione hoc in caſu facta, inteſtini recti finem Chirurgus non inuenire poteſt et veſica multo meconio turgeat, eam ipſam per vulnus Noſter aperire iubet, quo faeces egredi poſſint, doletque ſe ipſum eam in ſimili morbo neglexiſſe.

24. Cl. MESSIER *obſeruatio tranſitus Veneris per diſcum Solis*, d. 3 Iun. 1769. p. 501.

25. EIVSDEM *obſeruationes Cometae* a. 1764. p. 560.

26. *Continuatio obſeruationum nauticarum in itinere iuſſu Regis facto in oris Hiſpaniae inſtitutarum*, Auctore Cl. DE BORY. p. 518.

27. Cl. PORTAL *Obſeruationes de tumoribus et obſtructionibus omenti*. Recte Cl. Auctor in hoc commentario lectu digniſſimo monet, Auctores, licet de ſtructura et vſu omenti multa diſputauerint, tamen de morbis eius pauca tantum habere, quamuis in illo plurium et grauiſſimorum malorum ſedes ſit, quae in initio ſuo vt plurimum non dignoſcantur, ſed ad aliorum viſcerum labem referan- p. 541.

ferantur. Cl. Auctor hinc primo caſus refert, in quibus omentum variis materiis obſtructum et tumor hinc exterius tactu percipiendus ortus erat. Materia in omenti cellulis ſtagnans in diuerſis cellulis ſaepe natura ſua differt, et vel aquoſa vel gelatinoſa, vel lymphatica eſſe ſolet. Hydatides, quae in omento ſaepius reperiuntur, non ex vaſis ſanguiferis vel lymphaticis dilatatis, ſed ex celluloſa tela formantur. Flatu parietes horum tumorum Cl. Auctor in telam celluloſam mutauit et nonnunquam pinguedinem inter laminas eorum inuenit. Saepe tumores ex obſtructione omenti orti mobiles ſunt, ita, vt aegri ſitu mutato ex vno latere in aliud delabantur. Cum tumores in omento natura ſua tantum differant et ſaepe in vno eodemque omento gelatinoſi et lymphatici humores ſtagnent, qui reſoluentia natura ſua plane diuerſa exigant, reſolutionem eorum difficillimam et ſaepe plane impoſſibilem eſſe patet. Altera ſpecies tumorum in omento ortorum ex pinguedine ibidem morboſe accumulata oritur. Mole et pondere omenti vero per morbum auctis, tenſiones quoque moleſtae viſcerum, quibus adhaerent, et inprimis ventriculi oriuntur atque aegri hoc malo laborantes ſaepe moleſtiſſimo vomitu afficiuntur. Varios tales caſus Auctor Cl. recenſet, ex quibus patet, faſciam abdomini circumductam, qua tumores hi ſubleuabantur, lenimen ſymptomatum effeciſſe. Veram tamen curationem Cl. Auctor nunquam obtinuit. Tertiam morborum omenti ſpeciem Noſter hydropem omenti facit, qui licet ſaepe cum aſcite coniunctus ſit, tamen etiam nonnunquam ſolus exiſtit. Fluctuatio in hoc caſu tantum in initio laminisque omentis nondum per preſſionem aquarum induratis percipi poteſt. Vomitorio incaute adhibito hydropicum talem tumorem diſru-

diſruptum et aegram hinc aſciticam factam vidit Noſter. Aqua intra omenti laminas collecta, per foramen quale a WINSLOWIO deſcriptum, quo epiploon, vti notum eſt, flatu diſtendi poteſt, non exit. Quartam ſpeciem morborum omenti emphyſematici tumores ibidem orti faciunt. Aëre enim intra eius laminas morboſe euoluto et collecto, quod, vti Noſter aſſerit, non tantum per putredinem, ſed etiam in hypochondriacis et hyſtericis aegris fit, qui flatibus ſaepe moleſtantur, tumor exinde oritur mobilis, exterius tactu percipiendus, et elaſticus, quales Noſter vſu balneorum et equitationis diſparuiſſe vidit. Monet Cl. Auctor in vniuerſum aërem in cauitatibus corporis humani collectum, diu ibidem ſine magno damno manere poſſe. Ipſe follis ope abdomen canis aëre repleuit, nec vlla ſymptomata inde oriri, ſed abdominis tumorem ſenſim imminui vidit, quod non reſorptioni aëris elaſtici, quam impoſſibilem eſſe putat, cum veſica aëris, vas capillare intrans, reſorptionem plane impediat, ſed amiſſae eius elaſticitati tribuit, quae ab admiſtis vaporibus animalibus producta fuit. In capite tamen aër collectus grauiſſima ſymptomata breui tempore producit, neque in pectore tam diu, quam in abdomine perfertur. Vltimam tandem morborum, ab Auctore Cl. in omento obſeruatorum claſſem, ſcirrhi eius efficiunt, ſeu tumores calloſi cartilagineam fere naturam habentes. Saepe aquis in abdomine collectis, vel poſt grauiditatem ex compreſſione omenti oriuntur, et vt plurimum diu ſine inſigni noxa tolerantur. Inprimis grauiditas ſaepiſſime eiusmodi mala producit, ita vt in omento feminarum, quae aliquoties pepererunt, fere ſemper eiusmodi tumores reperiantur. Idem quoque ab aliis tumoribus abdominis, ſi epiploon comprimant, oriri poteſt.

28. Cl.

p. 566. 28. Cl. VANDERMONDE *obſeruationes de problematibus ſitum ſpectantibus.*

p. 575. 29. Cl. PORTAL *obſeruationes de ſitu viſcerum in pueris et mutatione eiuſdem in adultiore aetate.* Magnitudo abdominis in pueris et adultis maxime differt, cum ſpatium inter ſternum et pelvim, quod in adultis quintam partem altitudinis totius corporis aequat, in pueris tertiam efficiat, et in vniuerſum quoque haec cauitas amplior ſit. Peluis contra capacitatem in pueris longe minorem eſſe, quam in adultis, notum eſt. Ventriculus qui in adulto tranſuerſalem ſitum habet, in fetu fere perpendicularis et ad vmbilicum vſque deſcendit. Conuexa eius pars ſiniſtrum, concaua vero dextrum latus ſpectat. Hinc omentum in pueris ſiniſterius magis ſitum eſt. Hepar contra, vti notum eſt, magnitudine ſua magnitudinem hepatis adulti longe excedit et fere omnem dextram mediamque abdominis partem replet. Contra duodenum retro ventriculum ſitum eſt, et anfractus eius facilius, quam in adultis diſtingui poſſunt. Lien profundius, quam in adultis deſcendit et magna eius pars in media abdominis parte ſita eſt. Veſica vrinaria tota extra peluim iacet et vrina diſtenta exterius in media et inferiore abdominis parte eminet. Hinc in puero calculo laborante apparatus altus, reliquis calculum ſecandi methodis et ipſi apparatui paruo, praeferri debet. Etiam vterus et ouaria extra peluim ſita ſunt. Lobus ſiniſter hepatis ſenſim decreſcit, quod et mutationi ſitus ventriculi anſam praebet. Ouarium ſiniſtrum frequentius dextro altius poſitum et magis ad vertebras inclinatum eſſe Noſter monet.

30. Cl. BAILLY *de vario lumine et menſura diametri ſatellitum Iouis.* p. 580.

31. Cl. LE ROY *de globo igneo in magna parte Galliae* d. 17 Iul. anni 1771. viſo. p. 668.

32. *Theoremata ſupra quadraturas*, auctore Ill. de CONDORCET. p. 693.

33. Cl. DESMAREST *de origine et natura Baſaltis, ex columnis magnis polygonis conſtantis, ad obſeruationes in Auernionenſi prouincia inſtitutas.* p. 705. Varias opiniones de natura et origine baſaltis primum Noſter recenſet. Nomen *Baſaltis* ei primum a GEORGIO AGRICOLA, qui montem Stolpenſem deſcribit datum eſt. Notum eſt recentiores mineralogos lapidum horum, forma ſua priſmatica mirabilium, ortum montibus igniuomis tribuere. Cl. Auctor iam a. 1763, in comitatu Auernionenſi, vbi plura montium olim igniuomorum veſtigia inveniuntur, varias quoque maſſas ex baſalte conſtantes et montibus igniuomis impoſitas reperit. Enarratis locis, vbi baſaltes in hac regione reperitur, variisque eius ſpeciebus deſcriptis, ex laua ſeu materia e montibus igniuomis effluente refrigerata et cryſtalliſata baſaltem ortum eſſe, probare Noſter annititur. Materia vero liquefacta ex granite ignis vi fuſo ortum ſuum duxit. Adiicit deinde Noſter deſcriptionem montium ex baſalte compoſitorum, qui in Germania reperiuntur, quibus etiam celebris ille prope *Annabergam* mons, *Bielberg* dictus, qui fere totus baſalte conſtat, plurimique in Luſatia addi potuiſſent. Tandem Cl. Auctor varias productiones montium igniuomorum deſcribit et mappam geographicam addit, in qua veſtigia montium olim igniuomorum

et

et varia baſaltis genera in comitatu Auernionenſi reperiunda indicantur; Cel. WALLERIVM, qui de baſaltis ortu per ignem dubitauit, pluribus refellit.

p. 776. 34. *Commentarius de parallaxi Solis*, Auctore Cl. DE LA LANDE.

p. 800. 35. *Obſeruationes botanico-meteorologicae a. 1770 inſtitutae*, a Cl. DU HAMEL.

p. 830. 36. *Index eorum, qui ab a. 1709, ad annum 1770.* Pariſiis *nati et mortui ſunt vel matrimonium inierunt cet.*, auctore Cl. MORAND, filio.

p. 849. 37. *Relatio de variolarum inoculatione in Rege Galliae* (LVDOVICO XVI.) *et familia regia inſtituta*, auctore Cl. DE LASSONE. Proſperrimus inoculationis ſucceſſus fuit, nec in vllo familiae regiae grauiora ſymptomata obſeruata ſunt.

II.

M. SAXTORPH M. Doct. artis obſtetric. lector, et domus Reg. obſtetric. in ciuitate Haunienſi antiſtitis, Theoria de diuerſo partu ob diuerſam capitis ad peluim relationem mutuam, experientia fundata et figuris aeneis illuſtrata. Hauniae et Lipſiae apud F. C. Pelt. 1772. 8. pl. 13. tab. aen. 1.

Cl. Libelli huius Auctor illum primum diſſertationis inauguralis loco in Academia Haunienſi defendit atque nunc figura aenea auctum iterum vulgauit. In prolegomenis deſcriptionem phaenomenorum, quae in partu naturali obſeruantur et diuiſionem partus praemittit. Motus in abdomine parturientis obſeruandi alii conuul-

ſiui

ſiui ſunt, qui eleuatum abdomen vna cum extenſo vtero alternatim conſtringunt, alii depreſſorii inter inſpirandum et cum retentione ſpiritus coniuncti, quibus contenta vteri et abdominis deorſum premuntur.

Prima ſectione Cl. SAXTORPH de mutua relatione agit, quae in partu perfecto inter peluim bene formatam et rite proportionatum caput infantis intercedit. Diameter peluis *tranſuerſalis* non omnium diametrorum aperturae ſuperioris maxima eſt, ſed datur alia *obliqua*, quae in pelui, carne denudata, maxima obſeruatur et a confinio coniunctionis oſſis ſacri cum oſſe ilium, oblique verſus anteriora, ad medium fere punctum oſſis pubis oppoſiti ducitur. Haec tamen diameter in pelui carne veſtita minor videtur, quia muſculus Pſoas partem poſteriorem aperturae ſuperioris corpore ſuo tegit. Iuxta hanc diametrum obliquam in partu perfecto directa eſt ſutura ſagittalis capitis bene proportionati, iſto ſcilicet tempore, quo caput aperturam ſuperiorem ingreditur. Hoc non per explorationem modo, ſed et per ſectiones parturientium, in partu demortuarum confirmatur. Cauſſa huius directionis capitis potiſſimum in pelui haeret. Illud enim ſtatim in introitu peluis magnam reſiſtentiam patitur a prominentia oſſis ſacri, quae fetus frontem ad latus dirigit, quam ob rem ſagittalis ſutura neceſſario in diametrum obliquam aperturae ſuperioris peluis cadit. Effectus huius directionis eſt cranii lateralis compreſſio et occipitis conueniens mutatio in oblongam figuram. Partu deinde vlterius progrediente, ſitus capitis ita mutatur, vt verſus exitum occiput primum prodeat, tandemque in fine partus ſinciput iterum verſus anteriora ſic propellitur, vt in p. 15.

exitu diameter eius longitudinalis toti ſuperincumbat diametro maiori aperturae inferioris, donec totum vna cum facie, primum e pelui excutitur.

p. 29. Hanc theoriam de mutatione ſitus capitis in tranſitu cauitatis peluis, multi quidem negant; ſed cauſſa erroris in eo latet, quod ad mechaniſmum partus naturalis non ſatis attenderint, vel habitu caruerint, qui, ſi eiusmodi obſeruationes inſtituendae ſunt, requiritur, vel tempus opportuniſſimum in explorando neglexerint, vel eam non recte inſtituerint. Addit Cl. Auctor varia argumenta, quibus theoriam hic propoſitam confirmat, atque in-
p. 38. primis cauſſas fuſius explicat, quae in partu perfecto aut maxime naturali, hanc ſitus capitis mutationem producunt.

p. 44. In altera ſectione Cl. Auctor de partubus, qui ex mala peluis conformatione, capite bene formato et ſito oriuntur, diſputat et diuerſa peluis oſſeae vitia enarrat, quae partum difficilem reddere poſſunt. Inter haec primum referri meretur nimia peluis amplitudo, quae non ſolum protruſioni inferioris ſegmenti vteri atque inflexioni eiusdem, nec non prolapſui et inuerſioni eius anſam praebere poteſt, ſed etiam efficit, vt debitae mutationes ſitus capitis antea deſcriptae non contingant. Haud raro quoque in tali peluis amplitudine totum ouum expellitur, maximo fetus matrisque periculo et labores partus, ob defectum debitae reſiſtentiae peluis, ab initio partus ſtatim iuſto celeriores ac frequentiores inſequuntur, quod conuulſiones aliaque mala plurima excitare poteſt.
p. 49. Nimiam peluis anguſtiam partum retardare et difficiliorem reddere, nec non varia alia mala producere poſſe, facile patet. Inter ea ruptura vteri eſt, quam

quam vero Cl. Auctor non, vt LEVRETVS, calcitrationi fetus adſcribit, cum vterus fetum vndique conſtrictum teneat, effluxis aquis, eaque ruptura haud raro non in fundo, ſed in latere vteri accidat.

Enarrat deinde Cl. Auctor vitia, quae in partibus ſpecialibus peluis, apertura ſuperiori, inferiori, aut cauo eiuſdem occurrunt et noxas, ex ſingulis oriundas, docte et accurate explicat. Tunc ad illam diu iam multumque agitatam controuerſiam de ſeceſſu oſſium pubis in partu accedit, quam alii in omni, alii in laborioſo demum partu, alii denique nunquam contingere autumant. Adduntur vero varia argumenta, quibus diuerſarum harum ſententiarum defenſores eas confirmare tentant. Nonnunquam oſſa peluis in laborioſo partu diduci et morboſam eorum mobilitatem poſt partum remanere, ipſe Cl. SAXTORPH obſeruauit. Omnia fere ab Auctoribus de ſeiunctione oſſium horum ſub partu exempla, aut praeternaturalem in partu adhibitam vim, aut morboſam corporis conſtitutionem vel male formatam peluim monſtrare, Noſter concludit.

p. 52.

p. 70.

Tertia tandem ſectio de partubus exponit difficilioribus, qui, pelui naturaliter conſtituta, ex mala capitis conditione oriuntur. Caput vero ratione magnitudinis, ſtructurae et ſitus peccare poteſt. Caput nimis magnum rarius inuenitur, quam vulgo creditur, plurimaque vitia, quae magnitudini nimiae capitis tribuuntur, tantum a ſitu eius praeternaturali pendent. Si quoque caput in vna parte ex compreſſione iuſto longius factum ſit, altera tamen parte e contrario minus ſit, ita vt vera circumferentia eius raro maior ſit naturali. Quod vero peruerſum ſitum capitis fetus attinet, vt cauſſas

p. 84.

p. 89.

ab ipſo fetu vel ab obliquitate aut mala conformatione et vitiis morboſis vteri pendentes taceamus, obſtetricans ipſe, quando caput manu in rectum ſitum componere aut illud retrudere contendit, aut praematurum aquarum effluxum excitat, cauſſa eſſe po-
p. 90. teſt. Diuerſas ſpecies ſitus capitis peruerſi Cl. Auctor fuſius recenſet, incommoda ex ſingulis oriunda explicat, monetque non raro partum difficilem ex compoſitis peluis capitisque vitiis oriri. Saepe partus facilis, omni exſpectationi ac theoriae contrarius contingit, quae tamen exceptiones datas regulas non deſtruunt, cum circumſtantiarum, quae partum determinant, ſumma ſit varietas. Sic
p. 108. v. e. Cl. Auctor caſum recenſet, in quo fetus, cuius praeuium brachium extra vuluam, cum inclauato in cauo peluis humero prominebat, naturae vi ſponte prodiit, idemque in alio partum ſatis facilem vidit, licet cranii ſuturae iam perfecte coalitae eſſent. In vniuerſum quoque, etſi cognitio relationis inter caput et peluim, maximi in arte obſtetricia momenti ſit, ad reliqua quoque, quae in partu influxum aliquem habent, inprimis vero ad conditionem dolorum ad partum attendendum eſt.

Quarta ſectione auxilia explicantur, quae in partu difficili, in quo caput fetus praeuium eſt, praeſtanda ſunt. Hoc vel ſola manu fit, qua capite oblique v. c. ſito, manu intra vterum immiſſa verſio inſtituitur. In imperfecta quidem vteri obliquitate nonnulli digitis duobus intra caput et peluim eo loco immiſſis, vbi illud margini horum oſſium inhaeret, ſitum capitis emendare et orificium vteri obliquum propius ad axin peluis adducere ſtudent. Sed Cl. Auctor varias cauſſas recenſet, quae impediunt, quo minus hoc commode
p. 115. fieri poſſit. Nullum enim datur in abdomine ſpatium

tium vacuum, in quod fundus vteri detrudi poſſit, cum in latere ex quo deuiatus eſt, ſub grauiditate inteſtina iaceant. Atque nunquam tali operatione proxima obliquitatis vteri cauſſa tollitur, quae, vt Cl. LEVRETVS demonſtrauit, conſiſtit in minori extenſione lateralis partis vteri, eiuſdemque craſſitie maiori in latere altero, quo vergit fundus, propter placentam huic loco adhaerentem. Inepte quoque caput peluis margini inhaerens, ſine magna noxa et periculo inflammationis colli vteri, circa caput vaginae inſtar contracti, in tanta vteri irritabilitate in axin peluis dirigi poteſt, neque, ſi etiam hoc fieri queat, trunci ſitus emendatur. Hinc ſemper in hoc caſu Cl. Auctor verſionem praefert. Si vero vterus rectus, nec truncus fetus valde perverſus ſit, hoc artificio ſitum capitis obliqui emendari poſſe Cl. SAXTORPH concedit, quod etiam plurima omnibus obſtetricantibus nota exempla probant. Addit deinde Cl. Auctor reliquas ratio- p. 117. nes, quae verſionem fetus, vel in iuſto fetus ſitu nonnunquam exigunt, nec non contraindicantia huius operationis, quorſum molem nimiam capitis, peluis anguſtiam, caput iam perforatum (cum periculum ſit, ne oſſa diffracta vterum laedant) partum conuulſionibus ſtipatum, ſi os vteri nondum apertum ſit, partum immaturum ante ſeptimum menſem et tandem eum, in quo caput iam in cauo peluis haeret, refert. In vniuerſum quoque verſio nunquam periculo caret, dolorifica eſt, e. ſ. p. hinc tantum in caſibus valde neceſſariis ſuſcipi debet. Deſcribit deinde Cl. Auctor fuſius ea, quae in ipſa p. 123. operatione obſeruanda ſunt, ſitum parturientis, ea, ad quae in exploratione attendi debet, variaque circa totum verſionis negotium monita addit. *Praeparationem* a LEVRETO, CRANZIO cet. p. 141. commendatam (cuius praecipuum momentum in

 eo

eo poſitum eſt, vt caput a pelui, cui incumbit, iuxta certas regulas, pro quolibet ſitu determinandas, verſus fundum protrudatur, eleuatis nempe humeris, truncoque ſpiraliter in altitudinem moto, quo ſponte extremitates inferiores verſus peluim deſcendant) in *machinis* potius, quam in viua puerpera exerceri poſſe, recte Noſter monet. Ea enim in vtero parum tantum contracto, non obliquo aut curuato, in fetu ſatis mobili et in quo artus ſtatim truncum ſequuntur, quae omnia fere nunquam in partu occurrunt, fieri poteſt, tantamque in ea operator vim adhibere debet, quo reſiſtentiam vteri ſuperet, vt eam mater et fetus ſine noxa ferre nequeant. Nos ipſi, qui eam ſaepius in machinis tentauimus, nunquam vero in vtero viuo, ex quo aquae iam ante aliquot horas effluxere, omni data opera adhibere potuimus, ad ſententiam Cl. Auctoris lubenter accedimus. Bene quoque ac ſapien-
p. 147. ter Noſter monet, machinas, in quibus artis obſtetriciae magiſtri tironibus praecipuas artis encheireſes oſtendunt, praeter externam formam, fere nullam cum corpore parturientis viuo ſimilitudinem habere, idque pluribus argumentis probat.
p. 155. LEVRETI methodum, qua ille in verſione corpus fetus ita reuoluit, vt facies poſteriora ſpectet, deſcribit. Aſſerit Cl. Auctor illum in ſolutione brachiorum haec ipſa verſus dorſum fetus deprimere et educere, hancque ſoluendi brachia methodum noxiam eſſe, cum in ea facile luxetur brachium, monet. Interim nos ipſi, qui LEVRETVM artem obſtetriciam docentem audiuimus, probe ſcimus, brachia, ab eo lateraliter magis educi, quam Cl. Auctor putat.

p. 162. Progreditur deinde Cl. Auctor ad inſtrumentorum in partu difficili applicationem, primumque de forcipe agit, eamque, quae ex Levretiana et

Smel-

Smelliana ita componitur, vt cochlearia ad LEVRETI, iunctura vero ad SMELLII mentem fabricata ſint, reliquis ſpeciebus praefert. Circumſtantias, quae forcipis applicationem ſuadent aut diſſuadent, omnes recenſet. Si dolores ad partum adhuc adſint, vix forcipis applicationem inſtitui debere monet. Caput in apertura peluis ſuperiore haerens Levretiana forcipe ſolui poſſe, quod nonnulli contendunt, impoſſibile Noſter iudicat; cum in eo caſu orificium vteri non adeo apertum ſit, vt forceps ſine laeſione introduci poſſit; ac brachiorum quoque coniunctio intra vaginam difficillima et extractio capitis iuxta axin peluis cum curua forcipe impoſſibilis ſit. Speciales tandem regulas et en- p. 171.
cheireſes in ſingulis capitis praeuii ſpeciebus, circa forcipis LEVRETI et SMELLII applicationem obſeruandas, fuſius exponit. Fetus caput forcipe prehenſum LEVRETVS circumrotari ſuadet, ſi ſinciput ſcilicet praeuium, caputque tranſuerſaliter inter latera peluis inclauatum ſit. At Noſter hoc in machinis tantum, non in viuo corpore fieri poſſe, probat. Idem quoque de SMELLII artificio, qui in laterali capitis ſitu, brachium vnum forcipis ſub oſſibus pubis, alterum ſecundum concauitatem oſſis ſacri immittit, iudicat. Ea enim vix non ſemper ſucceſſu carebit plurimisque periculis ſtipatur, quae a compreſſione partium mollium et oſſis coccygis in matre potiſſimum pendent. Hinc Noſter forcipem Smellianam rectam ad latera pelvis, circa maximam capitis diametrum, ordinario modo introducit, os frontis verſus os occipitis leniter comprimit et poſtea caput educit. Optimum hunc modum eſſe, caput tranſuerſe ſitum e pelui educendi, experientia comprobat. Si facies fetus anteriora ſpectat, LEVRETVS per fe-

neſtras cochlearium ante applicationem forcipis faſciam ducit ac forcipis brachiis vulgari modo applicatis, eo tempore, quo vna manu manubria forcipis verſus oſſa pubis eleuat, altera cochlearia faſciae ope deprimit, motuque tali compoſito faciem educit. Ingenioſiſſimam eſſe hanc encheireſen Noſter contendit. Interim ſi dicendum quod res eſt, nobis videtur illa vix eum obtineri vſum poſſe, quem Cl. LEVRETVS et Noſter inde exſpectant.

p. 196. ROONHVYSII vectem in pauciſſimis caſibus vſui aptum eſſe Cl. SAXTORPH probat, ſemperque forcipis vſum praefert. Deſcribit tandem

p. 198. Cl. Auctor, quae in inſtrumentorum ſecantium, perforatorii ſcilicet, vnci cet. vſu fieri debent. In capite auulſo ſemper diminutio molis eius praecedat, quo facto, vel naturae ope extruditur, vel vnco facile extrahitur, qui in hac re manu et forcipe praeferendus eſt. Plures alias obſeruationes lectu digniſſimas, quae in hoc libro reperiuntur, ſpatii anguſtia impediti omittimus.

III.

Syſteme nouveau & complet de l' Art des Accouchements, tant theorique que pratique, avec la deſcription des maladies particulières aux femmes enceintes, aux femmes en couche & aux enfants nouveau-nés. Traduit de l' Anglois de I. BVRTON. Par Mr. LE MOINE, Docteur Régent de la Faculté de Paris. à Paris chez Heriſſant. T. I. 1771. p. 584. tab. aen. 18. T. II. ib. 1773. p. 782. tab. aen. 1.

i. e.

Nouum et completum ſyſtema artis obſtetriciae,

ciae, theoreticum et practicum, cum deſcriptione morborum, qui in grauidis, puerperis et infantibus maxime frequentes ſunt. Auctore Cl. I. BVRTON. In gallicam linguam translatum a LE MOINE.

In Gallica hac verſione operum Cl. BVRTON, tum ſyſtema artis obſtetriciae, tum Epiſtola EIVS ad Cl. SMELLIE continetur, de quibus alio loco iam egimus *). Plures tamen notas Cl. Editor adiecit, vt vel aliorum Auctorum teſtimoniis BVRTONI ſententiam confirmet, vel ea, quae Auctor breuiter tantum dixit, aut plane neglexit, fuſius explicet, ita, vt nunc hic liber omnino completi ſyſtematis artis obſtetriciae nomine dignus ſit. Fatetur Cl. LE MOINE ſe iis potiſſimum vſum eſſe praeceptis, quae Cl. A. PETIT in ſuis lectionibus propoſuit. Nonnunquam Cl. SMELLIE contra BVRTONVM, qui acrius in eum inuehitur, defendit. Addit quoque Cl. LE MOINE libellum ſingularem de morbis infantum, qui certe inter optima compendia, in quibus theoria et praxis horum morborum explicatur, referri meretur. T. II. p. 537.

*) v. Supplem. Dec. I. p. 456 et 461.

IV.

GEORGE WILHELM STEIN *der Arzneygelahrheit Doctors und Hochfürſtl. Heſſiſchen Hofmedici, der Arzney-Wundarzney und Entbindungskunſt ordentlichen Lehrers am Collegio Carolino und des Collegii Medici zu Caſſel Mitglieds, theoretiſche Anleitung zur Geburtshülfe. Zum Gebrauche der Zuhörer. Caſſel bey H. Schmidt.* 1770. 8. p. 175. tab. aen. 8.

V.

Ebendeſſelben practiſche Anleitung zur Geburtshülfe in wiedernatürlichen und ſchweren Fällen. ib. *bey Cramer.* 1772. p. 239. tab. aen. 8.

i. e.

Theoretica et practica inſtitutio ad artem obſtetriciam, Auctore GEORGIO GVILIELMO STEIN M. D.

Compendio hoc Cl. Auctor optime de arte obſtetricia meritus, ſuamque in ea peritiam, iam variis minoribus huc pertinentibus ſcriptis, ſuo loco in ſupplementis a nobis commemorandis, declaratam, magis adhuc probauit. In theoria artis, quam mathematicis et mechanicis principiis fere vbique ſuperſtruxit, Cl. LEVRETI compendio plurimum vſus eſt, multa tamen etiam emendauit et addidit. Vnicum, quod in eo deſiderare quis poſſet, forte in eo poſitum eſt, quod ii, qui matheſeos paullo ignari ſunt, quales tamen plures, ſi ex arte obſtetricia magnus in rempublicam redundare debet vſus, in ea inſtruendi ſunt, vix ex eo magnam vtilitatem capere queant, nec, ſi etiam a docto magiſtro huius compendii explicatio ſuſcipiatur, omnia intelligere poſſint. Hoc inprimis de

iis

iis valet, quae Cl. Auctor in parte theoretica de pelvis figura, partu, ſitu parturientis cet. exponit. In Tom. I.
vniuerſum autem in hac priore parte Cl. Auctor de partibus genitalibus mulierum, grauiditate, ouo foecundato et partu exponit. Ad veſicae p. 179.
aquarum diſruptionem annulo vtitur, qui perforatorio a SIMSONO, ni fallimur, propoſito ſimillimus eſſe videtur. Deſcribit quoque in hac parte fuſius Cl. Auctor ea, quae in partu naturali peragenda ſunt, perinaeique rupturam volae manus applicatione, quam alii recentiores iam commendarunt, impediri docet. Digitis in vaginam verſus perinaeum immiſſis caput ita dirigit, vt ſurſum et antrorſum prematur, nec perinaeum laedat, aut, ſi digiti non in vaginam immitti poſſint, vel vecte ROONHVYSII eadem ratione vtitur, vel duos digitos in anum immittit et ita caput verſus anteriora premit. Tabulae aeneae, ad priorem partem huius compendii pertinentes, ex LEVRETO deſumtae ſunt.

In altera parte Cl. Auctor de iis exponit, quae T. II.
ab obſtetricante in partu praeternaturali et difficili fieri debent. Modum, quo ex ſitu partium fetus cognito, ſitus reliquarum definiri poteſt, nec non cauſſas, quae ſitum fetus praeternaturalem producunt, egregie explicat. Quod ád vteri obliquitatis cauſſas attinet, LEVRETI potiſſimum ſententiae accedit. Iure miratur, Cl. SMELLIE et p. 35.
MAVRICEAV eius nullam mentionem feciſſe. Verſionem in primipara reiicit. Laqueorum vſum non in omni verſione neceſſariam eſſe recte monet. Praeparationi Levretianae *) in verſione p. 99.
fauet, methodumque, qua ea peragenda eſt, fuſius deſcribit.

Forci-

*) vid. ſuperius p. 417.

p. 132. Forcipem Levretianam omnibus reliquis praefert. Eandem de *perforatorio* LEVRETI *duabus laminis inſtructo* (*perce-crane à deux lames*) ſententiam fouet et emendationem a beat. FRIE-
p. 137. DIO iuniore propoſitam, qui elaterem addidit, reiicit, atque de ea, nec non de aliis a recentioribus v. c. a PLENCKIO propoſitis inſtrumentis, durioribus paucis verbis vtitur. Ex vncis praeſtantiſſimum iudicat Smellianum, manubrio ex emendatione LEVRETI inſtructum. Cur vero *unco* LEVRETI *vagina praedito* (*Crochet à gaine*) nec non *forcipi* NIVS, diu iam reiectae, *tribrachiali* (*à trois branches*) adhuc vſum aliquem tribuat Noſter,
p. 178. ignoramus. In eo caſu, vbi facies fetus lateralem ſitum obtinet, varias methodos, a variis recentioribus commendatas recenſet atque reiicit. Monet enim, neque poſſe per vnum brachium forcipis faciem anteriora verſus conuerti, neque forcipem ita applicari, vt vnum brachium ſub oſſe pubis, alterum ſupra os ſacrum immittatur. Denique eam quoque methodum perniciofam maxime iudicat, qua caput, cuius facies os ſacrum reſpicit, nonnulli forcipe prehendunt et in ſitum tranſuerſalem dirigere tentant, quem ſitum OVLDIO duce maxime naturalem eſſe iudicant. In figuris ſitus varii perverſi fetus ex Smellianis tabulis, nec non praecipua inſtrumenta, quae in partu difficili adhibenda ſunt, delineantur. Inter ea (Tab. 1.) culter eſt, annulo affixus, quo veſicam aquarum aperit, nec non (Tab. 8.) noua capititraha, duobus tantummodo brachiis inſtructa.

VI.

VI.

Diſſertatio inaug. medica de natura cruſtae inflammatoriae in ſanguine miſſo apparentis, quam publice eruditorum examini ſubmittit FRANCISCVS IOSEPHVS KRAVS, Bohemus Chrudinenſis. Pragae 1773. 8. pl. 7.

Diſſertationis huius Cl. Auctor probare annititur p. 1. cruſtam inflammatoriam non eſſe ſerum ſanguinis aeſtu inflammationis febriſque coactum, neque materiam peregrinam per cauſas morboſas ſanguini praeternaturaliter inductam, ſed partem conſtitutiuam ſanguinis, lympham nempe coagulabilem maſſae eius naturaliter inſidentem, quae variis cauſſis externis internisque maiori in copia ad ſuperficiem ſanguinis e vena miſſi colligitur, ibique plus minuſue albidum et denſum corium efformat. Lympha haec coagulabilis, tum in placenta cum parte ſanguinis rubra, tum in aquoſa portione cum ſero ſeu ſalino aquoſa parte mixta deprehenditur. SENACVS huic parti primum lymphae coagulabilis nomen impoſuit, aliis *pars fibroſa* ſanguinis nec non materies factitiae membranae vocatur. A parte rubra tum eluitione, tum agitatione ſeparari poteſt, quo artificio RVYSCHIVS membranam ſuam e ſero parauit. Vltimo hoc artificio etiam ex ſero obtinetur, licet id Cel. DE HAEN neget; multo facilius vero hoc p. 15. fit caloris vi et acidorum affuſione. Lympha nullum ſaporem odoremue oſtendit. Omnes vero qualitates, quae in lympha craſſamenti ſunt, etiam ſeri pars coagulabilis, cruſta inflammatoria, albumen oui, pars coagulabilis ſeu caſeoſa lactis cet. oſtendunt. In alimentis iam haec materia reperitur, nec in animalibus tantum, ſed et in vegetabilibus: nam

v. c. eam farinae partem conſtituit, quae chemice examinata eadem producta, quae animalium partes, largitur *). Globuli rubri craſſamentum formantes inter ſe tantum lymphae ope cohaerent. Sero affuſo globuli e craſſamento optime eluuntur, cum ſerum eos non vt aqua ſuſpenſos teneat, ſed ii in ea mox fundum vaſis petant.

p. 28. Ruboris in ſanguine gradus diuerſi a lympha coagulabili pendent, plus minus globulos rubros ſeparante. Hinc inferior craſſamenti pars nigricat. Rubedinem ab aëre pendere, Cl. HEWSON **) experimento, flatu in venam cuniculi ligatura conſtrictam immiſſo, probare tentat; non vero ab aëre, ſed a maiori globulorum ſeparatione et fluiditate cruoris hunc colorem oriri, Noſter aſſerit. Haec dilutio quoque cauſſa eſt, quae efficit, vt ſanguis a variis ſalibus magis rubeat. Ab eadem maiore lymphae copia, differentia inter ſanguinem arterioſum et venoſum pendet. Aquoſa ſeri pars ſalina eſt et acris atque euaporando tota fere diſſipatur. Sal, quod in ea continetur, ammoniacalis naturae eſt, cum ab addito alcali fixo odor alcali volatilis, ab adiecto acido vitriolico muriaticus adſurgat. Cum vrina maxime conuenit. Gelatinoſam et mucoſam partem, praeter has dictas in ſanguine adſumere minus neceſſe eſt, cum humores illi lympha tantum ſint vi vaſorum mutata.

p. 38. Eadem lympha cruſtam inflammatoriam praebet, quae itaque non in morbis tantum oritur, ſed cuius ſeminium iam in ſanguine omni tempore naturaliter adeſt. Probat hoc Cl. Auctor ex eo, quod ſanguis ſaniſſimi hominis in prophylaxin miſſus

*) v. Cl. BECCARIA Inſtit. Bonon T. II. P. I. p. 123.

**) v. Phil. Tranſact. Vol. LXIII. p. 303. Comm. Vol. XXI. p. 108. et EIVSDEM *Experimental Inquiry* Lond. 1771.

miſſus craſſiſſima ſaepe ſtipetur cruſta, quod polypi ſine praegreſſa inflammatione frequenter generentur, quod grauidarum ſanguis ſimilem a venaeſectione ſiſtat cruſtam; quod eadem adpareat, ſi femur aut brachium ligatura conſtringantur; quod ſanguis venereorum, podagricorum, ſcorbuticorum, febri intermittente, catarrho cet. laborantium, ob ſimilem cruſtam, peſſimam saepius inflammationem mentiatur, nullis tamen verae inflammationis ſignis praeſentibus. Chemice examinata, omnes proprietates lymphae coagulabilis oſtendit. Cauſſae vero, quae ſeparationem huius lymphae certis temporibus efficiunt, in ſolidorum vi vitali increſcente potiſſimum poſitae ſunt, quae non ſolum vniuerſi corporis lympham, ſed et illam, quae in vaſis partis inflammatae continetur, ita mutat, vt ex ſuperficie eius ſub materiae puriformis ſpecie exſudet. Hinc ea materiam purulentam ex vlcere profluentem, vel ex bronchiis ſcreatu aut ex inteſtinis diarrhoea reiectam, vel in interna aliqua parte critice nulla praegreſſa inflammatione depoſitam, efficit. His praemiſſis Cl. Auctor non ſolum p. 51. fuſius explicat, quomodo hoc augmentum vis vitalis lympham podagricorum cet. ita mutare poſſit, ſed et variorum aliorum phaenomenorum, in morbis inflammatoriis obſeruandorum, explicationem addit.

Eadem haec lympha denſata polypos conſtituit p. 62. et in aneuryſmatibus colligitur, extremitates arteriarum reſectarum obturat, in cauum bronchiorum transſudans materiam ſputorum coctorum craſſorum ſubminiſtrat et nonnunquam figuram bronchiorum exprimit, aut ex inteſtinis membranae ſpecie decedit. Scirrhorum quoque materiam praebet, vnde ratio patet, cur ſcirrhus ſaepe poſt

inflam-

inflammationem oriatur et cur viſcera, cutis, aliaeque glanduloſae partes ſcirrhoideae fiant. Porro illa cohaeſionem ſanguinis efficit: quapropter, ea morboſe mutata, ſanguis quoque reſoluitur. Diuerſitas, quam ſanguis in eadem venaeſectione, ſed in diuerſa vaſcula miſſus, oſtendit, a mutatione ſtatus ſolidorum ſub venaeſectione cet. pendet, a qua lymphae procliuitas in concretionem, nunc augetur, nunc minuitur *). In fluidis enim ipſis mutationem aliquam fieri, neque diuerſas ſanguinis qualitates a diuerſa celeritate, qua ſanguis profluit pendere, obſeruationes a HEWSONIO prolatae probant; qui vidit ſanguinem prius exeuntem tardius eo, qui ſerius effluxit, coire.

p. 77. Si lympha ſanguinis inaequaliter denſatur, ea quoque inaequaliter in coagulum procliuis eſt, vt hinc ſanguis in vaſculum miſſus in vno loco coeat, in altero fluidus maneat. Poſtea Cl. Auctor ſententiam Cl. HEWSONII examinat **), qui lymphae in coagulum procliuitatem, ex denſitate eius aucta in inflammatione oriri negat, ſed potius lympham fluidiorem fieri autumat. Credit vero Noſter eam omnino denſiorem fieri. Quo denſior autem et durior cruſta inflammatoria eſt, eo diutius lympha fluida manet. Cauſſa huius phaenomeni in tardiore exhalatione aquoſae partis ex lympha denſiore poſita eſt. Quo tardior vero ea eſt, eo diutius calor et fluiditas lymphae durabit. Tandem Cl. Auctor explicat effectus, quos cauſſae externae, v. c. aër, varii gradus caloris et frigoris, motus cet. in generationem

cruſtae

*) Vix tamen explicari poteſt, qua ratione ſolidis mutatis, tam celeris quoque fluidorum mutatio accidere queat.

**) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 493.

cruſtae inflammatoriae producunt. Sanguis non denſatur, niſi materia euaporabilis ſeceſſerit, quem ſeceſſum aër et motus promouent.

VII.

Medical and chirurgical obſeruations as an Appendix to a former Publication by BENIAMIN GOOCH, Surgeon. London printed for G. Robertſon 1773. 8. 18 pl. tab. aen. 4.

i. e.

Obſeruationes medicae et chirurgicae, appendicis loco ad opus antea editum publicatae a B. GOOCH, Chirurgo.

De libro, cuius appendicem has obſeruationes Cl. GOOCH eſſe voluit, iam in ſupplementis decadis ſecundae horum commentariorum *) diximus. Senex vero Cl. eius Auctor, tum ſuas, tum aliorum etiam obſeruationes ſibi communicatas, in hoc tertium operum ſuorum chirurgicorum volumen collegit. Licet vero non omnes in eo contentae obſeruationes magni momenti ſint, neque illud ad praeſtantiam priorum accedat, tamen non negandum eſt, nonnullas omnino noſtra attentione dignas nobis viſas eſſe.

Agit vero Noſter primo de morbis epidemicis annorum 1739. 40. 41. et 42. Anno trigeſimo nono putrida febris in Anglia graſſabatur, in qua non venaeſectiones ſolum, ſed et purgantia noxam affere- p. 1.

*) Suppl. Dec. II. p. 593. et antea in Comm. noſtr. Vol. IX. p. 303.

afferebant. Oleum Ricini, quod Anglice *Caſtor-oil* vocatur, cum vitello ouorum ſolutum in obſtructione alui, etiam chronica, multum Noſter commendat. In ſumma malignitate febris putridae tumores oedematoſos in variis corporis partibus oriri vidit, qui ſanguinem extrauaſatum ac inter perioſteum et
p. 13. oſſa ipſa effuſum continebant. Anno 1740. vernali tempore oedema faciei eryſipelatodes, quod Angli *Mumps* dicunt, in quo morbo, vti plures alii Auctores annotarunt, graſſabatur, ſaepe metaſtaſis ad teſtes fiunt, quod a Noſtro etiam obſeruatum eſt. Glandularum ſalivalium tumor morbo ſuperato remanens, vſu mercurialium interno vel frictionibus lenioribus mercurialibus adhibitis, facile diſſipatur.
p. 18. Febrem inflammatoriae naturae vidit Noſter, in qua exanthematum apparitio ſemper leuamen afferebat, quae calido regimine et ſudoriferorum vſu retardata, venaeſectione contra et methodo
p. 30. antiphlogiſtica accelerabatur. In angina epidemica maligna ſcarificationes partium gangraenoſarum vehementer nocent. Summa inter hunc morbum et luem bouillam, quae tunc temporis etiam in Anglia graſſabatur, ſimilitudo eſt, atque ipſe ARETAEVS, qui anginam hanc malignam iam deſcripſit, luem pecorum etiam praeceſſiſſe monet.

p. 38. Sequuntur varii caſus et obſeruationes ab amico quodam, qui chirurgi in naue bellica munere fungebatur, Auctori Cl. communicatae. Naturae vi partem maxillae inferioris, quae carie exeſa ſeceſſerat, reſtitutam vidit. Ex caſu ab alto obſeruauit ſe-
p. 41. ceſſum oſſis frontis ab oſſibus bregmatis, ab vno oſſe temporum ad alterum eo in loco vidit Cl. Auctor, vbi ſutura coronalis antea fuerat. Aderat quoque depreſſio oſſis frontis variaeque fiſſurae in eo. Nihilominus tamen trepanatione facta et dura

matre

matre ab vno oſſe temporum ad alterum diuiſa, aeger conualuit. Compreſſionem arteriae ſubclauiae in amputatione brachii, quae in articulo humeri cum ſcapula fit, ſupra clauiculam, in quo loco eam Cl. BROMFIELD etiam propoſuit, Cl. GOOCH quoque hic commendat, hariolatus inſtrumentum facile excogitari poſſe, quo haec arteriae compreſſio commodius fieri queat. Ligaturam arteriae in amputationibus eodem fere modo, quo Cl. BROMFIELD et ita quidem inſtituit, vt arteriam diſceſſam volſellae ope extraheret et filo circumdaret. p. 52.

Amicus Noſtri coſtam ferina tuſſi in aegro diffractam vidit, in quo vulnus quidem in oppoſito latere pectoris, ſed nulla cacochymiae venereae, ſcorbuticae vel ſcrophuloſae ſigna aderant. In lepra Cl. GOOCH ſolutionis mercurii ſublimati Swietenianae internum vſum vtiliſſimum vidit. Commendat quoque in ea vnguentum ex picis liquidae vncia vna ſemis, vnguenti e floribus ſambuci diſpenſatorii Londinenſis vnciis quatuor et lixiuii tartari vncia vna praeparatum, quod bis in die calida manu applicari partibus affectis iubet. Praeſtantiam methodi, quam Cl. GOOCH olim iam in iis fracturis oſſium complicatis commendauit, in quibus oſſa fiſſa et plura fragmenta adſunt, variae obſeruationes hic inſertae vlterius probant. Serrae vero ope oſſis partem laeſam totam eximit et reſtitutionem huius fragmenti naturae committit, qua ratione non membrum tantum ſeruatur, ſed et irritatio, quae a fragmentis oſſium pendet, impeditur. In haemorrhagia, quae in fractura oſſis complicata, ex arteria medullari fibulae oriebatur, neque omni cura adhibita ſiſti poterat, trepanum Noſter applicauit, eiusque ope partem oſſis ita exemit, vt arteria nunc oculo pateret et comprimi p. 55. p. 61. p. 79. p. 83.

 poſſet.

poſſet. Ita vero adhaerebat arteria oſſeo tubo, vt neque ſe retrahere neque claudere poſſet.

p. 86. Fracturam colli femoris Cl. Auctor deſcribit, in qua caput in acetabulo remanſerat, ac delineationem eius exhibet. Variae quoque adnotationes de vſu capſulae ad oſſa fracta a noſtro Auctore excogitatae, quam in obſeruationibus olim deſcripſit, hic adduntur. Singularem deinde ouarii morbum Cl.
p. 110. GOOCH deſcribit. Femina, quae iam per aliquot annos tumorem in ſiniſtro abdominis latere doloremque obtuſum ſenſerat, tandem grauida facta, quinto grauiditatis menſe ad Auctorem Cl. acceſſit. Conquerebatur de difficultate in vrinae excretione, ita vt nonnunquam cathetere opus eſſet: octauo tandem grauiditatis menſe liquor amnii ſponte effluebat, nulli vero ad partum dolores ſequebantur, febreque orta poſt aliquot dies periit. Sectione facta, vterus in ſiniſtro latere gangraenoſus et ouarium eiuſdem lateris magnitudine auctum, reperiebatur. Continebat vero illud materiam pultaceam membrana ſatis craſſa incluſam, in qua adipis quoque fruſtum, in eoque plurimi pili iique ſatis longi inueniebantur *).

Cuticulae manus ſpontanei ſeceſſus hiſtoria, quam Cl. Auctor in volumine tranſactionum quinquageſimo nono iam publicauit et de quo ſuo loco expoſui-

*) Plura ouariorum, in quibus pili reperti ſunt, exempla apud Auctores occurrunt. Nuper quoque ſimilis caſus in noſocomio Lipſienſi a Cl. BOSE et HEBENSTREIT obſeruatus eſt, in quo vero non ex pinguedine, ſed ex ipſa ouarii interna ſubſtantia, in qua radices pilorum incluſae erant, pili oriebantur et in cauitatem pultacea materia repletam excreſcebant. Conferantur quoque hic Aduerſ. medico practica Vol. III. p. 706. comm. noſtr. Vol. XX. p. 694.

expoſuimus *) etiam hic iterum inſerta eſt. Ex ictu intra quartam et quintam coſtam, quo pleura, muſculi intercoſtales et pulmones ipſi laedebantur, cute et coſtis illaeſis, ſummus emphyſematis vniuerſalis gradus cum maxima anxietate oriebatur. Inciſione loci laeſi facta aër magna vi erumpebat, quem aqua ſequebatur ſanguinolenta, cuius effluxu altero die inſigniter aucto, aeger tandem tertio die moriebatur. p. 118. p. 122.

In alio aegro poſt peripneumoniam diſpnoea remanebat, illeque ſaepe pus tuſſi reiiciebat, doloreque in quodam pectoris loco, cum ſenſu fluctuationis liquidi in pectoris cauitate, quoties tuſſiebat, moleſtabatur. Inciſione tandem eo in loco, vbi dolorem percipiebat facta, aër, nullum liquidum egrediebatur, dolorque et fluctuationis ſenſus poſtea euaneſcebant. Aliquot tamen menſibus praeterlapſis aeger phthiſicus periit. Similem caſum a Cl. HEWSON **) annotatum fuiſſe Cl. Auctoris eſt obſeruatio. Varias obſeruationes de tumoribus cyſticis inſignis magnitudinis a Cl. Auctore exſtirpatis omittimus. Strumoſi in collo tumoris ſeu bronchoceles exſtirpationem ſatis periculoſam et nonnunquam impoſſibilem eſſe, ob haemorrhagiam, quae in eiusmodi aegris oritur, et difficulter compeſci poteſt, variae obſeruationes hic relatae probant. Ligatura vaſorum nullam in hoc caſu opem tulit. p. 126.

 Cum

*) Phil. Tranſact. Vol. LIX. p. 281. comm. Vol. XVIII. p. 281. Confer quoque Cl. LATHAM obſeruationes in hunc caſum. Phil. Tranſact. Vol. LX. p. 443. quarum epitomen in comm. noſtr. Vol. XX. p. 494. dedimus.

**) vid. Lond. Med Inquir. and Obſeruat. Vol. III. p. 372. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 151.

p. 138. Cum in abſceſſu ſinus maxillaris perforatio alueolorum, quoniam aeger iam diu omnes dentes amiſerat, non fieri poſſet, Cl. Auctor eam in exteriore latere oſſis malae inſtituit, ac iniectionibus et reliquis remediis in eiusmodi malo vtilibus adhibi-
p. 140. tis, aegrum breui reſtituit. Tumor in regione epigaſtrica poſt ictum in hunc locum acceptum ortus, atque per plures annos durans, tandem inflammatus ſponte rumpebatur ita, vt cibi ex eo ſub inſpiratione egrederentur. Aegro demortuo ſectio vlcus in ventriculum patuiſſe oſtendebat.

p. 146. Cancrum oris Cl. Auctor oriri vidit in femina, quae tubulum, per quem ſoror eius cancro oris et linguae affecta alimenta ſugendo aſſumebat, imprudenter in os ſumſerat. Maritus aegrae per oſcula eius eodem triſti malo affectus, variis artis auxiliis fruſtra tentatis tandem mortuus eſt. Auctor vero noſter vſu mercurii ſublimati corroſiui et decocti lignorum interno et externe ope collutionis oris cum melle et pauxillo ſublimati aegram ſanauit. An carcinoma hoc forte ex venerea cauſſa ortum fuit?
p. 150. Addit Cl. Auctor varias circa cancrum et curam eius in vniuerſum obſeruationes. Verum ſcirrhum non reſolui poſſe, ſed omne auxilium in exſtirpatione eius poſitum eſſe monet. Antequam vulnus clauditur, mercurii ſublimati vſus tentandus et fonticuli in vicinia vulneris excitandi ſunt. In cura vlceris cancroſi palliatiua, ſaturnina reliquis omnibus remediis praefert, cataplaſma tamen ex dauci radice nec
p. 171. non cicuta bonos ei praeſtiterunt effectus. In hydroceles cyſticae cura, cum ſtatus teſtis dubius eſſet, inciſionem cauſtico et ſetaceo praetulit Noſter, ac cum teſtem omnino morboſum eſſe inciſione facta cognoſceret, exſtirpationem eius ſtatim
p. 177. ſuſcepit. Maniacus clauum ferreum quinque pollices longum deglutitum poſt quatuordecim dies
lenio-

lenioris purgantis ope et nulla alia inſequente noxa per anum iterum reddidit. Vlcus in perinaeo oriebatur ex fragmento oſſis per laeſionem externam ſeparato et oſſe exemto facile ſanabatur. In eodem hoc aegro teſtis adhuc in inguine haerens cum nondum in ſcrotum deſcendiſſet, ab imprudente chirurgo pro ſcrophuloſo tumore habitus emplaſtris reſoluentibus fruſtra tentabatur, donec Cl. Auctor aduocatus mali veram cauſſam cognoſceret. In aegro ſexaginta annorum, pluribus lenioribus malis antea vexato, hepar, quod 28 librarum pondus habebat, Noſter reperit. Plures quoque in eo hydatides et ſaccus in conuexa eius ſuperficie aderat, qui duodecim aquae libras continebat. Lienis etiam magnitudo multum aucta ipſeque hydatidibus repletus erat. In alio aegro, qui diu iam calculoſus fuerat, abſceſſus in perinaeo et ex eo vlcus fiſtuloſum veſicae oriebatur. Tandem a chirurgo calculus in inteſtino recto detegebatur et ſphinctere diſſecto feliciter extrahebatur, quo facto aeger intra duos menſes conualuit.

p. 179.

p. 181.

p. 184.

Caſum eſſerae a Cl. MOUNSEY in tranſactionibus medicis Collegii Medicorum Londinenſis communicatum *) Noſter iterum hic inſeruit. Sequitur conſilium medicum de aquarum Balaruccenſium vſu in aegro, vlcere et carie in lumbis affecto. Electricitas in malo iſchiadico, intempeſtiue adhibita, vlceris huius cauſſa fuerat. Aeger nephriticis doloribus obnoxius in mictum cruentum incidit, cum vomitu et diarrhoea, qui morbus omnibus remediis reſiſtebat, ita, vt aeger morti proximus eſſe videretur. Seruatus tamen eſt quatuor granis opii datis, quod euacuationes iſtas ſiſtebat. Hiſpani cuiuſdam, qui ſeptuageſimo tertio aetatis anno

p. 195.

p. 215.

p. 218.

 morie-

*) Tom. II. n. XI. Comm. noſtr. Vol. XIX. p. 207.

moriebatur, ſed per omnem vitam nullum fere ſomnum capeſſerat historiam Noſter enarrat. Spaſmo-
p. 226. dicam affectionem ſingularem Cl. MOUNSEY hic enarrat, pluribus peculiaribus ſymptomatibus ſtipatam quam vſu infuſi radicis ſeneka vinoſi aliquo modo leuauit. Acutus in pollice dolor in hoc morbo aderat, qui adſcendens vehementiſſimos excitabat ſpaſmos: frictione aut percuſſione leni, in eo loco, vbi vltima vertebra colli cum prima dorſi coniungitur, tantum leuandus. Similia mala ex cauſſa idiopathica in cerebro ſaepe oriri Cl. GOOCH variis obſeruationibus probat.

Ex vulnere forfice ſupra orbitam in puella facto, quod leuius in initio eſſe videbatur, aegra tandem in ſoporem delapſa, magna aquae limpidae copia effluxit, eoque effluxu per plures dies durante aegra reſtituta eſſe videbatur. Ex improviſo tamen conuulſionibus affligebatur, hinc inciſio in loco vulneris inſtituebatur, qua tamen nil praeternaturale detectum eſt. Clyſtere tandem adhibito conuulſiones ceſſabant et poſt aliquot dies puris copia e vulnere effluxit aegraque perfectam ſanita-
p. 258. tem acquiſiuit. Oſſium emollitionem non ab acidi exſuperantis in humoribus copia, ſed a defectu nutritionis oſſium pendere *) Cl. Auctor demonſtrat. In annexa tabula aenea inter alia cranium neonati, in quo tumor ex ſanguinis intra cranium et pericranium effuſione ortus fuerat **) delineatur.

VIII.

*) Similem opinionem iam Beat. LVDWIGIVS in diſſ. de laeſa oſſium nutritione propoſuit. v. Aduerſar. medic. practic. Vol. II. p. 442. v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 127.

**) Pertinet haec figura ad libri Auctoris de vulneribus pag. 323. Conf. comment. ſupplem. decad. II. pag. 596.

VIII.

Eſſays medical and experimental by THOMAS PERCIVAL M. D. F. R. S. The ſecond edition reuiſed and conſiderably enlarged, to which is added an appendix. London printed for Io. Iohnſon 1772. 8. p. 384.

i. e.

Diſſertationes et experimenta ex re medica. Editio altera reuiſa et multum aucta vna cum Appendice.

IX.

Eſſays medical and experimental on the following ſubiects; 1) On the Columbo Root; 2) on the Orchis Root, 3) on the waters of Buxton and Matlock in Derbyſhire, 4) on the medicinal uſes of fixed Air, 5) on the antiſeptic and ſweetening powers and on the varieties of factitious Air, 6) on the noxious vapours of Charcoal, 7) on the Atra Bilis, 8) on the Sea Salt, 9) on Coffee. To which are added ſelect hiſtories of diſeaſes, with remarks, and propoſals for eſtabliſhing more accurate and comprehenſiue bills of mortality. By T. PERCIVAL. London printed for Iohnſon 1773. 8. p. 252.

i. e.

Diſſertationes et experimenta ex re medica de obiectis ſequentibus; 1) De radice Columbo, 2) de radice Orchidis, 3) de aquis mineralibus Buxtonienſibus et Matlockienſi-

bus in comitatu Derbyenſi, 4) De vſu medico aëris fixi, 5) de vi antiſeptica et dulcificante aëris factitii eiusque variis ſpeciebus, 6) de noxa vaporum carbonum, 7) de atra bile, 8) de ſale marino, 9) de Coffea. Additae ſunt ſelectae morborum hiſtoriae cum annotationibus, nec non conſilium de modo indices mortuorum pleniores et accuratiores efficiendi. Auctore THOMA PERCIVAL M. D.

De priori editione primi voluminis harum diſſertationum iam alio loco dictum eſt*). Addita vero eſt commentariis, quorum epitomen tunc dedimus, diſſertatio de aqua, inprimis vero de *aqua
Vol. I. *puteali vrbis Mancheſter*, quae inter eas referri me-
p. 263. retur, quae vulgo durae dicuntur. Differit vero Cl. Auctor primo de aquae in corpus humanum efficacia in vniuerſum. Aquae, quae plures terreas particulas continent, calculorum in corpore humano geneſi ex eo fauent, quod haec aqua terrenis partibus iam abundans, illas terreſtres particulas, quae per vrinam euacuari debent, non ſuſcipi poſſit, quae ideo in corpore remanentes calculorum geneſi originem praebere poſſunt. Probat hoc Cl. Auctor variis exemplis aegrotorum calculo renum laborantium, in quibus ſola mutatio putei, cuius aquam bibebant, egregios effectus praeſtitit. Suadet hinc Cl. Auctor, vt in calculoſis affectionibus, loco vulgaris aquae, deſtillata potius adhibeatur atque experimento probat, aquam ſimplicem deſtillatam ſatis magnam portionem calculi humani diſſoluere poſſe. His in vniuerſum propoſitis Cl. Auctor ipſa experimenta enarrat, quae cum aqua diuerſorum puteorum inſtituit.

Probant

*) v. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 596.

Probant vero ea aquam hanc magnam quantitatem ſeleniticae terrae, nec non aluminis copiam continere, de qua re paullo inferius adhuc dicendi erit locus. *Duriſſimae* quoque aquae molles et cum ſapone miſcibiles euadunt, ſi iis ſal Tartari additur. Tanta vero huius ſalis copia in Mancheſtrienſi aqua, ſi eam molliorem reddere velimus requiritur, vt ea peſſimum ſaporem acquirat, neque amplius communibus vitae vſibus inſeruiat. Coquendo aqua mollior fit, calor enim ſalinarum in aqua contentarum particularum decompoſitionem efficit ita, vt expulſo acido vitriolico vel muriatico, terra remaneat indiſſolubilis, quae fundum vaſis occupat. Per quartam vero partem horae ad minimum coctio durare debet, atque cum magna aëris copia coctione pereat et hinc aqua minus ſalutaris euadat, poſt coctionem aqua aliquot horas aëri libero exponi debet. Ad aquam molliorem reddendam commendat quoque Cl. Auctor filtri lapidis vſum, qui cum coctura vniri poteſt. Sola expoſitio aquae putealis Mancheſtrienſis in aëre libero, eam non emollit nullumque quoque effectum malti vel herbae theae admiſtio, vel fermentatio in hanc aquam habet, quod probat ſalubritatem cereuiſiae magna ex parte ab aquae qualitate pendere, ex qua parata eſt. Lateres aquam duriorem reddunt et aluminoſam, hinc in puteorum conſtructione non, vti vulgo fit, lateres adhibendi ſunt. Experimenta Cl. Auctoris non probarunt, plumbum in aqua aluminoſa diſſolui poſſe, licet acidum vitriolicum maiorem cum plumbo, quam cum baſi aluminis affinitatem habeat. Suſpicatur tamen Cl. Auctor praeſentiam plumbi non ſemper ope tincturae ſulphuris volatilis ſeu liquoris probatorii detegi poſſe, vti etiam adſtringens vegetabilium natura non in omnibus admiſtione vitrioli ferri, quod alias eos nigro colore imbuit,

imbuit, declaratur. Aquae molliores, inprimis vero deſtillata, adſtringentes et amaras vegetabilium partes, nec non reſinoſas, calcem, et ipſos humanos calculos, longe melius quam durior, ſoluunt. Contra ad tinctorios vſus duriores aquae magis aptae ſunt.

p. 288. Iam quod ad aluminis in aquis Mancheſtrienſibus praeſentiam attinet, eam Cl. Auctor potiſſimum ex eo probare vult, quod ea ſyrupum violarum viridi colore imbuat. Licet enim aquae quoque, quae alcali minerale continent, ſimilem effectum producant, tamen experimenta chemica cum hac aqua inſtituta nil alcalini in ea demonſtrarunt. Contra terra, quae aluminis baſin conſtituit, ſatis copioſe his aquis ineſt, additoque acido vitriolico verum alumen ex ea generatur.

p. 349. Hanc diſſertationem alia excipit, in qua *de noxa methodi infantes paullo poſt natiuitatem inoculandi*, quam, vti notum eſt, varii recentiores propoſuerunt, Cl. Auctor diſſerit, in qua Cl. MATY, qui primus hanc rem commendauit*), argumenta Noſter refellit. Pluribus morbis neonati obnoxii ſunt, neque numerus morborum, qui hanc aetatem infeſtant, morbo arte producto augendus eſt. Lac quoque matris metu et anxietate per inoculationem infantis ſui excitatis omnino mutari debet. Nutricum etiam lac per varia diaetae vitia, aut ex animi pathematibus, noxiam qualitatem acquirere et effectum inoculationis infelicem reddere poteſt, vti plura inprimis a MONROO enarrata exempla probant. Obſeruauit quoque Cl. DIMSDALE in infantibus, quibus arte variolae communicabantur, numerum puſtularum eo maiorem fuiſſe, quo iuniores infantes erant, quod a maiore eorum irritabilitate

*) Vide *London medical obſeruat. and Inquir.* T. III. p. 287. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 147.

litate vel fluidorum copia pendere videtur. Plures quoque infantes, quam adulti, ante variolarum eruptionem moriuntur, qui etiam maioris eorum irritabilitatis effectus eſt. Reliqua Auctoris noſtri p. 361. contra neonatorum inoculationem argumenta, deſumta ſunt a periculo, quod puſtularum in ore eruptio in iis excitat: ab exanthematum in aetate infantili frequentia, craſſitie integumentorum et tandem a malo inoculationis in infantibus ſucceſſu, cum ex 58 infantibus, qui nondum ſecundum annum expleuerant, inoculatis, ſex, ex 220 vero, quibus intra alterum et quintum aetatis annum variolae inſertae fuerunt, tres tantum demortui ſint. Hinc Cl. Auctor concludit inoculationem non ante tertium aetatis annum inſtituendam eſſe. Si vero cauſſae adſint, quae eam iam primo et ſecundo aetatis anno neceſſariam reddunt, ea tamen non in neonatis, vt Cl. MATY ſuadet, ſed in infante duorum vel trium menſium fiat.

Vltimus huius voluminis commentarius *de efficacia remediorum externorum in gangraena maligna* p. 375. (vlcerous ſorethroat) agit. Cum difficillimus ſit in infantibus internorum remediorum, a variis Auctoribus in diro hoc malo commendatorum, applicatio, remediis externis ſaepe ſolum inſiſtendum eſt. Suadet vero Cl. Auctor vt hoc in caſu emplaſtrum v. c. e cumino, cui tertia pars emplaſtri veſicatorii et camphorae portio adiecta ſit nuchae, anteriori vero colli parti cataplaſma ex cortice Peruuiano et floribus chamomillae in aceto coctis, cui etiam camphora additur, adhibeatur et quatuor horis elapſis ſemper renouetur. Nonnunquam loco cataplaſmatis pannum linteum ſpiritu vini camphorato et aceto madefactum collo Noſter applicare iubet. Praeterea quouis die tria vel quatuor

tuor pediluuia ex cortice Peruuiano et floribus chamomillae in aceto et aqua coctis, aut ſi ob ſummam aegroti debilitatem hoc fieri nequit, panni hoc decocto imbuti pedibus applicari debent. Repleatur quoque aër conclauis aceti et aromatum antiſepticorum vaporibus. Ex internis remediis emeticorum in initio morbi vſum, Cl. Auctor multum commendat. In vniuerſum monet gangraenam malignam non localem affectionem, ſed vniuerſalem morbum eſſe. Acida mineralia egregii in hoc morbo vſus ſunt. Inprimis vero Cl. Auctor ſpiritum nitri dulcem laudat, quem in infuſo roſarum rubrarum, cui vini portio addita eſt, adhibere ſolet.

Vol. II. Accedimus iam ad alterum horum tentaminum volumen, in quo ſequentes commentarii continentur.

p. 3. *Experimenta et obſeruationes de radice Columbo.* Putat Cl. Auctor huius radicis a GAVBIO *) commendatae a nullo alio ſcriptore mentionem fieri. Interim a Cl. MVRRAY **) iam annotatum eſt, eam a RHEDI in libro inferius citato ***) ſub nomine *radicis Columbae*, vt potentiſſimum alexipharmacum commendatam eſſe. Habitat haec planta proprie in Aſiae continente terra, ex qua in regionem vrbi *Columbo* in Inſula Ceilon vicinam illata, iam ab hoc loco per totam Indiam diſtribuitur. Ab incolis harum regionum diu iam in variis ventriculi

et

*) Aduerſ. med. p. 82. conf. comm. Vol. XVIII. p. 475. conf. quoque Cl. CARTHEVSER diſſ. *de radice Columbo*. Francof. ad Viadr. 1773. et in Diſſ. phyſico chymicis ibid. 1775. p. 136.

**) *Medicinisch pracktiſche Bibliothek* Vol. I. p. 76.

***) Experimenta circa varias res naturales p. 142.

et inteſtinorum affectionibus puluis eius in vino adhibetur.

In Europam in taleolis vnum, duos vel tres pollices longis, aut in fruſtulis, quae duorum vel trium pollicum longitudinem habent, adfertur. Cortice tegitur rugoſo, ſatis craſſo, coloris exterius obſcure brunnei, interius vero flaui. Medulla dulcior eſt cortice ſeu lignoſa radicis parte. Taleoli craſſiores perforati ſunt, quo in exſiccatione filis ſuſpendi poſſent. Odor aromaticus, ſapor vero valde amarus et paullulum acrioris ſinapi, ſi per aetatem iam olei ſui eſſentialis partem amiſerit, ſimilis. Laudatur vero vt egregium roborans, ſedatiuum, antiſepticum et antiemeticum remedium. In cholera a drachma ſemis ad duas drachmas omni trihorio vel quadrihorio data, nullo etiam euacuantium vſu praegreſſo, vtiliſſimam ſe exhibuit. Licet nullam vel paruam tantum in ea adſtringentem vim Cl. Auctor detexit, tamen ſaepe ſalutares ab eius vſu effectus in diarrhoea ac dyſenteria vidit. Ea iam in primo horum morborum ſtadio ſine vlla noxa porrigitur, in quo adſtringentia aliena ſunt, cum vi ſua antiſpaſmodica irregularem actionem primarum viarum corrigat. Longe tamen praeſtantior eſt in fine horum morborum, vbi vim ſuam tonicam et analepticam exſerit. Prodeſt quoque in vomitu, qui bilioſam colicam comitatur, in quo morbo praemiſſa parua ipecacuanhae doſi Cl. Auctor infuſum radicis columbae adhibet, quod non modo, vt florum chamomillae infuſum, emetici actionem promouet, ſed et ſpaſmos impedit, qui ſaepe in corporibus valde irritabilibus et biolioſis vſu leniſſimi emetici excitantur. In febribus bilioſis quoque hanc radicem Noſter ad grana quindecim vel ſcrupulum vnum, cum anatica tartari vitriolati portione omni trihorio dedit, qua

methodo

methodo non ſolum vtilis diarrhoea excitatur, ſed et ſimul putrida primarum viarum ſaburra corrigitur. Si aluus in hac febre ſatis libera eſt, infuſum huius radicis cum elexirio vitrioli dulci detur. Praeferendus eſt in hoc caſu eius vſus cortici Peruuiano, qui, ſi etiam vera iam adſit intermiſſio, tamen ſemper calorem febrilem auget et linguam ſicciorem reddit. Suadet quoque Cl. Auctor, vt experimenta cum hac radice in febre flaua Americana (*yellow fever*) inſtituantur, in qua vomitus biliosi aegrum maxime excruciant.

p. 11. Saepe Cl. PERCIVAL vim huius radicis in ea cholera expertus eſt, quae infantibus dentitionis tempore accidit, in qua ſymptomata haud raro ſtatim poſt eius vſum ſedantur. Ad corrigendam vero acidam primarum viarum ſaburram, eam in hoc caſu cum magneſia commiſcet. In ventriculi languore et dyſpepſia vel in ſubſtantia, vel cum aromate commiſta, vel in infuſo vinoſo exhibita, vtiliſſima eſt. Si bilis vitium adſit ex bile bouilla et puluere radicis Columbae pillulas Cl. PERCIVAL formari iubet. In omni vomitu habituali, qui ex debilitate et irritabilitate ventriculi, arthritide, acida vel bilioſa ſaburra etc. procedit, vſus huius radicis aliis remediis roborantibus, carminatiuis, antacidis cet. pro varia indicatione admiſtis, commendandus eſt, qui etiam vomitum ex calculo renali ortum ſaepe ad tempus leuat. In grauidarum tandem vomitu, venaeſectione inprimis praemiſſa et aluo libera reddita, egregios effectus praeſtat.

p. 14. His praemiſſis Cl. Auctor varios enarrat caſus, qui efficaciam huius remedii vlterius probant, tandemque varia experimenta addit, quae cum hac

p. 19. radice inſtituit. Probant ea menſtruum ſpirituoſum partes efficaces, quae in hac radice continentur magis quam aquam, vinum cet. extrahere.

Extra-

Extractum ſpirituoſum quoque in morbis efficaciſſimum eſt. Sapor radicis Columbae, addito cortice aurantiorum, egregie emendatur. Carnis putredinem minus, quam cortex Peruuianus, impedit, bilis vero putridam corruptionem ex inſtanti corrigit, ac ciborum quoque fermentationem retardat. Hinc cauſa vtilitatis eius in cholera ac debili digeſtione patet. Pulſus celeritas ab vſu huius radicis non augetur, quod oſtendit, eam ſine noxa in phthiſi et hectica febre quoque adhiberi poſſe. Praeferenda eſt in hoc morbo cortici Peruuiano, qui nonnunquam ventriculum moleſtat et diarrhoeam excitat. Inprimis lacte ſimul adhibito vtiliſſima eſt, cum flatuum et acidi generationem impediat.

De praeparatione, cultura et vſu radicis Orchidis p. 37. f. *Salep.* Ex *orchide maſcula* LINN. non ſolum, ſed et ex *latifolia* EIVSD. *Salab* methodo, a Cl. RETZIO in Commentariis Academiae Suecicae a. 1764 *) et Cl. MOVLT **) deſcripta, praeparari poteſt. Commendat vero Cl. Auctor hanc radicem, vt optimum nutrimentum, inprimis ad nautarum vſum, eamque oryzae multum praefert, quae putredini minus reſiſtit. Quod vero virtutem eius medicam attinet, ea, ob vim ſuam nutrientem, roborantem, mucilaginoſam et acrimoniam humorum corrigentem, in variis morbis vtiliſſima eſt. Inprimis in ſcorbuto, qui nautas infeſtat, acrimoniam humorum corrigit, ſimulque bonus omnisque acrimoniae expers chylus ex ea praeparatur. Egregios quoque in diarrhoea et dyſenteria effectus praeſtat, cum internam inteſtinorum tunicam muco obducat eamque contra acrimoniam defendat, irritationem impediat et putredini reſiſtat. In febre ſymptomatica, quae ex puro

*) v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 137.
**) Philoſoph. Tranſact. Vol. LIX. p. 690 comm. noſtr. Vol. XX. p. 480.

pure vlceris pulmonum, vel alius vulneris aut vlceris reſorpto oritur, reſolutionem ſanguinis impedit. Laudanda quoque eſt ob mucilaginoſam ſuam indolem in calculo, ſtranguria et dyſuria, inprimis in venerea, ſi vlcera colli veſicae et vrethrae adſint.

p. 53. *Experimenta cum aquis Buxtonianis et Matlockianis in Comitatu Derbyenſi.* In prioribus thermis aqua ad gradum 82 thermometri Fahrenheitiani et in poſteriore ad 68 adſcendit. Pulſum celeriorem reddit internus eius vſus. Cum ſatis magna aëris fixi copia aquis Buxtonianis inſit, eae ferrum additum cito ſoluunt, qua re efficacia eorum multum augetur. Poſſet ſimile forte experimentum cum aliis quoque thermis, quae paruam ferri copiam continent, tentari. Aquae Matlockianae cum Briſtolienſibus multum conueniunt; Buxtonianae calcaream terram, alcali minerale et ſal muriaticum; Matlockianae vero ſeleniticam terram et pauxillum ſalis muriatici continent.

p. 73. *De vſu medico aëris fixi.* Iam alio loco a nobis annotatum eſt, aërem e corporibus, quibus antea inhaerebat, euolutum, quem nunc vulgo *aërem fixum* nominare ſolent, ad vſus medicos quoque adhiberi *). Confirmatur medicata eius aëris vis per obſeruationes a Cl. Auctore hic communicatas. Vidit enim ille aërem fixum in ſatis magna copia, ſine vllo damno aut incommodo inſpirari poſſe. In thermis Bathenſibus aër, qui aëre hoc multum repletus eſt, et ab iis, qui his balneis vtuntur, inhalatur, nulla mala ſymptomata producit. Hac obſeruatione excitatus Noſter pluribus phthiſicis inſpirationem vaporis ex miſtura cretae cum aceto adſcendentis commendauit, idque optimo cum effectu. In nonnullis enim hectica febris multum imminuta et materia purulenta tuſſi reiecta magis cocta appare-

*) vid. ſup. p. 89 ſeqq. p. 124.

apparebat, imo foetidus odor imminuebatur. Radicalem tamen curam ipſe nunquam hac methodo praeſtitit, quod tamen ab alio medico Cl. WITHERING factum eſt. In vlceribus foetidis, imo cancro ipſo vapor ſupra commemoratus, vt palliatiuum remedium cum fructu adhibetur, cum dolores leuet, et pus emendet, plenariam vero curam nunquam Noſter in cancro obtinuit. Forte tamen aër nitroſus, i. e. aër ex metallis omnibus et ſemimetallis, excepto zinco, acidi nitri ſolutione extricatus, qui per experimenta Cl. PRIESTLEY ſummam vim antiſepticam habet, plus quoque in hoc diro malo praeſtaret. In febribus putridis inhalatio aëris fixi, potus liquorum hoc aëre inpraegnatorum et clyſmata ex hoc aëre parata vtiliſſima ſunt. In ſcorbuto quoque et aliis morbis, in quibus ſumma humorum reſolutio adeſt, aëris fixi et infuſi e malto vſus egregios effectus praeſtat.

Additae ſunt huic commentario variae obſervationes *de vi antiſeptica aëris factitii eiuſque varietatibus.* Confirmat Noſter putredinem ab aëre fixo retardari et Cl. MACBRIDE ſententiam contra obiectiones, a Cl. ALEXANDRO prolatas *), defendit. Quod vero modum attinet, quo hoc aër ille praeſtat, fatendum eſt eum maxime adhuc obſcurum eſſe. An vt menſtruum in putrida effluuia agit, eaque imbibit, vel e putreſcente corpore extricat? An, vti Noſtro arridet, egreſſum aëris e corpore putreſcente, ſeu earum particularum ſeceſſum impedit, quarum ſeparatio eſſentialem partem proceſſus putrefactionis conſtituit. Aër exſpiratione e pulmonibus egrediens et in phialam aqua deſtillata et ferro repletam admiſſus, aliquam ferri ſolutionem praeſtitit. Idem quoque ab aëre e putrida bile extricato factum eſt. Solutiones ferri in aqua variis p. 81.

 ſpecie-

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 22.

ſpeciebus aëris fixi praegnante praeſtitae, ſi infuſum gallarum iis admiſcetur, colore differunt, quod eas ſpecie, vel vti nos putamus, gradu, maioreque aut minore copia ferri ſoluti, differre oſtendit. Plura alia ſimilia experimenta Noſter addit, quibus varias ſpecies factitii aëris in qualitatibus et effectibus ſuis variare Noſter probare conatur.

p. 90. Inprimis monet fixum aërem metallorum ſpecie diuerſum eſſe ab eo, qui in alcalinis ſalibus et terris calcareis continetur. Hinc ſalia illa et calx, dum reductionem calcis metallicae praeſtant, non aërem calcinatione deperditum reſtituunt, ſed hoc magis ab igne pendet. Forte alcalia et terrae calcareae, vt *fluxus* adhibitae, actionem ſuam praeſtant abſorbendo eam materiam, quae ſubſtantiis metallicis in calcinatione additur pondusque eorum inſigniter auget.

p. 92. *De noxiis vaporibus carbonum*, variae obſeruationes, a Cl. DOBSON communicatae, hic inſeruntur. Caſum enarrat viri hoc vapore pene ſuffocati, et ex ſymptomatibus in eo obſeruatis probat, illum vaporem non in pulmones, ſed in cerebrum et ſyſtema neruoſum vim ſuam deleteriam exercere. Adnexae ſunt plures aliae ſimiles hiſtoriae et obſeruationes, quae oſtendunt, vaporem mephiticum ex ſpeluncis variis, cet. adſcendentem, eadem ratione agere, qua vaporem carbonum.

p. 110. *De atra bile.* Deiectiones nigras, quas veteres *Atram bilem* vocabant, non, vt nonnulli recentiorum putant, a ſanguine in cauum inteſtinorum effuſo et ibidem, per aliquod tempus, commorato ac putrefacto oriri, Noſter probat. Putat potius bilem eſſe, quae ſtagnatione in veſicula fellea acrior et abſorptione particularum fluidiſſimarum ſpiſſior facta ſit. Haec, ſi in duodenum euacuatur, ſummas turbas excitat, quae non aliter ſedantur, quam

eua-

euacuatione eius facta. Probat hoc Cl. Auctor variis obſeruationibus. In dentitione infantum difficile, febrilia ſymptomata ſaepe euacuatione piceae eiusmodi materiae leuantur. Idem quoque hoc in aſthmate acuto ſeu catarrho ſuffocatiuo aliquoties Noſter vidit. Vtrum vero in hoc caſu atra bilis cauſſa, an effectus morbi ſit, determinare non audet. Cauſſam tamen eſſe, ei probabilius videtur.

De qualitate ſeptica ſalis marini, ſalis amari cathartici et magneſiae. Experimenta Cl. Auctoris probant ſalem culinarem vulgarem ad ſcrupulum ſemis adhibitum putrefactionem promouere: ſalem amarum, in eadem doſi, maiorem vim ſepticam adhuc oſtendere: ſalem vero marinum, eoque magis adhuc ſalem mirabilem GLAVBERI, putrefactioni reſiſtere. Septica et antiſeptica ſalium virtus, in hac quantitate euidenter a diuerſo puritatis eorum gradu pendet. Interim ſal marinum et amarum, licet putrefactionem accelerent, tamen progreſſum quoque eius vltra certum aliquem terminum plane impediunt. Atque haec quidem qualitas diaetetici vſus ſalis marini vtilitatem magis adhuc demonſtrat. Copia ſalis amari, quae in aqua marina reperitur, atque a qua amarities eius pendet, cauſſa eſt, quae efficit, vt illa humores nimis diſſoluat et hinc variis grauiſſimis morbis anſam det. Magneſia alba cum acido in primis viis contento commiſta, excrementa inſigniter foetida reddit. Docet hoc magneſiam et ſalem amarum in morbis, qui ad putridos accedunt, cum cautione tantum adhibenda eſſe. Calcinationem magneſiae albae Edinburgenſis Cl. Auctor multum commendat: aëre enim fixo, hac ratione diſſipato, ea in primis viis flatus nullos producit, qualitatem vero purgantem et abſorbentem conſeruat. Cautio vero habeatur, ne ea, admiſta forte terra calcarea, cauſtica nimis in calcinatione fiat. p. 113.

p. 122. *De Coffea.* Coffeam chemice examinauit Noſter atque experimentis hic enarratis oſtendit, eam paullulum adſtringentem et antiſepticam eſſe, fermentationem alimentorum moderare, ac ſedatiuam ſeu narcoticam vim habere. Actio eius in ſyſtema neruoſum pendere videtur ab oleo, in coffea contento. In toſtione enim fabarum, odorem et ſaporem coffea peculiarem acquirit et paullulum empyreumatica fit.

p. 138. *In ſelectis morborum hiſtoriis*, quae ſequuntur, de variis morbis eorumque medela exponit Noſter. Primo caſum deglutitionis difficilioris ab affectione ſpaſmodica oeſophagi enarrat, cuius ſedes in inferiore parte huius tubi erat *).

p. 156. Enarrantur deinde variae *obſeruationes de hydrope.* Feminam tumore hydropico ouarii et hydrope aſcite laborantem, vomitu ſpontaneo magnaque aquae copia reiecta, Noſter curatam vidit. Suadet hinc, vt ſub initio huius morbi, ſi ſcilicet exiſtentia eius cognoſci poſſit, emetica exhibeantur, cum ea in hoc morbo reſorptionem aquae eodem modo praeſtare poſſint, vti hoc in hydrope articulorum per emetica mercurialia v. c. turpethum minerale nonnunquam fieri ſolet. Virgo aſcitica, in qua iam aliquoties per paracenteſin aqua educta fuerat, tandem huius operationis pertaeſa, a medico internum remedium expetiit. Praeſcripſit illi aegrotae iulapium aliquod e camphora, quod per quatuordecim dies ea in doſi ſumſit, vt quotidie drachmam vnam camphorae conſumeret. Hinc hydropicus tumor plane diſparuit. Tandem vero ex aegra magna puris copia per aluum ſeceſſit, eaque maraſmo obiit. Sectio cadaueris tumores ouarii ſteatomatoſos et ſaccum hydropicum purulenta aqua repletum, oſtendebat.

Tertia

*) Inſertus eſt hic caſus alteri volumini Tranſactionum medicarum a Collegio Medico Londinenſi publicatarum (*Medical Tranſactions*) p. 90. vid. comm. Vol. XVII. p. 202.

Tertia obſeruatione Cl. Auctor exponit, *de hydrope pulmonum*, in quo aqua in ipſis cellulis huius viſceris ſtagnat. Morbi huius, non adeo rarioris, ſigna valde obſcura ſunt, et cum ſignis hydropis pectoris confundi facile poſſunt. Interim in hydrope pulmonum reſpirationis difficultas ſemper durat, neque ſitu corporis mutato, vti in hydrope pectoris fit, augetur vel minuitur. Nunquam plenaria inſpiratio fieri poteſt, ſed ea ſubito interrumpitur. Pulſus paruus et debilis eſt, faciesque ac totum corpus leucophlegmatico tumore turgent. Quod curam huius morbi attinet, ſtatim purgans mercuriale fortius dari debet, atque veſicatoria pedibus applicanda ſunt. Praeterea vero diuretica, diaphoretica et expectorantia adhibeantur. Multum laudat Cl. Auctor radicis Senegae in hoc morbo vſum, quae ſaepe omnes has euacuationes ſimul excitat. Quodſi vero omnia haec remedia nihil praeſtent, ſuadet Auctor, vt paracenteſis thoracis fiat, ac vulnus ipſi pulmonum ſubſtantiae infligatur, quo aquae emitti poſſint. Hanc operationem neque adeo dolorificam, neque periculoſam eſſe Cl. Auctor putat, cum vulnera pulmonum vt plurimum curationem admittant, neque e vulnere pulmonum, inciſione facta, aër in cauum pectoris egrediatur. Sanguis enim in cellulas effuſus et inflammatio inde producta, egreſſum aëris et emphyſematis ortum impediunt. Si vero contuſione ſuperficies pulmonum laeſa ſit vel dilacerata, quod v. c. in fractura coſtarum ſaepe ſit, emphyſematicus tumor producitur. p. 172.

In paralyſi a fumo plumbi producta electricitatis applicationem vtiliſſimam Noſter eſſe vidit. Monet tamen huius remedii vſum, inprimis ſi ſucceſſus eo excitati nimis magni ſint, valde noxium p. 181.

eſſe. Plures minores ſaepiuſque repetiti ſuccuſſus p. 194. praeferendi ſunt validioribus. In *colica* pertinaci vſum aluminis, a Cl. GRASHUYS in egregio ſuo libello *de colica pictonum* commendatum, Noſter ſuis obſeruationibus confirmat. Cum enim inter indicationes, quibus cura huius morbi abſoluitur, monente iam Cl. GRASHUYS, etiam ea ſit, vt partes affectae, quantum fieri poſſit, in integrum reſtituantur, roborantia et adſtringentia omnino neceſſaria ſunt. Haud raro Cl. GRASHUYS et PERCIVAL viderunt, morbum anodynis et demulcentibus magna copia et ſatis diu aſſumptis vinci non potuiſſe, roborantibus vero fortioribus non calidis adhibitis, inuincibilem, vt videbatur, hoſtem feliciter profligatum fuiſſe. Ad ſcrupulum ſemis vel vnum Noſter alumen cum anatica ſacchari portione, aut gummi Arabico, vel etiam, ſi carminatiua calida neceſſaria eſſent, cum philonii Diſp. Lond. ſcrupulo ſemis dedit, eamque doſin tribus vel quatuor horis elapſis ſecunda vel tertia vice repetit. Secunda vel tertia doſis fere ſemper dolorem leuat vel tollit. Credit Cl. Auctor praeter tonicam aluminis vim, a qua cura potiſſimum pendet, neruos quoque inteſtinorum ab eo minus ſenſibiles reddi.

p. 202. Sequuntur variae *de vſu balneorum tepidorum* in variis morbis obſeruationes, quod remedium in Gallia et apud nos frequenter, ac cum ſummo fructu adhibetur, ab Anglicis vero medicis, qui balneis frigidis magis fauent, in morbis ſpaſticis et vbi ſolida nimis p. 220. tenſa ſunt, plus iuſto negligi videtur. *Paralyſin* ſaepe a viſceris cuiusdam vitio oriri, Cl. Auctor aegrorum hiſtoriis confirmat. Vidit eam a grauiditate et ſpaſmis p. 224. vterinis inde ortis productam fuiſſe. Tuſſilaginis vſum in hectica, diarrhoea colliquatiua cet. multum laudat.

laudat. Maiores doſes opii, licet iam per aliquod tempus datae fuerint, tamen ſubita in neruis et non determinanda mutatione facta, ſubitaneae mortis cauſſa fiunt. Semen aliquod ex India Orientali allatum, quod *Aiava* ibidem vocant, in colica flatulenta vtiliſſimum eſt. Acidorum vegetabilium vſus nimis diu continuatus ſanguinis cohaeſionem deſtruit, eumque ita reſoluit, vt plures grauiores morbi inde oriantur, Vltima obſeruatio clyſterum ex aëre fixo paratorum vſum in morbis putridis, ſuperius a Noſtro iam laudatum, magis adhuc confirmat. p. 226. p. 229. p. 235.

Finem huius voluminis facit breuis diſſertatio, in qua Cl. Auctor *methodum* proponit, qua indices *mortuarii vrbis* Mancheſter *accuratiores fieri et emendari poſſint.* p. 239.

X.

Mémoires de Mathematique et de Phyſique préſentées à l'Academie Royale des ſciences par diuers Sçauans & lus dans ſes Aſſemblées. Tome ſixieme, à Paris de l'Inprimerie Royale. 1774. 4. 3 Alph. pl. 13. Tab. aen. 17.

h. e.

Commentarii mathematico phyſici academiae regiae ſcientiarum Pariſinae per varios eruditos oblati et in eius conuentibus praelecti. Tomus VI.

In ſexto hoc Volumine ſequentes commentarii continentur.

1. Cl. MAZEAS *obſeruationes de formatione ſtalactitis in* Cliuo Cinnae *ſeu monte* Mario *haud procul ab vrbe Roma ſito.* Licet ſtalalactitis formatio p. 1.

matio quaſi ſub noſtris oculis fiat, tamen, vt in omnibus naturae operibus, ita et in hoc plurima adhuc obſcura ſunt. Cl. Auctor ſtalactitem, qui in dicto monte multis petrificatis referto naſcitur, ſollicite examinauit, putatque eum ex terra calcarea cum terra vitreſcibili et acido aliquo coniuncta conſtare. Terrae vero illae ſecundum eius opinionem ex petrefactis conchyliis, in monte Mario reperiundis originem ducunt, cum ex iis, aqua ſolutis, ſtalactites denuo formetur.

p. 17. 2. *Eclipſis Lunae obſeruata* Viennae a I. LIESGANIG 1766. d. 24 Febr.

p. 19. 36. 3. Cl. DU TOVR *Commentarius* II *de diffractione luminis cum appendice.*

p. 43. 4. *Obſeruatio tranſitus Veneris per diſcum ſolis* d. 6. Iun. 1761. Rotomagii *facta* a Cl. BOVIN et DVLAQVE.

p. 45. 5. *Obſeruatio de cryſtalliſatione ſalium mediorum, quorum baſis alcali fixum vel terra abſorbens eſt* a Cl. BAUMÉ. Cl. ROVELLE in commentariis Academiae Scientiarum *) propoſuit, tartarum vitriolatum et plura ſalia metallica ſe ita cryſtalliſare poſſe, vt acidum non perfecte ſaturatum ſit, ſed adhuc in iis ſuperflua adſit eiuſdem portio. Hoc Cl. BAUMÉ negat, defendens ſolis *mediis mechanicis* v. c. dum ſal ſuper chartam bibulam vel arenam collocatur, acidum exſuperans ſeparari poſſe. Hinc lis inter illum et Cl. ROVELLE orta eſt, quae pluribus experimentis hic fuſius enarratis occaſionem dedit.

6. *Loci*

*) Mém. de l. Acad. des ſciences 1754. p. 223. Comm. noſtr. Vol. IX. pag. 395.

6. *Loci planetarum* anno 1758. Rotomagii *obſeruati* a Cl. BOVIN et DVLAQVE. p. 48.

7. Cl. DE JOVBERT *Commentarius de teſtaceo ad Terebratulae genus pertinente.* Notum eſt, Anomias ſ. Terebratulas, quae tanta in copia petrefactae reperiuntur, demum ante aliquot annos viuas, inprimis in mari mediterraneo inuentas eſſe. Cl. Auctor eiuſmodi teſtacea, madreporis adhaerentia, ex mari mediterraneo obtinuit et animal teſtam inhabitans ſollicite deſcribit. Cum hoc etiam a variis aliis recentioribus factum ſit *), monemus tantum, linguam ſeu partem, quam per foramen teſtae animal protrudit et qua aliis corporibus adhaeret, egregie a Noſtro depingi. p. 77.

8. *Obſeruatio eclipſis Solis* d. 16 Aug. 1765. a Cl. DAPRES DE MANNEVILLETTE. p. 81.

9. *Commentarius de nonnullis teſtaceis in mari mediterraneo nuper detectis*, auctore Cl. DE JOVBERT. Fere eadem, quae commentarius ſuperior (n. 7) continet. Egregie de modo, quo diuerſa teſtacea aliis corporibus adhaerent, exponit. Alia, teſta ipſa lapidibus cohaerent, vt oſtreae; alia biualuia inprimis, quorum teſtae exacte clauſae ſunt, inſtrumento ancorae ſimili ſe corporibus vicinis adfigunt. Solenes et alia partem, quae palum fere refert, in arenam dimittunt. Biualuia, quorum teſtae male tantum clauduntur, filis ſericeis ſeu byſſina barba (vt pinna) vicinis corporibus adhaerent. Anomia vero linguam habet, quae pilis breuioribus veſtita eſt. p. 83.

10. Cl.

*) v. Cl. GRÜNDLER in diario germanico *der Naturforſcher* T. II. p. 80. Tab. 3. nec non Cl. PENNANT et LINNE in Nou. Act. Vpſal. T. I. p. 38. vid. Comm. noſtr. Vol. hoc pag. 191.

p. 92. 10. Cl. MESSIER *de cometa* a. 1766. *viſo, diuerſo ab eo, qui ante vnum menſem in ſigno piſcium detectus fuerat.*

p. 94. 11. Cl. DE COSSIGNY *de methodo aquam dulcem in itineribus longis maritimis conſeruandi.* Ex conſilio Cl. HALES ſpiritum ſulphuris aquae Noſter admiſcuit viditque eo aquam optime conſeruari, atque inprimis inſectorum in aqua generationem impediri. Paucae guttae magnam aquae quantitatem vi ſua imbuunt. Dubitat adhuc Cl. Auctor: vtrum vſus eiusmodi aquae diaeteticus ſanitati noxius ſit, an innoxius? Fumigatio doliorum ſulphuris ope, quae vulgo fit in nauibus, antequam dolia aqua repleantur, nullum vſum praeſtat.

p. 110. 12. *Obſeruatio aurorae borealis Lutetiae Pariſiorum* d. 21 et 22 Maii 1761. a Cl. MESSIER facta.

p. 113. 13. Cl. GERARD *Obſeruatio de variis ſpeciebus generis* Caucalidis. Diuerſas ſpecies, quae Caucalidis genus conſtituunt, Noſter accuratius deſcribere et ſynonyma Auctorum rectius diſponere contendit. Omnes vero huius ſpecies vel inuolucrum vniuerſale habent, vel eo carent. Inter eas, quibus *inuolucrum vniuerſale nullum* eſt, primo numerantur:

1) Caucalis inuolucro vniuerſali nullo, vmbella trifida, inuolucellis triphyllis: Caucalis dauci ſylveſtris folio echinato, magno fructu MAGNOLII: Echinophora tertia leptophyllon, purpurea COLVMNAE, quae a LINNAEO ad *Caucalidem platycarpon* refertur.

2) Caucalis inuolucro vniuerſali nullo, vmbella bifida, inuolucellis pentaphyllis. ſ. C. aruenſis echinata, paruo flore et fructu C. B. et Lappula Canaria flore minore ſ. tenuifolia I. B. quam plantam in

campis

campis Galliae meridionalis ſatis vulgarem, Noſter accurate deſcribit.

Ad eas caucalidis ſpecies, *quae inuolucra habent*, a Noſtro ſequentes referuntur.

3) Caucalis petalis exterioribus inuolucellis longioribus maximis ſ. *Caucalis grandiflora* LINN.

4) Caucalis vmbella conferta, petalis exterioribus maioribus, longitudine inuolucelli: C. monſpeliaca echinato magno fructu C. B. Echinophora altera aſperior platycarpos COL. quae ad *C. daucoidem* LINN. forte pertinet.

5) Caucalis inuolucro vniuerſali diphyllo partialibus pentaphyllis ſ. C. pumila maritima C. B. C. maritima CLVS. Lappula Canaria ſiue C. maritima I. B.

6) Caucalis vmbella vniuerſali trifida, partialibus quinquefidis, fructiferis, foliis pinnatis, foliolis ſerratis ſ. *Tordylium latifolium* LINN.

Omnibus his ſpeciebus deſcriptis, Cl. Auctor cauſſas mutationis enarrat, quae ab eo in nomenclatura harum plantarum facta eſt. In vniuerſum monet, involucra non vt characteres generum et ordinum vmbellatarum inſeruire poſſe. Non enim fructificationis partes ſunt, ſummaque in iis varietas, inter ſpecies ad vnum genus pertinentes, obſeruatur.

14. 15. *Obſeruationes tranſitus Veneris per diſcum ſolis* d. 6 Iun. 1761. *in variis Galliae vrbibus factae* a Cl. BOVILLET DE MANSE, et OVTHIER. p. 124. et 133.

16. *Commentarius de aqua minerali ſulphurea, nuper in valle* Montmorenci *prope* Lutetiam Pariſiorum *detecta*, Auctore Reu. COTTE. Iam alio loco relatum eſt, ex lacu prope *Montmorenci* ſito, riuulum prodire, cuius aqua foetida ſit et ſulphur redoleat p. 135.

redoleat *) Cl. Auctor, qui vt iuuentor huius aquae conſiderari meretur, hic docet ipſam aquam riuuli ſulphureae indolis eſſe et variis forte vſibus medicis adhiberi poſſe.

p. 147. 17. *Obſeruationes de diuerſo gradu caloris diuerſorum fontium aquarum mineralium* Vicus Aquenſis (Bagnères). Auctore Cl. D'ARQVIER. Gradus caloris valde in iis differt. Ad 41 gradus thermometri Reaumuriani in vno adſcendit.

p. 157. 18. *Oppoſitio Iouis* obſeruata a. 1760. ab EODEM.

p. 159. 19. *Obſeruationes circa grauitatem et calorem variorum fontium thermarum vrbis* Bagnères, Auctore Cl. MARCORELLE. Situm fontium, quorum ad triginta ſeptem ibidem numerantur, diuerſasque earum proprietates Cl. Auctor fuſius deſcribit. A Romanis iam nomine *aquarum auguſtarum* ſiue *tarbellicarum* aut *oneſionarum* indicantur. Enarratis experimentis cum aërometro et thermometro inſtitutis, Cl. Auctor tabulam adiicit, in qua gradus caloris omnium thermarum, quae in Gallia repeiuntur, indicatur.

p. 176. 20. *Obſeruatio eclipſis lunae* d. 8 Maii 1762. Auctore Cl. OVTHIER.

p. 177. 21. *Commentarius de organo auditus piſcium*, Auctore Cl. P. CAMPER, Iam alio loco **) varios commentarios indicauimus, quibus Cl. Auctor in Actis

*) Hiſt. de l'Acad. des Scienc. 1766. p. 38. Comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 65.
**) v. not. p. 459.

Actis Societatis Harlemenſis *) illud piſcium organum deſcribit, quod eorum auditui a multis plane negato inſeruit. In vniuerſum Cl. Auctor monet, nullam fere eſſe organi auditus in homine, in quo perfectiſſimum illud reperitur, partem, quae non in aliquo animalium ordine deficiat. Sic enim v. c. incus in plurimis auibus deſideratur, in quibus malleus cum ſtapede, ligamentorum tantum ope, coniungitur. In amphibiis reptilibus, vt crocodilo, teſtudine, rana cet. malleus et incus non inueniuntur, ſed ſtapes aut oſſiculum eius locum tenens membranae tympani affigitur. In piſcibus tandem ſumma varietas ſtructurae huius organi occurrit. In cetaceis v. c. illud humano ſimile fere eſt. Habent enim membranam tympani, malleum, ſed immobilem, incudem et ſtapedem, ac concham ſatis magnam, ſed canales ſemicirculares, veſtibulum et feneſtra rotunda deficiunt. Multi apterygii, acanthopterygii et branchioſtegi ARTEDI in vna eademque cranii cauitate cerebellum et organon auditus habent. In chondropterygiis tandem WILLOUGHBEII et ex parte ARTEDI, inprimis piſcibus cartilagineis planis, vt Raia cet. organon auditus capſulae peculiari cartalaginoſae et a cranio ſeparatae incluſum eſt. In Cycloptero tamen et Acipenſere, vt in acanthopterygiis et branchioſtegis, illud conformatum eſt.

His in vniuerſum propoſitis Cl. Auctor p. 179. anatomen cerebri et cerebelli piſcium ac inprimis neruos eorum deſcribit, qui numero et diſtributione cum neruis humani corporis magnam

*) Tractationem de organo auditus piſcium ſquamoſorum vide in Act. Harlemenſ. Vol. VII. P. I. p. 79. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 581. Ea vero, qua organon Phyſeteris macrocephali, qui ex Cetaceorum claſſe eſt, deſcribitur Vol. IX. P. III. p. 193. inſerta eſt. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 460.

gnam analogiam habent. Sic enim v. c. par ſeptimum ad auditus organon, octauum ad cor et branchias, nonum ad muſculos linguae tendit. Auditus piſcium ſecundae claſſis aquae ope, in quo ſono motus tremulus excitatur, qui cranio eorum et per illud organo auditus intra cranium ſito communicatur, fit. Deſcribit vero hic Cl. Auctor potiſſimum encephalon et auditus organon ex *Gado egleſino* et G. *morrhua* LINN. quibus deſcriptionem earundem partium ex *Lophio* ſeu *rana piſcatrice* addit. Habet haec praeter capſulam oſſeam tres canales ſemicirculares et burſam cartilagineam atque elaſticam, quae oſſicula continet, ac ſupra quam neruus auditorius expanditur. Porro fabrica organi auditus enarratur, qualis ea in *Lucio*, qui *Eſox* ARTEDI eſt, occurrit. In hoc piſce nerui optici manifeſto decuſſantur. Tandem Raiae caput deſcribitur, qui piſcis palpebrae ſpeciem habet. Oculi bulbus in eo, et probabiliter in omnibus piſcibus ſimilibus, triangularis fere eſt et poſterius mediante aliquo tubere cum cartilagine quadam excauata articulatur. In hoc piſce etiam organon auditus immediate ſub cranio ſitum eſt. Oſſicula vero auditus mollia et gelatinae ſpiſſiori quaſi ſimilia ſunt.

p. 196. In fine monet Cl. Auctor, organon auditus, ſi cetacea, quae vera amphibia ſunt, excipias, in omnibus piſcibus conuenire. Omnes enim tres canales ſemicirculares cartilagineos, nec non burſam elaſticam habent, quae vnum vel duo oſſicula continet, valde mobilia et in gelatina plus minusue ſpiſſa, libere natantia. Omnes audiunt motu aquae, motui aëris, quem nos ſonum vocamus, analogo. Cum vero ſonus in ſonos aëreos et aqueos commode diuidi poſſint, etiam organon auditus eorum animalium, quae per aquam audiunt, ab organo anima-

animalium per aërem audientium differre debet, nec tympani membrana, meatus auditorius et auris externa in iis neceſſaria ſunt.

22. Cl. BOSCOWICH Diſſ. I. *de orbitis cometarum determinandis ope trium obſeruationum, parum a ſe inuicem remotarum.* p. 198.

23. Cl. BRAS D'OR *de morbo canum epidemico.* p. 216. Morbum canum epidemicum Noſter deſcribit in quo ſaniei et muci foetidi effluxus e naribus, paralyſis extremitatum poſteriorum et aliqua ſigna inflammationis viſcerum reperiebantur. In multis (non vero in omnibus) canibus diſſectis Cl. Auctor vermes, ſeu vti nobis videtur, laruas plane ſingularis atque nondum deſcriptae formae in labyrintho narium reperit, quas vti morbi cauſſam conſiderat. Magnitudine valde differunt. Vnus vermis trium pollicum longitudinem oſtendit. Planiuſculi ſunt et multis annulis interſectum corpus habent. Fumigationes et leniora purgantia, quibus mucus acris deglutitus euacuatur, optimum effectum praeſtiterunt.

24. *Obſeruatio eclipſis ſolis* d. 5 Aug. 1766. *in vrbe* Béſiers *facta.* p. 228.

25. *Experimenta circa decompoſitionem tartari vitriolati ope ſolius acidi nitroſi,* auctore Cl. BAVME'. p. 231. Vti nitrum adfuſo oleo vitrioli decomponitur, ita ſi ſolutioni tartari vitriolati acidum nitri adfunditur, ex Noſtri obſeruatione acidum vitrioli a debiliore acido expellitur et nitrum formatur. Quodſi vero liquor per aliquod tempus ſeruatur, acidum vitriolicum nitroſum, atque idem hoc iterum ſucceſſu temporis vitriolicum expellit, eaque alterna muta-

 tio

tio et expulſio acidorum tam diu durat, vſque dum omnis nitri ſpiritus plane diſſipatus ſit. Ad haec experimenta liber aëris acceſſus requiritur. Cl. Auctor phaenomenon hic recenſitum ex affinitate acidi nitroſi cum eo phlogiſto explicat, quod in alcalinis ſalibus reperitur.

p. 237. 26. *Obſeruatio et calculus oppoſitionis Saturni* a. 1763. Auctore Cl. D' ANTELMY.

p. 240. 27. Cl. D' ARQVIER *obſeruatio cometae* d. 16 Aprilis 1759, *viſi.*

ibid. 28. Cl. GAVLTIER *obſeruatio eclipſis ſolis* d. 13 Iun. 1760.

p. 241. 29. Cl. DU TOUR *commentarius, quo demonſtratur in viſione punctum viſibile apparere in radio ex eo puncto ad oculum ducto.* Cl. Auctor diſputat contra Ill. D' ALAMBERTVM, qui opuſculorum tomo primo aliud principium optices propoſuerat, demonſtratque nouum illud D' ALAMBERTI, ſi recte intelligas a priori non differre.

p. 253. 30. Cl. BOVIN *de aurora boreali* Rotomagii d. 16 Sept. 1759, *obſeruata.*

p. 257. 31. *Obſeruatio et determinatio oppoſitionis Iouis* a. 1763, Auctore Cl. D' ANTELMY.

p. 259. 32. *Analyſis aquarum mineralium prope* Saint Remy - l' Honoré, Auctore Cl. MARIGVES. Ferrugineae hae aquae ſunt, earumque qualitas medica hic cum virtute aliarum ſimilium aquarum comparatur, quae in Gallia reperiuntur.

33. *Noua*

33. *Noua theoria macularum ſolarium* Auctore Cl. PEZENAS. p. 318.

34. *Occultatio ſtellae* ſ. *gemellorum per lunam obſeruata* a Cl. BOVIN. p. 223.

35. *Commentarius de modo mercurium cum ferro vniendi et in aqua ſine auxilio alicuius acidi ſolubilem reddendi; vna cum cogitationibus de effectibus horum praeparatorum in diuerſis morbis*, Auctore Cl. NAVIER. Mercurium et ferrum in minimas moleculas diuiſa et in variis acidis ſoluta inter ſe Noſter vnit, eaque ratione vel praecipitata ferrugineo mercurialia, vel ſal album, niueum ſplendens, ſali ſedatiuo colore, figura cet. analogum obtinuit, quod tum ferrum, tum mercurium continet. Mercurium quoque hunc in hepate ſulphuris ſoluit, et ita non ſolum liquorem aquae miſcibilem, ſed et ſubſtantiam obtinet, minerali aethiopi analogam, in aqua ſolubilem, quod vtrumque praeparatum mercurium, nullum vero acidum continet. Horum quoque praeparatorum vim medicam in tumoribus ſcrophuloſis et morbis cutaneis inueteratis Noſter expertus eſt, in quibus morbis magis adhuc quam in lue venerea, vſus mercurii liquoribus noſtris miſcibilis et omni acrimonia deſtituti requiritur. Laudat quoque aethiopis mercurialis vſum in carcinomaticis et ſcirrhoſis tumoribus, nec non contra vermes. Si accenditur odorem phoſphoro analogum ſpargit, flammaque album oſtendit colorem. p. 325.

36. Cl. GOLDÖVER *obſeruationes variarum* ſatellitum *emerſionum et immerſionum Iouis a.* 1759, in Bauaria *factae.* p. 351.

p. 352. 37. *Obſeruatio tranſitus Veneris ſuper diſcum ſolis* a. 1761, *in* Luſitania a Cl. DE ALMEIDA facta.

p. 353. 38. Cl. DE LA PLACE *de ſeriebus recurro - recurrentibus et earum vſu in theoria caſuum fortuitorum* (theorie des hazards).

p. 372. 39. Cl. BOSC D' ANTIC *obſeruationes de vaſis murrhinis vilioribus* (ſur la Fayance). Modum, quo vaſa haec fabricantur, deſcribit diuerſaque, quae in hac re obſeruantur, phaenomena ex principiis chemicis explicat.

p. 383. 40. *Obſeruatio cometae* menſe Maii 1759, *viſi* Rothomagi, *facta* a Cl. BOVIN.

p. 397. 41. *Obſeruatio oppoſitionis Iouis* d. 3 et 6 Iunii 1758, Auctore EODEM.

p. 400. 42. Cl. BOVRRAND *commentarius de quadratura partis cuiuſdam circuli.*

p. 401. 43. Cl. BOSCOWICH *diſſertatio ſecunda de orbitis cometarum determinandis.*

p. 435. 44. Cl. LIBOVX *obſeruatio tranſitus Veneris per diſcum ſolis* d. 6 Iun. 1761.

p. 436. 45. *Obſeruationes aſtronomicae circa lunam factae*, Auctore Cl. D' ARQVIER.

p. 457. 46. *Obſeruatio eclipſis lunae* d. 18 Maii 1761, Auctore EODEM.

p. 459. et 463. 47. 48. *Obſeruatio eiuſdem eclipſis*, Auctoribus Cll. BOVIN et BOSCOWICH.

49. *Obſer-*

49. *Obſeruatio eclipſis ſolis* d. 1 Apr. 1764, Auctore Cl. FORLIN. p. 464.

50. Cl. ANTHEAVLME *obſeruationes de ratione fabricandi et poliendi lentes obiectiuas tuborum opticorum.* p. 465.

51. *Commentarius de ſtrabiſmo,* Auctore Cl. DU TOUR. Cl. Auctor, continuat ea, quae de nonnullis viſus phaenomenis diſputauerat, quaeque alibi *) relata ſunt. Strabonibus putat plerisque alterius oculi retinam contigiſſe irritabiliorem, cui luminis vehementior appulſus dolorem afferret. Quo factum iam in incunabulis, vt, dum validiore oculo aliquid intuerentur, debilioris axin in eam partem inflecterent, quae obiecto quodam obſtaculo, v. c. naſo aut pariete, oculum a lumine defenderet. Hac perpetua conſuetudine muſculos oculum mouentes eam contraxiſſe facultatem, vt per omnem vitam axes oculorum ſub eodem angulo erga ſe inuicem inclinentur. Strabones vnius tantum obiecti imaginem percipere inde explicat, quod infirmior oculus a teneris veluti neglectus, retinam ſemper iuſto vel remotiorem, vel propinquiorem lenti cryſtallinae retineat, quod exemplo hominis confirmatur, qui, cum e vehementi capitis ictu ſtrabiſmum contraxiſſet, ab initio duas ſemper imagines vidit. Strabiſmi remedium, vſu etiam comprobatum commemorat, ſi validior oculus per longum temporis interuallum claudatur. Interdum et naturam ſua ſponte huic morbo mederi, cum adultiori aetate debilior oculus lumini ferendo ſenſim aſſueſcat. Ill. Comes de BVFFON ſtrabiſmum e diuerſa vtriusque oculi praeſtantia oriri dixerat: p. 470.

*) v. comm. noſtr. Vol. X. p. 406. et Vol. XII. p. 199.

dixerat: Noſter vero inuerſo ordine hanc potius e ſtrabiſmo prouenire putat, quoniam neglecto tenerioris oculi vſu, eiuſdem muſculi contrahendi ſeſe et extendendi facultatem amittant, quae tamen facile poſſit, contentione quadam virium, clauſo per breue tempus altero oculo, recuperari. Tandem nouum et priore praeſtantius ſtrabiſmi remedium affert, nimirum, vt ſtrabo validiorem oculum intendat in obiectum obſcuri coloris, ſplendenti parieti affixum, vt quorſum tandem alter oculus ſpectet, non poſſet tamen lucem vehementius reflexam effugere. Angulo ad naſum ſpeculum metallicum applicatur, vt ab ea etiam parte lumen in oculos penetret. Pueris ſtrabonibus libros, quos legunt, caeruleo vitro tectos, menſae ſplendente mappa ſtratae imponi iubet.

p. 479. 52. *Obſeruationes aſtronomicae* a. 1763, *factae* a Cl. D' ARQVIER.

p. 508. 53. *Deſcriptio phalaenae, quae caput erucae habet*, auctore Cl. OT. FRID. MÜLLER. Phalaenam Noſter reperit, cuius caput antennis deſtitutum erucae capiti ſimillimum erat. Ipſam phalaenam, niſi vehementer fallimur in Supplemento iconum Roeſelianarum a KLEEMANNO publicato depictam vidimus. Suſpicamur, vti ſaepe erucis in exuuiarum depoſitione accidit, ita etiam hic capitis inuolucrum in transmutatione animal deponere non potuiſſe, vnde monſtroſa fabrica orta eſt.

p. 512. 54. *Obſeruatio eclipſis lunae* Rotomagi d. 22 Nou. 1760, *facta* a Cl. DVLAQVE.

p. 516. 55. *Obſeruatio eclipſis lunae* d. 8 Maii 1762, ibidem *facta* a Cl. BOVIN.

56. *Ob-*

56. *Obſeruationes meteorologicae* Pekin *in* China p. 519.
a Reu. AMIOT *ab initio anni* 1757, *vſque ad finem anni* 1762, *inſtitutae.* Aëris temperiem Pekini, licet haec vrbs propius ad aequatorem ſita ſit, tamen hyeme maiorem frigoris gradum habere, quam Lutetiis Pariſiorum obſeruatur, hae obſeruationes probant. Magna aquae copia pluuia quotannis ibi decidit, ita vt frequentes inundationes oriantur. Ex ſummo calore aeſtiuo a. 1743, plures ſubito mortui fuerunt.

57. *Obſeruationes variae anatomicae a* Cl. MAR- p. 612.
CORELLE *communicatae.* Iuuenis quidam in puteum delapſus ibidem 19 dies ſine vllo cibo pauca tantum aquae copia pota vixit, et extractus ſenſim priſtinum vigorem recuperauit. Homo quidam tympanitide chronica per omnem vitam affectus, quae a nutricibus flatibus vehementer moleſtatis forte originem duxerat, emollientibus et anodynis multum quidem leuabatur; ſed tandem, diaeta neglecta et empiricis remediis adhibitis, moriebatur. Sectione cadaueris facta, non in inteſtinis ſolum, ſed in ipſa quoque abdominis cauitate aër elaſticus repertus eſt. Inteſtina craſſa maxime diſtenta, magnam faecum copiam continebant. In fractura brachii complicata fragmentum oſſis extracti a natura reſtitutum eſt. Deglutitionem difficilem ex cartilaginea oeſophagi anguſtia, ſupra cardiam orta, Noſter oriri vidit. In alio cadauere duos vreteres in dextro latere obſeruauit.

58. Cl. DE BORMES *inuenta circa aetherem* p. 613.
acidi ſalis, mediante zinco, parati. Solutionem florum zinci in acido ſalis Noſter parat, adeo concentratam, vt aureum colorem et, ſi refrigeratur, conſiſtentiam butyri acquirat. Hanc ſolutionem

 deinde

deinde cum ſpiritu vini combinat, deſtillationeque ſecundum artis regulas facta, aetherem ſalis obtinet. Notum eſt alios hunc aetherem ope ſpiritus fumantis LIBAVII paraſſe, qui ſolutio concentrata ſtanni eſt, ope acidi ſalis facta. Ex duodecim libris ſpiritus vini duas libras aetheris et quatuor vncias olei ſalis dulcis Cl. DE BORMES obtinuit. Putat Noſter ſi, loco ſpiritus vini, vrina putrida aut ſpiritus vrinae adhibeatur, phoſphorum facillimo negotio et magna in copia praeparari poſſe.

p. 621. 59. Cl. DE LA PLACE *commentarius de probabilitate cauſſarum ex euentu diiudicanda.*

XI.

Théorie nouuelle ſur les maladies cancereuſes & autre Affections du même genre, avec des obſeruarions - pratiques ſur les effets de leur remede approprié. Par I. M. GAMET. à Paris chez Rualt. 8. mai. T. I. conténant la théorie 1772. pag. 304. Seconde Partie conténant les obſeruations pratiques. Ibid. eod. pag. 320.

h. e.

Theoria noua morborum carcinomaticorum, neruoſorum et aliarum affectionum eiusdem generis, vna cum obſeruationibus practicis circa affectus remedii illis appropriati. Auctore I. M, GAMET. T. I. theoriam T. II. practicas obſeruationes continet.

Cum remedium, quod Cl. Auctor hoc libro commendat et cuius efficaciam inſigni teſtimoniorum et obſeruationum numero confirmat, arca-

num

num adhuc ſit, de theoria tantum, quam primo huius libri volumine Noſter proponit, aliqua monuiſſe ſufficiat.

Sanguinem, vt fontem omnium fluidorum corporis humani conſiderat. Ex his fluidis ſolida componuntur et in regulari eorum motu ſanitas conſiſtit. Fluidum nerueum optima pars humorum corporis ſeu eorum quaſi quinteſſentia eſt, atque in cerebro praeparatum, per neruos in omnes partes corporis humani diſtribuitur. Conſtat illud ex aqua ſubtiliſſima, materia luminis, particulis ſalinis volatilibus, aëre et terra. Ab hoc fluido nerueo non ſolum ſenſus et motus pendent, ſed illud quoque verus ſuccus nutritius corporis humani eſt, cuius ſuperfluae partes in telam celluloſam adipis ſub ſpecie deponuntur. Illud vero variis cauſſis fuſius hic enarratis morboſam indolem acquirere poteſt. Proxima cauſſa morborum hyſtericorum et hypochondriacorum ex Auctoris noſtri mente, praeternaturalis ſeu morboſus ſtatus eſt, fluidi illius, qui potiſſimum a defectu particularum aquoſarum in eo pendet, vnde acres et calidae partes fluidi neruei neruos nimis irritant, vt quaſi exſiccentur. Hinc totum corpus tandem male afficitur atque in omnibus eius partibus calor praeternaturalis, irritatio, debilitas, obſtructiones cet. oriuntur. Tom. I. p. 1. p. 18. p. 92. p. 122.

Cl. Auctor ſententias eorum, qui melancholiam aliis cauſſis tribuunt, examinat. Inter omnes SYDENHAMVS, qui illam ab ataxia ſpirituum deriuat et Cl. POMME, qui ab induratione et ſiccitate neruorum morbos illorum deriuant, veritati proxime accedunt. Fuſius Noſter diuerſa, quae in melancholicis obſeruantur phaenomena, ex hac ſua hypotheſi explicat atque ſibi perſuadet, arcanum ſuum remedium, quod humores ſpiſſos reſoluat, eorum acrimoniam miti- p. 130. p. 196.

gando depuret, vaſaque ſimul roboret, plenariam eiusmodi aegrorum curationem efficere poſſe.

p. 203. Procedit deinde Cl. Auctor ad originem tumorum, inprimis vero eorum, qui ex deprauatione fluidi neruei originem ducunt. Tumores, qui in ſano de reliquo corpore, vel ſolum ex cauſſa externa, vel ex cauſſa interna quidem, ſed ita oriuntur, vt topici ſint et maneant, benigni eſſe ſolent, vti maligni ii omnes, qui cum deprauatione fluidi

p. 256. neruei coniuncti ſunt. Huc inprimis ſcrophuloſi, atrabilarii et carcinomatici tumores pertinent. Materia, quae ſcrophuloſos tumores producit, lympha eſt ſingulari aliqua acrimonia inſpiſſata, eaque ſedem ſuam in glandulis, nonnunquam in articulationibus, inprimis vero in meſenterio habet. Saepe, cum hac ſcrophuloſa cacochymia, venerea coniuncta eſt, interim tamen non vnum idemque ſunt, licet multi ſcrophuloſos morbos ex venereis ortos primum eſſe putent. Scrophuloſi enim morbi iam ante illud tempus cogniti erant, quo venerea lues in Europam allata eſt, atque mercurius, qui optimum acrimoniae venereae antidotum eſt, contra ſcrophuloſos morbos magnum auxilium affert. Summam e contrario ſcrophuloſa cacochymia cum carcinomatica analogiam habet, ita, vt, ii, qui in iuuentute ſcrophuloſi fuerint, in ſenectute facile carcinomaticis tumoribus obnoxii ſint, nec minus remedia, quae in cancro proſunt, in ſcrophuloſis morbis etiam vtilia reperiantur.

p. 265. Iam, quod ſcirrhum attinet, is ex Auctoris noſtri mente in omnibus mollioribus corporis partibus oritur, omnesque corporis humores eius materia eſſe poſſunt. Ipſa rubra ſanguinis pars induratur et ſcirrhi materia fit, quod Cl. Auctor contra Ill.

p. 268. ASTRVC probare tentat atque concludit, tot ſcirrhi

varieta-

varietates eſſe, quot humorum ſpecies in corpore reperiuntur. Quo longius humor, ex quo ſcirrhus formatur, a primis viis remotus eſt, eo difficilius ſcirrhus reſoluitur. Scirrhi, qui ex lacte, chylo, ſanguine, lympha cet. proueniunt per omnem vitam, benigni manere poſſunt. Acrimonia humorum non correcta, topica omnia nocent, neque ipſa ſcirrhi exſtirpatio vſum affert, cum materia ad alium locum deferatur.

Idem hoc de cancro valet, qui nunquam topicus morbus eſt, et cuius exſtirpatio ex Noſtri mente rariſſime bene ſuccedit. Putat enim in iis exemplis felicis curationis cancri per ferrum factae, quae vulgo adducuntur, verum cancrum non adfuiſſe, ſed vlcus. Cancer fere nunquam ex cauſſa externa atque tunc demum oritur, quando vulnere male curato ab ichore reſorpto tota humorum maſſa iam infecta eſt. Omnium vero morborum hactenus recenſitorum maligna natura vnice ſedem ſuam in fluido nerueo habet. Omnes inter ſe ſummam analogiam habent, facileque vna in alteram tranſire poteſt. p. 280. p. 289.

In altero volumine huius libri Cl. Auctor arcanum ſuum remedium extollit, aſſeritque illo curationem cancri illorumque ei affinium morborum feliciter praeſtari. Vt plurimum leni diaphoreſi operatur, vel aluum leniter ſubducit, raro vomitum aut nauſeam excitat. Scirrhos intra tres vel quatuor menſes, malum hypochondriacum intra ſex, cancrum intra annum ſe eo curari poſſe Noſter gloriatur. Additus eſt magnus teſtimoniorum et hiſtoriarum morbi numerus, quibus praeſtantia huius remedii extollitur, vſusque eius in cancro, vlceribus malignis, ſcirrhis, morbis neruoſis cet. confirmatur. T. II. p. 1. p. 25.

XII.

Chirurgiſche Wahrnehmungen von IOHANN LEBRECHT SCHMUCKER, *Königlich-Preuſſiſchen Erſten General-Chirurgus von der Armee, Director der Chirurgiſchen militariſchen Feld-Hoſpitäler und Mitglied der Römiſch-Kayſerlichen Academie der Naturforſcher. Erſter Theil. Von Verletzungen und Krankheiten des Hauptes. Berlin und Stettin bey Friedrich Nicolai.* 1774. 8. p. 574. — *Zweiter Theil. Von Verwundungen und Krankheiten der Bruſt, des Unterleibes und übrigen Gliedmaſſen* ibid. eod. p. 576.

h. e.

Obſeruationes chirurgicae. Auctore IOANNE LEBRECHT SCHMUCKER chirurgo exercitus Regis Boruſſiae primario. Pars prima de vulneribus et morbis capitis. Pars ſecunda de morbis pectoris abdominis et extremitatum.

Opus, quod nunc indicamus, omnino inter praeſtantiſſima ſcripta chirurgica noſtri aeui referri meretur, atque de doctrina, dexteritate et experientia Cl. ſui Auctoris egregie teſtatur. Fructus eſt longi artis ſuae exercitii, in quo Cl. SCHMUCKER ita verſatus eſt, vt ampliſſimam, quam nactus eſt, obſeruationes inſtituendi occaſionem ad augmentum ſcientiae et artis ſuae nequaquam praetermitteret; ſed omnia, quatenus illud in tanto negotiorum grauiſſimorum numero fieri poſſet, ſedulo annotaret. Ex inſigni obſeruationum, quae ſeſe ei per tot annos in caſtris et noſocomiis tranſactos offerebant, numero aliquas ſelectas hic communicat, eaque re certe omnium, quibus artis medicae et chirurgicae augmentum curae cordique eſt, ſummos applauſus meruit.

In

In praefatione huic libro praemiſſa Cl. Auctor iure gloriatur, chirurgiae adeo antea in Germania noſtra neglectae, iam multo, quam olim meliorem ſtatum eſſe. Recenſet quoque ſtudia ſua et labores per plures annos ſuſceptos. Inter LE DRANII diſcipulos fuit, eiusque amicitiae et inſtitutioni ſe multum debere, gratus agnoſcit. Tom. I. Praef. p. 30.

Maxima pars obſeruationum, quae primum huius libri volumen conſtituunt, ad capitis laeſiones pertinet, quarum diagnoſis, prognoſis et curatio, vti omnes chirurgi conqueruntur, ſummis difficultatibus coniuncta eſt. Hinc Cl. Auctor occaſionem, quam ei obſidio Schweidnizenſis a Regis Boruſſiae exercitu anno huius ſeculi ſexageſimo ſecundo facta, offerebat, ſedulo et auide arripuit, atque in peculiari noſocomio capitis laeſionibus tantum dicato, in eas cauſſas omni ſtudio inquiſiuit, quae efficerent, vt vulneribus capitis ſclopetariis leuioribus viſis nullisque malis ſub initio ſymptomatibus ſtipatis, mors ſaepe ſuperueniret. Duodecim autem recenſet obſeruationes, in quibus aegri poſt leue tale vulnus, quo vel oſſa caluariae tantum denudata vel leniter laeſa erant, licet per plures dies ſe ſatis bene haberent, tamen quarto, ſexto, octauo, decimo demum die cephalalgia, vertigineque corripiebantur, quibus ſumma virium proſtratio, febris, diarrhoea, ſiccitas vulneris exterioris, paralyſis, aliaque eiusmodi ſymptomata, ſe citius vel ocyus iungebant. Trepanatione facta nulla, vt plurimum, praeternaturalis ſub cranio aut in dura matre cauſſa detegebatur et tamen aegri omnibus remediis fruſtra adhibitis delirio, vel comate, aut apoplexia affecti moriebantur. Sectio vero facta pus in pia matre effuſum, aut gelatinam, aut bullas materia albumini ſimili plenas, aut lympham ſe- Tom. I. p. 1.

mipuru-

mipurulentam ibidem, cerebrum vero ipſum ſaepius illaeſum Noſter reperit.

p. 144. Oritur vero talis ſiniſter vulnerum in initio leviorum viſorum euentus, ex Auctoris Cl. mente, ex vitio potiſſimum tunicae arachnoideae, pluribus vaſis lymphaticis refertae. Contuſio et commotio a globulo inducta, effuſionem et ſtagnationem lymphae efficiunt, quae in corporibus cachecticis et debilitatis, qualia militum in longo bello et fine anni in campis peracti eſſe ſolent, difficulter reſorberi poteſt, ſed in pus mutatur aut in ichorem reſoluitur. Haec conſideratio Cl. Auctorem permouit, vt de remedio vaſa conſtringente, lympham attenuante eiusque reſorptionem promouente cogitaret, quale in aqua frigida tandem reperiit, cuius quadraginta libris, quatuor libras aceti, ſedecim vncias nitri et octo vncias ſalis ammoniaci addidit. Fomenta ſcilicet ex ea, praegreſſa venaeſectione et dilatatione vulneris etiam leuiſſimi viſi facta, adhibere iuſſit, interno nitri ſalium, mediorum, clyſmatum ſtimulantium, ac purgantium vſu non neglecto. Vſus vero eſt his fomentis in omnibus, grauioribus quoque capitis laeſionibus imo poſt trepanationem, illudque eo cum effectu, vt longe pauciores vulnerati nunc morirentur, atque inprimis, ea leuiora capitis vulnera, de quibus ſuperius diximus, optimum exitum haberent.

p. 158. Laudat quoque epithematum et fomentorum frigidorum efficaciam in validis cerebri concuſſionibus cum nulla exteriore integumentorum vel cranii laeſione coniunctis, ſi cum venaeſectionibus crebrioribus et clyſmatibus ſtimulantibus coniungerentur. Hirudinum ad tempora applicatio quoque ſaepius optimum effectum habuit, pluribusque obſeruationibus, quas enarrare hic nimis longum foret, methodi huius efficaciam in plurimis

grauiſſi-

grauiſſimis capitis laeſionibus probat. Originem abſceſſuum in hepate, qui ſaepe iis accidunt, quorum caput vulnere laeſum eſt, ex hypotheſi Cl. BERTRANDI *) optime explicare poſſe concludit. Aſſerit enim ille, vti notum eſt, congeſtionem ſanguinis in caput et ſtagnationem eius in ramis venae cauae ſuperioris, quae in eiusmodi aegris fit, inflammationis in hepate oriundae cauſſam eſſe. Noſter vero in pluribus eiusmodi aegris ſtagnationem ſanguinis et polypoſas concretiones in ſinubus encephali, nec non initia inflammationis hepatis obſeruauit. p. 159.

Quae ſequuntur obſeruationes ad alias capitis laeſiones pertinent, extra obſidionem Schweidnizenſem inſtitutas. p. 258. Fracturam oſſis bregmatis ſiniſtri, globo tormenti bellici maioris, trium librarum pondus habente factam, feliciter ſanauit. p. 258. In alio, vbi os bregmatis dextrum gladio diſciſſum erat, et qui ſpaſmo vehementi cynico laborabat, duplici trepanatione facta et abſceſſu ſub muſculo temporali ſito, diſciſſione huius muſculi euacuato, etiam vulnus felicem exitum habuit. p. 279.

Varia quoque, exempla recenſet, vbi poſt vulnus ſclopetarium trepanatio in oſſe frontis optimo cum ſucceſſu facta eſt. p. 285. et 297. Si etiam dura mater ſana ſit eaque nulla laeſionis ſigna oſtendat, tamen ſaepe grauior ſub ea cauſſa in cerebro latet. p 309. Cum enim ſatis cito coaleſcat, ſub ea integra viſa, tamen Cll. Auctor oſſea fragmenta minora cerebrum irritantia detexit. Egregie Cl. Auctor de variis adminiculis exponit, quibus globuli minores cranio infixi, p. 320.

*) vid. Mém. de l'Acad. de Chir. T. III. pag. 484. comm. noſtr. Vol. VIII. pag. 218. it. comm. noſtr. decad. IIdae S. IV. pag. 668.

fixi, extrahi poſſint exponit, diuerſasque methodos, quibus in hoc caſu vſus eſt tradit.

p. 324. Alius quoque vulnerati caſum recenſet, tetano
maxillae inferioris laborantis, in quo quatuor vici-
bus trepanationem inſtituit, purique ſub temporali
muſculo haerenti, muſculo hoc diſciſſo, exitum pa-
rauit, quo facto ſpaſmus ſtatim ceſſauit. Vulnera
p. 335. cranii acutiore enſe facta, longe feliciorem exitum
et 343. habere ſolent iis, quae ope obtuſi inſtrumenti
p. 361. illata ſunt. Vulnus capitis, in quo pars ſubſtantiae
cerebri corticalis enſe reſecta erat, tamen feliciter
ſanabatur. Plures alias obſeruationes ſingularium
p. 393. capitis laeſionum omittimus. Globum tormenti
minoris iuxta caput vulnerati tranſientem, ſummam
concuſſionem ſine vlla externa laeſione producere
poſſe, Noſter aliquoties vidit.

p. 399. In hoc et aliis eiusmodi encephali concuſſioni-
bus Cl. Auctor optimo cum effectu emeticis, poſt
venaeſectionem vſus eſt. Maxima vero doſi ea in hoc
caſu propinanda ſunt, cum 24 grana tartari eme-
tici et ſcrupulus vnus ipecacuanhae aliquod tan-
tum deiectiones aluinas produxerint. In carie oſſis
p. 420. frontis, cum aeger trepani applicationem recuſa-
ret, butyro antimonii ſenſim os corruptum corro-
p. 434. ſum atque extractum eſt. Cephalaea grauiſſima in
oſſe bregmatis ſiniſtro, trepanatione huius loci
facta, licet nulla praeternaturalis cauſſa in ea dete-
geretur, tamen poſtea euanuit.

p. 447. Singularis caſus enarratur fungi in dura matre
orti, qui duram matrem ita depreſſerat, vt encephali
p. 474. vlcus adeſſe videretur, licet morbus tantum durae
matris eſſet. Poſt febrem petechialem ex metaſtaſi
amauroſis orta eſt, quae emeſi remedio antimoniali
excitata, veſicatoriisque leuata, tandemque vſu ſapo-
p. 480. nis et pulueris millepedum plane curata eſt. Saepius
Noſter vidit milites, ſi calore aeſtiuo longum iter
facere

facere debeant, ſubito coecos factos eſſe, ex nimia diſtentione vaſorum oculi retinam comprimente. Venaeſectio et tria grana tartari emetici ſequente die exhibita, fere ſemper praeſens tulerunt auxilium. Nonnunquam tamen aliquot venaeſectiones et repetitus tartari emetici vſus, nec non veſicatoria requirebantur.

Varias deinde Auctor Cl. circa ophthalmiam, p. 48.
inprimis vero ſummum eius gradum chemoſin, obſeruationes proponit, in quibus hirudines, et quidem nonnunquam duodecim, palpebris et temporibus applicat, ſanguiniſque effluxum non cohibet, licet is nonnunquam quinque horas duret. Scarificationem oculorum nec non coniunctiuae turgidae reſciſſionem, ab aliis in hoc morbo commendatam, reiicit. Vtitur praeterea collyrio ex octo vnciis aquae roſarum, aluminis drachmis duabus, et ſacchari ſaturni ſcrupulo vno parato. Debilitas oculi poſt vehementem ophthalmiam relicta, nec non leuiora corneae vlcera, applicatione aquae roſarum, in cuius ſingulis vnciis duo grana lapidis diuini ſoluta ſunt, inſigniter leuatur. In albugine epithemata frigida aut aqua cum aceto lithargyrii proſunt, quod vltimum remedium, ob maiorem acidi copiam, Goulardiano extracto Noſter praefert. Ex p. 486.
gonorrhoea ſuppreſſa metaſtaſis materiae eius ad oculum fit et chemoſis inde excitatur, quem morbum Cl. Auctor hic fuſius explicat. Si morbus non intra breue tempus leuatur, omnes internae oculi p. 523.
partes deſtruuntur viſuſque plane perit. Putat Cl. Auctor hunc morbum a nullo alio Auctore ante eum dictum eſſe. Interim *ophthalmia ſiphylitica* Cel. SAVVAGES, atque inprimis eius varietas, quam *metaſtaticam* dicit, et quae a ſymptomatica diſtinguitur,

certo huc pertinet. Plures quoque circa eam obſeruationes apud SAINT-YVES occurrunt. In hoc morbo in anteriorem oculi cameram materia puriformis, gonorrheae materiae ſimilis effunditur. Venaeſectio, nitroſa et in vniuerſum antiphlogiſtica methodus emollientiaque cataplaſmata peni et perinaeo adhibeantur, oculusque decocto altheae et ariſtolochiae rotundae frequenter eluatur. Adhibuit quoque Noſter in eo caſu hirudines, quos palpebris adplicat, et ad gonorrhoeae ſuppreſſae reſtitutionem omni trihorio ſex grana rhabarbari cum ſcrupulo vno nitri praeſcribit, cum experientia cognouerit, lenem rhei vim diureticam ad gonorrhoeae reditum multum conferre.

p. 533. Porro Cl. Auctor de vulneribus naſi et maxillae
p. 588. ſuperioris atque inferioris diſſerit, tandemque varias de tumoribus tunicatis obſeruationes tradit. Ganglia ſi indurata ſint et iam diu durauerint, ita exſtirpat, vt inciſione facta lympham induratam primo exprimat, atque deinde labia vulneris et capſulae ſutura ſicca vniat. Rariſſime inflammationem hac methodo adhibita oriri vidit. Minora ganglia ſpiritu vini ſaponato et leniore frictione adhibita fere ſemper optime diſcutiuntur.

T. II. Accedimus iam ad alterum volumen egregii huius libri, quo mala pectoris, abdominis et extre-
p. 6. mitatum traduntur. In hoc primo aliquot caſus aegrotorum Noſter enarrat, quibus globulo tormenti minoris per cauitatem pectoris tranſeunte pulmones perfoſſi, atque coſtae ipſae diffractae, aegri tamen nihilominus feliciter curati fuerunt. Contingere tamen hoc tantum iis vulneratis poteſt, qui corpus robuſtum nulloque alio morbo laeſum habent, et in quibus nullum vas maius diſruptum, nullum os diffractum aut oſſis fragmenta in pulmones intruſa fuerunt.

In vulneribus pectoris in vniuerſum vulneris p. 24.
deligatio quam citiſſime abſoluatur: cum aër externus inſigniter noceat. Hinc vulnus omne non pluribus puluillis minoribus, tegatur, vti plurimorum chirurgorum mos eſt, ſed vnum tantum maius adhibeatur. Emphyſematis ortus optime vulneris exterioris dilatatione praecauetur, quae aëris egreſſum in telam celluloſam impedit. Sequuntur ob- p. 33.
ſeruationes de vulneribus abdominis ſingularibus. Duobus globulis, ferreo et plumbeo ſimul, miles quidam, vno vulnere laedebatur, et cum, plumbeo extracto, omnes putarent, nullum alium vulneri inhaerere, ferreus praegrandis poſt ſedecim demum annos a Noſtro extractus eſt, qui peritonaeum in hepatis ſede contuderat. Alias eiusmodi obſeruationes omittimus. In milite, qui lance vulnus in p. 44.
hypochondrio dextro acceperat, quo diaphragma laeſum erat, paraphrenitis orta riſu inſigni, vociferatione et vomitu comitabatur. Interim tamen inſignis haec laeſio feliciter curabatur. p. 51.
Tranſit deinde Cl. Auctor ad obſeruationes, quae ad ſcirrhos cancrumque mammarum pertinent. Inter cauſſas frequentiorum in feminarum mammis ſcirrhorum thoraces omnino referendi ſunt, quos in vniuerſum ſumme noxios eſſe, nec gibberoſitati mederi, imo eam potius augere Noſter confirmat. Saepe tumores minores a Noſtro feliciter exciſſi fuerunt. Si cutis tumori adhaereat, vel alio modo leuiter corrupta ſit, ea cum tumore exſcindatur. Operatione hac peracta, imo poſt omnes maiores operationes chirurgicas linctum ex ſyrupo et oleo exhibet, cui opium addit, aut eius loco alio remedio opiato vtitur. Aliquot poſt operationem horis praeterlapſis, ſaepe inſignis haemorrhagia oritur. In ſecunda vulneris deligatione, quo durities celluloſae telae circa tumorem reſoluatur, vulnus ce-

 rato

cerato ex vnguento roſato et mercurio viuo tegit.

p. 80. Caſum deinde enarrat feminae nobilioris, in quo, quatuordecim ab operatione diebus praeterlapſis, ex refrigerio tetanus ortus eſt, quo aegra, ipſo opio
p. 121. fruſtra adhibito perit. Si glandulae ſebaceae Mei-
et 141. bomianae in palpebris iam inflammatae ſint, hoc, vti plures obſeruationes Auctorem Cel. docuerunt ſignum eſt, vniuerſam humorum maſſam iam cancri veneno infectam eſſe. Interim vel in hoc caſu cicatrice rupta aut glandulis aliis ſcirrhoſis factis decocto ex radice graminis, lacte et diaeta vegetabili Noſter eiusmodi aegras ſeruauit.

p. 130. Cicutae minime fauet, cum ea, in omnibus ac numeroſiſſimis a Noſtro inſtitutis obſeruationibus, non ſolum nullum vſum, ſed noxam adtulerit. Fuſius recenſet experimenta, quae cum hoc remedio a Viennenſibus medicis depraedicato fecit. In omnibus fere aegris, qui cicuta per aliquot tempus vſi ſunt, inſignis debilitas neruorum oritur, vel etiam artuum tremor, quem in duobus aegris Noſter per omnem vitam durare vidit. Nec in ſcirrhoſorum tumorum exſtirpatione Noſter ſubſtitit, ſed mam-
p. 128. mas cancroſas etiam exſtirpauit. In obſtructionibus ſimplicibus glandularum malum in vaſis ſanguiferis glandulae haeret, in ſcirrho vero eius ſedes in vaſis partis huius ſecretoriis et tela celluloſa eſſe videtur.

p. 145. Belladonna, Goulardianum extractum, radix dauci, bufones viui vlceri cancroſo adplicati cet. nullum aegris, in quibus haec remedia a variis Auctoribus in carcinomate commendata, Noſter adhibuit, ſolatium et auxilium attulerunt. In tribus aegris, quae vlcere mammae laborabant, quod fere omnia ſigna cancri perfecti habebat, emplaſtrum nigrum
p. 164. ſulphuratum BECHHOLZII, in exercitu regis Boruſſiae vſitatiſſimum, quod ſulphur, ſalem ammo

niacum

niacum, cineres clauellatos, gummataque amara varia continet *), plenariam effecit curationem. In carcinomate et cancro aperto ex cauſſa interna orto, licet febris hectica iam adeſſet, tamen Noſter ſaepius mammae exſtirpatione aegram ſeruauit. In omnibus aegris, in quibus operatio ſucceſſu carebat, glandularum Meibomianarum inflammatio iam aderat. p. 182.

Progreditur deinde Cel. SCHMVCKERVS ad paracenteſin variosque caſus recenſet hydropicorum, in quibus hanc operationem ſaepius et nonnunquam vltra quinquaginta vices inſtituit. In vniuerſum feminae diutius in hoc morbo ſubſiſtunt pluresque operationes ferunt, quam viri, in quibus raro aqua pluribus quam ſex vel octo operationibus ſucceſſiuis educitur. Cauſſa videtur nobis in eo poſita eſſe, quod in feminis ſaepe hydrops ouarii aut alius ſaccatus adſit. Cum in hydropicis ſaepe viſcera indurata et magnitudine aucta ſint, cautio habeatur, ne acu hepar vel lien laedatur, vti hoc ſe ſibi ipſi aliquoties accidiſſe candide Noſter fatetur. Si fluctuatio in vno latere minor ſit, quam in altero, hoc ſignum eſt in hoc latere viſcus induratum haerere. Si gelatinoſa aquae natura effluxum eius per canulam impediat, vulnus ſcalpello dilatetur. p. 187. p. 211. p. 214.

Succedunt plures circa hernias obſeruationes. Varios recenſet Auctor Cel. caſus, in quibus in variis herniarum incarceratarum ſpeciebus, licet inteſtina iam ſigna incipientis gangraenae oſtenderent, herniotomia tamen egregium ſucceſſum habuit. p. 221.

Quod radicalem herniarum ſcrotalium curam attinet, ſeparationem a funiculo ſpermatico et liga- p. 236.

 turam

*) Formulam eius vide in LOESECKE Mat. med. pag. 510.

turam ſacci hernioſi, vt optimam tutiſſimamque methodum conſiderat. Scarificatio annuli abdominalis aut cauſtici ad eum applicatio nil iuuat. Inter exempla vero aegrorum, in quibus ſacci ſeparationem, cuius mentio apud alios Auctores non occurrit, Noſter inſtituit, etiam Cel. ZIMMERMANNVS eſt, cuius morbum et curationem, quae a Cl. SCHMVCKERO Noſtro ſcalpello facta eſt, Cel. olim Beroli-
p. 271. nenſium Medicus MECKELIVS ſingulari libello deſcripſit, de quo loco alio iam diximus *). Putat Noſter radicalem hanc herniarum curationem bracheriorum vſui in iis maxime praeferendam eſſe, qui vehementi labore et longis itineribus corpus frequenter exercent, inprimis cum incarceratio herniarum tam periculoſa, et aptis remediis non adminiſtratis, ſaepius funeſta ſit. Ex herniis incarceratis eae, in quibus epiploon inteſtina circumdat eaque a compreſſione nimia defendit, per plures nonnunquam dies ſine gangraena perſiſtunt et tandem ſaepe feliciter reponuntur. Dum de remediis in herniis
p. 271. incarceratis adhibendis Noſter diſputat, monet fomenta ex aqua frigida in ſuis experimentis ſe non ſtatim in initio, ſed tunc demum vtiliter exhibuiſſe, quando aliorum remediorum emollientium cet. vſus iam per aliquot dies praeceſſerat. Maxime tamen vſus eius in prolapſu inteſtinorum (i. e. vbi ea laeſo peritonaeo nuda ex abdomine propendent) efficax eſſe ſolet. Vt vero ad operationem in Ill. ZIMMERMANNO inſtitutam redeamus, monendum eſt, Cl. Auctorem methodum ſuam, qua ſcilicet ſaccum ſeparat et deinde ligatura eius facta reſcindit, hac occaſione contra obiectiones quasdam defendere, quae

*) Tractatus de morbo hernioſo congenito ſingulari et complicato feliciter curato. Berol, 1771. vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 421.

quae Celeberrimus Goettingenſium Profeſſor A. G. RICHTERVS contra eam fecit*), qui huic ſacci ligaturae et exſtirpationi ſcarificationem annuli praefert et oſtendere conatur, hac ſola methodo veram curam herniae vetuſtae obtineri poſſe **). In omnibus herniis incarceratis vagus in hernia et abdomine dolor eſt, qui, ſi fixus redditur gangraenam proximam et operationem quam citiſſime inſtituendam eſſe indicat. Craſſities ſacci hernioſi aucta p. 297.
fere ſemper a compreſſione bracherii pendet, hinc etiam in herniis vetuſtioribus, ſi nullum bracherium adhibitum fuerit, hernioſus ſaccus ſatis tenuis eſſe ſolet.

Caſum deinde recenſet Noſter herniae omenti p. 301.
ſuppuratae et feliciter curatae. Incarcerationis her- p. 289.
niae cauſam in aucta muſculi obliqui adſcendentis tenſione ponit, a magna inteſtinorum egreſſorum preſſione producta, qua etiam tendinea eius expanſio, quae annulum abdominalem efficit, tenditur.

His de curatione herniarum, quae verae vocan- p. 310.
tur, propoſitis Cl. Auctor ad ſpurias ſic dictas progreditur. Hydrocele funiculi ſpermatici ſaepe duritie et inaequalitate ſua (quae ab hydatidibus minoribus maiori accretis proficiſcitur) ſcirrhoſum tumorem mentitur. Saepius hunc morbum Noſter inciſione tunicae vaginalis et ſuppuratione excitata ſanauit, monet tamen ſemper aquam ante ope-

*) In egregio libro *Chirurgiſche Bibliothek*, in quo libri chirurgici argumenti recenſentur et pro exquiſita, qua Auctor Cl. pollet, doctrina diiudicantur. T. I. Part. IV.

**) Iterum ad hanc defenſionem Cl. SCHMVCKERI, Cel. RICHTERVS reſpondit in *Chir. Bibl.* T. II. pag. 303. ſeqq.

operationem acus triquetrae ope emittendam eſſe, quo nimis diſtentae fibrae ſub ſucceſſiua aquae euacuatione robur ſuum acquirant et verus teſticuli ſtatus dignoſci poſſit. Si in caſtratione funiculus ſpermaticus prope ad annulum reſcindi debet, ipſum teſticulum Noſter non eximit, ſed durante ſuppuratione remouet, quoniam alias arteria ſpermatica facile intra abdomen retrahitur atque funeſtam haemorrhagiam excitare poteſt. Alias annotationes, quae ad hanc operationem pertinent, omittimus.

p. 364. In ea calculi curatione, quae ſcalpello fit, Noſter apparatum magnum, quem ſecundum methodum a LE DRAN olim propoſitam, cum producta ſectione vrethrae inſtituit, omnibus reliquis ipſique laterali apparatui praefert. Saepius eam et fere ſemper cum feliciſſimo euentu fecit, vti plures hic recenſitae obſeruationes probant. Veſicae inciſionem maiorem facit, quam LE DRAN, quoniam diſciſſa haec pars facilius coaleſcit, quam ſi ex nimia vulneris anguſtia ſub calculi extractione dilaceratur.

p. 437. Ipſa ſectio calculi, ſi a chirurgo perito adminiſtratur, fere omni periculo caret: Canulam, ſi fragmenta calculi adhuc in veſica relicta ſint, Auctor Cl. vulneri non immittit, ſed iniectionibus veſicam depurat, et vulnus leniter tantum faſciis tegit, quo cum vrina etiam calculorum fragmenta egrediantur. Varios de fiſtulis perinaei obſeruationes tranſimus. Veſi-
p. 469. cae punctionem per inteſtinum rectum, quam Cl. FLVRANT propoſuit *), vehementer extollit, eamque aliquoties cum inſigni aegri emolumento inſtituit, eaque nullo aut paruo tantum dolore comitatur.

Quae

*) vid. POVTEAV Melanges de Chirurg. p. 500. com. noſtr. Dec. I. Supplem. p. 157.

Quae ſequuntur obſeruationes ad aneuryſmatis ſpurii curationem, inprimis vero ad amputationem extremitatum poſt vulnera earum grauiora, pertinent. p. 481. Varios caſus enarrat vulneratorum Cl. p. 492. Auctor, in quibus, membro globo maioris tormenti bellici auulſo, amputatio trunci, quam recentiores chirurgi fere omnes vrgent, non inſtituta et tamen felix curatio facta eſt. Multiplici experientia edoctus aſſerit, in vniuerſum amputationem in hoc caſu non neceſſariam eſſe, cum ea, quae a globo tormenti facta eſt, fere ſemper feliciorem exitum habent ea, quae a chirurgo inſtituitur. Fragmen- p. 499. tum oſſis ex vulnere ſimili prominens ſerra non reſcindi debet, cum illud vtplurimum ſponte ſe ſatis profunde in carne ſeparet. Plurima quoque recenſet exempla, in quibus oſſibus vehementer contritis nulla amputatio inſtituta et tamen aegri ſervati fuerunt. Inſignem corticis Peruuiani in eius- p. 511. modi caſibus et in vniuerſum contra gangraenam vſum multis laudibus extollit. Eum cum nitro et ſemper in ſubſtantia exhibere ſolet. Externe quoque cum ſale ammoniaco in fomentis adhibet.

Finem harum obſeruationum facit egregia de morſu canis rabidi et hydrophobia diſſertatio, in p. 525. qua Noſter ſuam methodum recenſet, hydrophobiam praecauendi, cuius praeſtantiam plures obſervationes confirmant. Iubet nimirum, vt vulnus cruentum adhuc eluatur, deinde profundis inciſio- p. 536. nibus factis ſcarificetur et aqua calida admota haemorrhagia e vulnere ſuſtineatur. Tunc puluerem cantharidum vulneri inſpergit atque vulnus totum veſicatorio tegit; quod per octo vel duodecim dies continuatur. Interne quater de die grana duo camphorae cum drachma ſemis nitri exhibet, atque

vulnus digeſtiuis admotis per menſem apertum ſeruat. Omittimus adnotationes plures, quae ad naturam hydrophobiae in vniuerſum declarandam et remedia ab aliis commendata pertinent. Exſe-ctionem tendinoſae partis ſub canum lingua, quam vulgo noſtrates *den Wurm*, i. e. *vermem* vocat, haec animalia contra hydrophobiam praecauere, ſuis ex-
p. 541. perimentis Cel. Auctor confirmat.

XIII.

Traité des maladies chirurgicales et des operations qui leur couviennent. Ouvrage poſthume de Mr. IEAN LOVIS PETIT de l'Academie Royale des Sciences, Ancien Directeur de l'Academie Royale de Chirurgie, Cenſeur et Profeſſeur Royal. Mis au Jour par Mr. LESNE, ancien Prevot du College et Conſeiller de Comité de l'Acad. Royale de chirurgie. à Paris. chez Didot le Jeune. 1774. 8. mai. T. I. p. 407. T. II. p. 560. T. III. p. 343. tab. aen. in vniuerſum 90.

i. e.

Tractatus de morbis chirurgicis et operationibus iis propriis. Opus poſthumum Cl. I. L. PETIT, editum a Cl. LESNE.

Poſthumum hoc celeberrimi quondam Pariſienſis chirurgi I. L. PETITI opus, licet poſt plures demum annos a morte Auctoris ſui, quae an. 1750 accidit, prodeat, magnaque ex parte imperfectum ſit, multas tamen easque egregias obſeruationes continet, quae, cum fructus longi artis chirurgicae exercitii cum exquiſita doctrina coniuncti ſint, omnino magnam Lectorum attentionem merentur.

Lau-

Laudandum inprimis eſt id, quod Cl. LESNE, qui PETITI quondam amanuenſis fuit, in huius libri editione impendit ſtudium, ex eo quoque, quod nil in PETITI ſcripto immutauerit, nil, contra morem, aliis Gallicis ſcriptoribus in editione operum poſthumorum nimis vſitatum, addiderit, ſed Petitianum librum talem nobis obtulerit, qualis ille ab Auctore relictus fuit.

In praefatione de fatis huius operis et PETITI vita Cl. Editor exponit, eiusque in vniuerſam artem chirurgicam merita debitis laudibus extollit. Recenſet deinde ſummam eorum, quae in libro, de quo hic agitur, PETITVS expoſuit, varias tamen circa labores recentiorum chirurgorum Gallicorum animaduerſiones immiſcet. Sic v. c. monet Cl. PIBRAC *) in eo errare, quod omnes ſuturarum cruentarum ſpecies reiiciat, cum tamen caſus exiſtant, in quibus ſuturae tales vtiles, imo neceſſariae eſſe poſſint. Hoc valet inprimis de iis vulneribus, in quibus fibrae muſculorum ita diſciſſae ſunt, vt nec faſcia, nec fila ad ſe inuicem bene accedant. Symptomata ex ſuturarum vſu orta, quae Cl. PIBRAC commouerunt, vt eas plane reiiceret potiſſimum Chirurgi aut aegri vitio accidunt. Tom. I. Praef. p. 5.

Alia Editoris Cl. obſeruatio verſatur circa methodum a Cl. TENON ad accelerandam exfoliationem oſſium denudatorum propoſitam**), qui relaxantibus et pinguibus medicamentis hoc optime fieri poſſe, pluribus in canibus factis experimentis confirmare ſtuduit. p. 14.

Monet

*) Mém. de l' Acad. de Chir. T. III. p. 408. comm. noſtr. Vol. VIII. p. 215.

**) vid. Mém. de l' Acad. Royal. des Scienc. a. 1758. et 1760. comm. noſtr. Vol. XII. p. 593. et Vol. XIV. p. 593.

p. 15. Monet Noſter Cl. TENON non ſatis diſtinxiſſe in experimentis ſuis ea, quae in exfoliatione oſſium in genere accidunt, ab iis, quae in oſſibus, carne et integumentis in vulnere recenti denudatis fiunt, qualia ea fuerunt, in quibus methodum, quam commendauit, adhibuit. Hinc Cl. LESNE recte monet, humectantia et emollientia in exfoliatione, quae poſt cariem vel aliam laeſionem oſſis fit, minus apta eſſe atque eodem modo nocere, vti in gangraena humida cataplaſmata mere emollientia obeſſe ſolent.

p. 27. Tubercula rubra, quae in oſſis exfoliatione ſe in ſuperficie eius oſtendunt, non vegetantis noui oſſis veſtigia ſunt, ſed ex inflammatione oriuntur, quae pus bonum producit, atque ea ceſſante iterum ſubſidunt. Sacci hernioſi integri reductionem APETITO

p. 58. non in omni hernia, nullo facto diſcrimine, commendari, recte Cl. LESNE monet. Errat vero quam maxime, dum productionem peritonaei ad teſtem, quae tunicam vaginalem efficit, et in qua herniarum congenitarum *) ſedes eſt, male intellecta HVNTERI mente, negat. Minus quoque fauet Cl. LESNE radicali hydroceles curae, quae per ſacci inciſionem fit, eamque vt periculoſam reiicit. Du-

p. 73. plicis in amputatione inciſionis inuentorem PETITVM, non CHESELDENIVM eſſe, probare annititur. Varia quoque Noſter contra methodum

p. 81. monet, quam Cl. LOVIS ad euitandam oſſis ſerra diuiſi poſt amputationem eminentiam propoſuit**). Caſus exiſtunt, in quibus haec oſſis prominentia nulla arte euitare poteſt, cum in plurimis aliis aegris vulgaris, aut PETITI methodus ſufficiat.

Prae-

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 694.

**) Mém. de l' Acad. Royale de Chir. T. II. p. 268. comm. noſtr. Vol. III. p. 598.

Praefationi huic annexae ſunt litterae Cl. LOVIS ad Editorem, in quibus hanc ſuam methodum defendit et ad obiectiones Cl. LESNE reſpondet. p. 98.

Sed accedamus ad ipſum PETITI opus. Primum prioris voluminis caput de vulneribus in vniverſum, ſecundum de vulneribus capitis, tertium de vulneribus pectoris, quartum de tumoribus, in quibus materia aliqua collecta eſt et quintum de morbis viarum lacrymarum exponit. Quae ad tumores ex bile in veſicula fellea collecta ortos, abſceſſus mentientes, nec non ad morbos viarum lacrymarum pertinent, iam maxima ex parte in iis Commentariis reperiuntur, quos ſuper his argumentis Cl. PETITVS Commentariis Academiae Regiae Scientiarum et Academiae Regiae Chirurgicae inſeruit. Cum nimis longum foret, ſi omnia, quae in lectione egregii huius libri noua nobis viſa ſunt, hic indicare vellemus, praecipua tantum ſpeciminis loco adduxiſſe ſufficiat. Tom. I.

Fuſius Cel. PETIT de malis ex pure reſorpto ortis diſputat, cauſſasque et mala inde orta exponit. Saepius metaſtaſis ad contextum celluloſum, ſaepius vero ad viſcus aliquod, inteſtina, vel renes fit, ex quibus excernitur. Peius eſt, ſi pulmones, aut quod frequentius fit, hepar occupat. p. 7.

Exponit deinde de remediis haemorrhagiam ſiſtendi, atque inter illa compreſſionem arteriae diſciſſae, ſi ea fieri poſſit, omnibus aliis methodis praefert. In vinculo arteriae iniiciendo acum per carnes traiicit. Faſciam ſic dictam vnientem fere ſemper noxiam eſſe aſſerit, cum ea effluxum materiae impediat, nec labia vulneris commode diſquiri poſſint, eique ſuturam ſic dictam ſiccam praefert. Si faſcia nimis ſtricta applicata fuerit, compreſſio inde p. 17. p. 27.

pro-

producta non ſubito tollenda eſt, ſed ea ſucceſſiue remittatur. Locus enim antea vehementer compreſſus, ſi ſubito omnis compreſſio ceſſet, facile in gangraenam tranſit, quod Cel. Auctor variis obſervationibus confirmat. In fine huius capitis mo-
p. 47. dum ſuturas applicandi deſcribit. Vulnera capitis periculo carere monet, niſi peregrina corpora vulneri inhaereant, quae eximi non poſſint, aut nimis magna cerebri commotio praeceſſerit. Plures habet Noſter obſeruationes, de tumoribus ſanguineis in integumentis capitis, poſt ictum, vel lapſum ex ecchymoſi ortis. Nonnunquam eiusmodi tumores in medio ſuo molles ſunt, quod quaſi depreſſionem caluariae mentitur. In magnis tumoribus ſtatim inciſio fiat, quoniam alias humores ſtagnatione acriores redditi os arrodunt. Nonnunquam polypoſa caro in iis reperitur, quae ex ſanguine effuſo coagulato oritur.

p. 61. Plenaria de capitis laeſionibus tractatio hic deſideratur. Inter vulnera pectoris ea etiam, quae in cauum thoracis non penetrant, ſi obliqua fuerint, ſaepe periculoſa ſunt, cum ſanguis ſub pectorali maiore, latiſſimo dorſi, trapezio etc. effluxu eius impedito, facile colligatur. Hinc vulnus externum dilatari debet, aut ſi hoc fieri nequeat, in oppoſito
p. 69. latere inciſio inſtituatur. Dantur omnino vulnera
p. 77. pectoris, in quibus cruenta ſutura opus eſt. Contuſiones in ſterno a globulis plumbeis minoribus factae, periculo non carent, cum caries aut abſceſſus in mediaſtino inde oriri poſſint. Comparantur eorum effectus cum iis, qui poſt capitis contuſionem ſub cranio accidere ſolent. Trepanationem
p. 62. ſterni aliquoties Noſter inſtituit. Nonnunquam cartilago coſtae, vbi ſterno adhaeret, ictu accepto a coſta ſeparatur et introrſum preſſus ac pleuram laedens

laedens abſceſſum excitat, qui eo difficilius detegitur cum coſtae cartilago elaſtica ſua vi ſtatim reſiliat. In hoc caſu largis venaeſectionibus inflammatio et ſuppuratio impedienda eſt, aut ſi abſceſſus iam formatus ſit, pus inciſionibus factis emittatur.

Signa, quae vulnus quoddam in cauitatem pectoris penetraſſe indicant, ſaepe obſcura ſunt. Emphyſema etiam in vulneribus non penetrantibus oritur, ſi ea longa ſint et obliqua, ac in loco finiantur, in quo copioſa tela celluloſa eſt, v. c. in axilla. Vulnera acuto gladio facta, quae latiſſimum dorſi aut pectoralem tranſeunt, ſaepe emphyſema coniunctum habent. Quod ſi vero aëri aptis inciſionibus nullus egreſſus paratur, tumor auctus reſpirationem impedit et haemoptoën excitat. Frequentius emphyſema accidit iis vulneribus, ex quibus parum ſanguinis profluit, quam iis, in quibus larga haemorrhagia praeceſſerit. p. 100. p. 105.

Ad tumores, in quibus materia aliqua collecta haeret, primo referenda eſt parotis. Pus in ea haerens neruos integumentorum tendens, grauiſſima ſaepe ſymptomata producit. In inciſione eius ſaepe ramus portionis durae nerui acuſtici diſcinditur, vnde palpebrae paralyſis et obliquitas oris, quae ſaepe poſt inciſiones has obſeruatur, forte originem ducunt. Abſceſſus, qui in genis oriuntur, ſi tumor intra cauum oris emineat, in hoc cauo aperiantur. Saepe ex dentibus carioſis abſceſſus, imo febrium intermittentium paroxyſmi aut febris hecticae ſymptomata vel hemicraniae pertinaces oriuntur, quae mala omnia, extracto dente, ſtatim euaneſcunt. p. 110. p. 119. p. 120. p. 124.

Ex inciſa ranula ſeu tumore ſublinguali immenſa ſaliuae copia et ex aliis gelatina aut calculi prodierunt, inter quos vnus nucis auellanae magnitudinem habuit. Fuſe de abſceſſibus, qui in velo p. 126. p. 134.

palatino

palatino et circa amygdalas oriuntur, PETITVS exponit. Nonnunquam in iis apertura in meatum auditorium externum facta, pus ex hoc egreditur et vlcus fiſtuloſum fit, aut internae auris partes vlcus
p. 147. et caries occupat. Ex eiusmodi abſceſſu Cl. Auctor oſſicula auditus ancyloſi inter ſe coalita extraxit. Varia quoque exempla recenſet, vbi liquor in meatum auditorium iniectus per tubam Euſtachianam in oris cauum prodiit.

p. 154. Retro aures ad apophyſin maſtoideam abſceſſus quandoque oriuntur, qui ſaepe cum carie cranii coniuncti ſunt, quod et de tumoribus tunicatis in hac parte ortis valet, vti plures hic enarratae obſeruationes probant, in quibus morbus ſaepe funeſtum
p. 173. euentum habuit. Sequuntur variae circa ſtrumas obſeruationes, vbi et de tumorum tunicatorum exſtirpatione in vniuerſum Noſter agit, pauca tamen
p. 193. noua profert. Tumorem cyſticum in flexura cubiti ſitum inſignis magnitudinis feliciter Noſter exſtirpauit, licet ei ipſa arteria cubitalis adnata eſſet, atque etiam in operatione diſcinderetur. Omittimus hiſtoriam inſignis tumoris cyſtici in facie feliciter exſecti, aliasque plures eiusmodi obſervationes.

p. 201. Tumores tunicati vetuſti nonnunquam in ſuppurationem lentam tranſeunt, in quo caſu inciſio tunc demum inſtitui debet, quando omne id, quod tumorem conſtituit, iam reſolutum eſt, quod ex
p. 199. perfecta tumoris mollitie cognoſcitur. Puluillus aqua phagedaenica imbutus, vulneris poſt tumoris tunicati in facie exſtirpationem applicatus, inſignem ptyaliſmum excitauit, per plures dies non
p. 208. compeſcendum. Qui in feminis poſt partum difficilem, aut in puellis, in quibus catamenia nondum ſe oſtenderunt, tumores in glandula thyroidea oriuntur, in grauiditate aut poſt catameniorum effluxum iterum ſaepe decreſcunt.

Si poſt tumorum tunicatorum aut varicoſorum exſtirpationem ſanguis ex vniuerſae telae celluloſae vaſis dilatatis quaſi e ſpongia exſudat, nec facile haemorrhagia ſiſti poteſt, haec tunica celluloſa omnis reſcindatur, quo facto ſanguinis effluxus facile cohibetur. Methodum tandem Noſter deſcribit, p. 223. qua in glandularum induratarum in mamma exſciſſione et cancroſae mammae exſtirpatione in vniuerſum verſatur. Si glandulae axillares etiam induratae ſint, in ſcirrhoſae mammae amputatione prius minores glandulas exſtirpat, antequam mammam de corpore reſcindit. Obſeruationes, quae ad tumo- p. 239. res a bile in veſica fellea retenta formatos, qui ſaepe pro abſceſſibus hepatis habiti fuerunt, pertinent, omittimus, cum ea iam in Actis Academiae Regiae Chirurgicae *) inſerta ſint.

Vltimum huius voluminis caput de morbis via- p. 289. rum lacrymalium inſcribitur, quod maxima ex parte eas obſeruationes continet, quas Cel. Auctor olim Academiae Regiae Scientiarum exhibuit **). In aperiendo ſacco lacrymali cultello vtitur, cuius p. 305. alterum latus crenam habet, quae cereum ducit, quem in nares immittit.

Initium ſecundi huius libri voluminis ſextum Vol. II. caput *de vlceribus* facit, in quo primum de ſignis p. 1. variarum ſpecierum vlcerum, earumque curatione in vniuerſum exponit. Deinde de vlceribus cum carie p. 27. et exoſtoſi differit. Si ex fiſtulis in ſterno magna puris copia profluat, hoc abſceſſum in mediaſtino ſub ſterno latere indicat. Cl. Auctor in hoc caſu ſaepius trepanationem ſterni inſtituit, imo cartila-

*) Vol. I. p. 59.
**) vid. Mém. de l' Acad. des Sciences a. 1734. 1740. 1743. 1745.

p. 16. cartilaginem coſtae exſecuit. Si in carie pus e
medulla propullulat, os trepano perforandum eſt.
p. 25. Hac ratione Cl. Auctor vlcus in proceſſu maſtoideo,
perterebrato eo, ſanauit. In carie humida deſtruen-
da ſolutio mercurii in acido nitri omnibus aliis reme-
diis, excepto cauterio actuali, praeferenda eſt, quod ex-
emta oſſis corroſa parte admouet Cl. Auctor, illudque
p. 30. omni alio auxilio certius eſſe aſſerit. Plures quoque
regulas circa adplicationem ferri candentis inſerit.
Dolor in oſſe cauterio excitatus, ſi aliquot horas
poſt operationem ſubſiſtit, hoc ſignum eſt, ignem
plenum effectum ſortitum eſſe, quod etiam alia
p. 36. ſigna fuſius hic expoſita docent. Tranſit deinde
Noſter ad vlcera, in quibus corpus peregrinum
p. 45. latet et eorum curationem impedit, atque etiam de vl-
ceribus exponit, quae curationem ob communica-
tionem reſpuunt, quam cum vaſe quodam maiore,
canali excretorio, aut cauitate vicina habent. Agit
hic primo de vlceribus varicoſis atque de varicum
geneſi curationeque vlcerum ex iis ortorum egre-
gia plura profert. Inciſionem varicum atque ex-
tractionem grumi ſanguinei varice inhaerentis ſua-
det atque aſſerit eam omni fere periculo carere.
p. 74. Si varices recentes ſint, grumus applicato catapla-
ſmate emolliente emolliri et ſenſim in vas retrudi
poteſt. Haec tamen reductionis ſpecies in iis tu-
moribus huius generis, quos iam vetuſtas occupauit,
locum non habet. Exſtirpari quoque varices non-
p. 79. nunquam poſſunt. Sequuntur variae obſeruatio-
nes circa haemorrhoides coecas, ſeu tumores vari-
coſos ex dilatatione vaſorum haemorrhoidalium
p. 82. ortos. Nonnunquam internae haemorrhoides, ſi
deſcendant et ab ſphinctere ani conſtringantur, gra-
uiſſima ſymptomata producunt, quae ſtatim leuan-
tur, ſi digito in anum immiſſo eorum repoſitio fit.
p. 84. Vlcera in inteſtino recto ex haemorrhoidibus orta

ſaepe

ſaepe fluxum hepaticum mentiuntur. Raro curantur, niſi a venereo miaſmate proficiſcantur, quod aliquoties Noſter vidit. Nonnunquam eiusmodi vlcera inteſtinum rectum et veſicam exedunt, quo facto foeces et flatus cum vrina per vrethram, raro vero lotium cum foecibus exit. Vidit tamen Cl. Auctor ſaepius fiſtulam hanc iterum coaluiſſe, cathetere per aliquot ſeptimanas perpetuo in veſica relicto. Nonnunquam ab eiusmodi vlceribus os ſacrum ipſum carie exeditur. In feminis eiusmodi p. 99.
vlcera in vaginam penetrant. Peſſarium in vaginam immiſſum, quod fiſtulae aperturam comprimit, hoc in caſu ſaepe opem fert. Addit quoque Cl. p. 101.
Auctor varias obſeruationes circa extractionem excrementorum induratorum, quae in inteſtino recto haerent, nec non de variis vlcerum generibus ex p. 110.
haemorrhoidibus coecis externis ortis, ſeu fiſtulis ani differit. Si haemorrhoides ligatura exſtirpare volu- p. 138.
mus, interna inteſtini recti tunica, quae eas obducit, incidenda et ab haemorrhoidibus ſeparanda eſt, quoniam alias, hac tunica filo comprehenſa, maximus dolor grauiſſimaque ſymptomata oriuntur, imo nonnunquam aeger perit, eodem modo, vti id in herniae incarceratione fieri ſolet. Suadet quoque Cl. Auctor, vt in exciſione haemorrhoidum exterior tunica a varicoſa vena ſeparetur. Methodum p. 145.
haemorrhagiam poſt operationem fiſtulae ani ſiſtendi fuſius deſcribit, nec non de modo coarctationem ſphincteris externi ſub cura vulneris impediendi, quae ſaepe poſt hanc operationem accidit, varia monet. Inciſionem haemorrhoidum appli- p. 159.
cationi hirudinum praefert: putat enim haemorrhagiam inde excitatam difficulter ſiſti. In fine capi- p. 162.
tis Cl. Auctor de fiſtulis ani differit. Si eiusmodi fiſtulae ex ſiphylitica labe, vti ſaepe fit, oriantur, mercurii vſus ſine vlla chirurgica operatione haud

 raro

raro malum tollit. Fiſtulam curauit Noſter, in
p. 210. qua os ſacrum iam carioſum erat. Exempla non
deſunt, corpora peregrina vt acus, oſſium fragmenta
his fiſtulis inhaeſiſſe et ſine dubio earum cauſſas
fuiſſe, qualia varia hic commemorantur. In fiſtulae operatione callum penitus exſcindendum eſſe Noſter monet. Nonnunquam vrinae retentio operationem ſequitur.

p. 243. Septimum caput *de herniis* inſcribitur, morbo tam frequenti, quam periculoſo, ita vt omnino mala huius generis ſummam chirurgi attentioonem poſtulent. Exponit Noſter primo de variis generibus huius morbi eorumque differentiis.

p. 246. Notat Cl. Auctor in herniis partes in abdomine contentas non ſemper per aperturas naturales v. c. annulum abdominalem, vmbilicum prodire, ſed ſaepius fibras muſculorum praeternaturaliter dilatari. Sic enim v. c. in hernia inguinali fibras columnae exterioris annuli abdominalis dilatatas ad latus huius annuli, annulum autem ipſum perfecte clauſum
p. 250. vidit. Simile quid in exomphalo Cl. Auctor obſeruauit, in quo tantum in infantibus inteſtina per vmbilicum, in adultis vero ſemper per praeternaturalem aperturam ad latus vmbilici ortam egre-
p. 249. diuntur. Sic etiam in hernia crurali, ſupra ligamentum POVPARTII fibrae muſculorum rectorum abdominis a ſe inuicem diſtractae inteſtinorum egreſſum nonnunquam permittunt, illudque tam frequenter in herniis vmbilicalibus accidit, vt ex centum exomphalis vix duo vmbilici vitio oriantur, ſed
p. 256. illi fere ſemper ventralibus herniis adnumerandi ſint. Ventriculum in eiusmodi herniis aliquoties obſerua-
p. 261. vit. In duobus aegris Cl. Auctor herniam thoracicam, ſeu viſcera abdominalia in thoracis cauitatem per aperturam praeternaturalem in ſepto transuerſo ſurſum preſſa, vidit. Vnus eorum aegrotorum per

quadra-

quadraginta annos aſthmate grauiſſimo moleſtabatur et colicis doloribus, quae tamen ſymptomata ſtatim euaneſcebant, quando ventriculus cibis iterum implebatur. Credit Noſter ventriculi partem et arcum coli vacua quidem per aperturam praeternaturalem thoracem ingredi potuiſſe, ſed ea ipſa viſcera poſt cibum aſſumtum, mutato ſitu partis eorum in abdominis cauitate ſuperſtitis regredi debuiſſe. Peritonaeum nullum ſaccum in his herniis formauerat, ſed vna cum pleura diſruptum erat. Vt plurimum herniae hae thoracicae ſeu diaphragmatis in ſiniſtro latere accidunt, quod ex hepatis ſitu in dextro hypochondrio explicandum eſſe videtur. Herniam ventralem Cl. Auctor vidit, in qua vterus grauidus continebatur. Diuerſam reſiſtentiam muſculorum abdominalium, quae a diuerſa eorum firmitate pendet, cauſſam obliquitatis vteri grauidi eſſe recte monet, cum vterus ſemper verſus eam partem feratur, vbi minorem reſiſtentiam inuenit. Herniae incarceratae, in quibus aliqua ſeroſi liquoris portio cum inteſtinis et omento continetur, difficilius gangraena occupantur, quam eae, in quibus humiditas abeſt, cum liquor ille compreſſionem aliquo modo impediat et fomentationis loco inſeruiat. Idem hoc de omento valet, quod etiam inteſtinum a compreſſione liberum ſeruat. Inter cauſſas incarcerationis herniae, ſeu quae regreſſum inteſtini impediunt, inprimis quoque referri debent corpora duriora deglutita v. c. acus, oſſium fragmenta cet. quae in conuolutionibus inteſtinorum prolapſorum morantur. Herniam ex ruptura peritonaei ortam Cl. Auctor nunquam vidit. Inter cauſſas praediſponentes herniarum etiam victum ex lacticiniis, butyro, oleoſis cet. refert.

p. 270. p. 273. p. 278. p. 285. p. 287.

His de differentiis herniarum in vniuerſum expoſitis Cl. Auctor ad ſigna earum diagnoſtica et

 pro-

p. 288. prognoſtica progreditur. Varia exempla recenſet
herniarum, quae pro bubonibus venereis habitae
fuerunt, et viciſſim bubonum, quos hernias eſſe
alii crediderunt, illisque alias obſeruationes addit
de abſceſſibus, varicibus cet. ſimilibusque malis,
p. 300. quae in inguine orta hernias mentiuntur. Monet
omenti in hernia cuiusdam praeſentis ſigna maxime
p. 310. fallacia eſſe. Etiam in herniis antiquis, decubitus
in dorſo per longum tempus continuatus, leuisque
p. 315. compreſſio ſenſim aucta, ſaepe ſucceſſu temporis
plenariam curam producunt. Quantae naturae in
conſeruando corpore vires ſint, variae hiſtoriae de
p. 319. herniis gangraenoſis probant, quae fere ſolis natu-
rae viribus ſanatae fuerunt. Tandem ad curam
herniarum Cl. Auctor accedit. Qualem vſum ſubi-
p. 325. tanea applicatio aquae frigidae in ſcrotum in herniae
reductione praeſtet, exemplo declarat, variaque circa
bracheria et modum ea applicandi monita addit.

Recenſet deinde operationes, quas veteres ad
radicalem herniarum curationem adhibebant, eos-
p. 348. que omnes reiicit et multis demonſtrat, in ſola her-
niae incarceratione herniotomiam inſtituendam eſſe,
cum ſi in hernia non incarcerata ea fiat, fere ſemper
longe grauiora ſymptomata oriantur, quam in iis ae-
gris, in quibus gangraenae metus hanc operationem
neceſſariam reddidit. Tandem methodum, qua ope-
ratio in hernia incarcerata inſtituenda eſt, deſcribit
p. 371. et ſacci integri reductionem, quam, vti notum eſt,
in aliis ſcriptis iam commendauit, etiam hic com-
mendat*). Concedit tamen caſus etiam exiſtere, in
quibus ſacci quoque ante herniae reductio-
p. 380. nem inciſio omnino locum habere debet. Vetu-
ſtum ſaccum, nimis incraſſatum in cancrum abire
et reſecandum eſſe monet.

Octauo

*) Mém. de l'Acad. de Chirurgie T. IV. p. 281. Conf. comm. Vol. XVI. p. 18. et MAVCHART diſſ. de hernia incarcerata.

Octauo capite de *hernia veſicae* ſeu *cyſtocele* diſ- p. 406.
ſeritur. Inter cauſſas eius retentionem vrinae et grauiditatem potiſſimum Noſter refert. Qui hac hernia aegri laborant, raro vomunt, ſed vrina iis ſupprimitur. p. 421.

Nonum caput de *operationibus chirurgicis* inſcribitur, *quae in pene fiunt*, vbi vero de phimoſi et p. 431.
paraphimoſi tantum exponitur. Exempla habet Noſter calculorum ſub praeputio collectorum, quod inprimis in infantibus accidere ſolet. p. 480.

Vltimo huius voluminis capite de *operationibus, quae in ſcroto et teſtibus fiunt*, diſputatur. Eam p. 482.
hydrocelen, in qua aqua in tela celluloſa eſt, a vera, in qua intra albugineam, quae *periteſtis* hic dicitur, p. 498.
aqua effuſa eſt, ſollicite diſtinguit. De varicocele monet eam frequentius in ſiniſtro latere, quam in dextro accidere, quod ex foecum in colo ſiniſtro mora frequenti pendet. Ante varicoceles ortum dolores colici, nec non dolores in lumbis et ſcroto praecedere ſolent. Obſtructio glandularum meſenterii aut hepatis ſaepe huius mali cauſa eſt. Frequenter quoque occurrit in melancholicis. Varias ſpecies p. 513.
tumorum, qui in teſte oriuntur, diſtinguit. Gelatinam, ſatis duro inuolucro contentam, ſarcoceles ſpeciem praebere vidit. Repetit ea, quae de vlcere tunicae teſtis albugineae et de errore ſuo alio loco p. 519.
dixit *), quo fila, quibus teſtis ſubſtantia conſtat, pro pure et celluloſis laminis habita, de induſtria deleuit. Subiungit tandem varia monita circa amputationem teſtis. Poſtea non modo ex arteria ſpermatica, ſed ex aliis quoque arteriis grauem p. 528.
nonnunquam haemorrhagiam oriri, probat Noſter exemplo aegri, in quo multum ſanguinis ex arteriola ſepti ſcroti effluxit. Ligaturam funiculi poſt caſtra-

*) Mém. de l'Acad. de Chirurg. T. IV. p. 323. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 19.

tionem plane reiicit, aut ſi ea inſtituitur, filum fortiter conſtringendum eſt, quod conſtricto neruo ſtatim quoque dolorem omnem ſupprimit. Re-
p. 529. fecto teſte ſaepe renes quoque male afficiuntur et vrinae effluxus ſupprimitur. Haud raro poſt eam operationem ſecundum longitudinem funiculi ſpermatici abſceſſus formantur, qui ſi ſub aponeuroſi obliqui maioris ſiti ſint, difficulter dignoſci poſſunt.

T. III. In tertio tandem operis huius volumine de morbis viarum vrinariarum, in ſpecie vero de retentione vrinae eiusque inuoluntario effluxu, ar-
p. 2. tuum amputatione, aneuryſmate vero et ſpurio, frenuli linguae inciſione ac digeſtione infantum lactantium cet. exponitur. Suppreſſio vrinae accidit, ſi vrina vel difficulter vel plane non ſecernitur, retinetur vero illa, ſi iam ſecreta exire nequit, ſaepe ſi lotium in veſica retinetur, etiam compreſſis vreterum in veſicam apertorum oſtiis illud in reni-
p. 7. bus ſtagnat. Hinc in iis, qui retentione vrinae pereunt, ſemper etiam vreteres et peluis renum lotio retento morboſe diſtenti reperiuntur. Imo ſi dilatatio veſicae et vreterum ad certum aliquem gradum perducta ſit, obliqua directio inſertionis vreterum in veſicam perit et valuula, quae oſtiis eorum praefixa eſt, deletur, quo facto aliqua lotii pars ex veſica ad
p. 8. vreteres et renes regurgitat. Hoc factum eſſe, remiſſio doloris in regione veſicae et augmentum eius in regione renum indicat. In cadauere hominis, qui retentione vrinae laborauerat, vreterum oſtium adeo amplum erat, vt digitum admitteret,
p. 10. ipſique vreteres ita dilatati, vt ſinguli veſicam magnitudine ſuperarent.

Varios recenſet caſus Noſter, vbi calculo in
p. 19. vrethra haerente lotium in ea retentum inſignem in perinaeo tumorem produxit, eius membranacea parte

parte dilatata. Tumens proſtata inter frequentiſſimas retentionis vrinae cauſſas eſt, et fere ſemper tunc adeſt, quando carunculae vel carnoſitates in vrethra vt mali cauſſa accuſantur. Haec proſtatae obſtructio vt plurimum poſt gonorrhoeam male curatam aut ſuppreſſam orta eſt. Omnes, qui ea laborant, in emiſſione lotii vltimam eius partem guttatim tantum excernunt: de grauitate et dolore obſcuro in perinaeo et quoties vrinam emittunt, etiam de teneſmo conqueruntur: foeces egredientes in anteriore maſſae ſuae facie ſulcum oſtendunt a tumente proſtata iis impreſſum: et digito in anum immiſſo tumor huius glandulae detegitur. Mercurii vſum in hoc caſu Noſter ſuadet aſſeritque ſe ob- P. 31.
ſtructionem proſtatae eius opere aliquoties curaſſe. Haemorrhagia ſub catheteris effluxu exorta, vaſis- P. 33.
que antea tumidis nunc ſubſidentibus, viam in veſicam patefactam Noſter eſſe refert. Addit varias obſeruationes de abſceſſibus in proſtata ortis, qui diuerſos exitus habent. Vidit Noſter ſub emetici actione et in alio aegro ſub catheteris applicatione eiusmodi abſceſſum ſponte diſruptum eſſe in veſicam. In eiusmodi aegris, ſi fiſtula vrethrae oriatur, catheter in veſica relinquendus eſt, quo vrina P. 55.
per illum effluat, nec in fiſtuloſum vlcus penetret. In paralyſi veſicae lotii exitus frigore atmoſphaerae, aut corpore frigido metallico v. c. matula cruribus P. 59.
admoto, egregie adiuuatur.

His expoſitis Cl. Auctor varias catheterum ſpecies deſcribit, modum, quo ii applicandi ſint, P. 74.
docet, prudentemque eorum vſum commendat. P. 82.
A violentia catheteris in veſica relicti gangraenam accedere Noſter vidit. Variis obſeruationibus retentionem vrinae renalem quoque accidere poſſe probat. Ad duas libras lotii ex tumore in lumbis orto, vna cum calculo renali huius tumoris cauſſa P. 91.

p. 94. prodire vidit Auctor. In alio aegro poſt calculi
p. 98. renalis extractionem fiſtuloſum vlcus remanebat.

In fine huius capitis de incontinentia vrinae diſputatur. Ex gangraena in veſicae fundo poſt partum difficilem orta, vrina per vaginam exſtillans cruſta lapidoſa eius parietes obduxerat. Varias de atretis, aut mala vrethrae conformatione a partu,
p. 126. obſeruationes omittimus.
p. 131.

Duodecimo capite Cel. PETIT de *amputatione*
p. 142. *membrorum* exponit. Luxatio pedis ſaepe magnum periculum adfert, ita vt nonnunquam ob eam amputatio inſtituenda ſit. Cum in aegro, in quo crus amputatum erat, nulla bona ſuppuratio ſe oſtenderet et ſuſpicio adeſſet, illum lue venerea
p. 144. laborare, Noſter ſaliuationem in eo mercurii ope excitauit, vlcusque a mercurii vſu purum reddi vidit.
p. 159. Saepe tamen in eiusmodi aegris, ſi iis artus amputantur, vulnus vel ſine mercurii vſu feliciter curatur.
p. 146. In ipſa amputatione perioſteum non ab oſſe deglubit, ſed ſtatim carne diſſecta ſerram oſſi applicat. Compreſſionem arteriae ligaturae praefert, cum minorem dolorem excitet. Inuentionem duplicis ſub amputatione inciſionis ſibi tribuit. Quae ad preli a PETITO inuenti, ad thrombum, quo ar-
p. 224. teria clauditur, hiſtoriam cet. pertinent, cum ex aliis Auctoris Cl. ſcriptis iam nota ſint, omittimus.
p. 231. In fine huius capitis de amputatione oſſium in articulo Auctor Cl. varia monet et exempla adfert, vbi ea in articulo genu et manus inſtituta fuit. Poſt amputationem manus in articulo nonnunquam abſceſ-
p. 256. ſus in vagina tendinum oriuntur.

Decimum tertium caput, quo de *aneuryſmate* Auctor Cl. agit, etiam plures circa thrombi formationem obſeruationes continet.

Decimo quarto capite *frenuli ſub lingua* ſectio p. 288. eadem ratione deſcribitur, qua de ea iam Cl. Auctor in Actis Academiae Scientiarum Pariſinae a. 1742. egit. Sequenti capite de digeſtione lactis in ven- p. 318. triculo puerorum lactantium differit, atque probare annititur, ad digeſtionem huius lactis ſemper neceſſarium eſſe, vt illud coaguletur, nec eam coagulationem ex morbo accidere. Vltimo tandem p. 297. capite difficilis partus deſcribitur, cuius difficultatis cauſſa in hydrocephalico capite fetus poſita erat.

Tabulae aeneae huic operi inſertae partim illa inſtrumenta exhibent, quorum in hoc opere mentio ſit, partim variorum aliorum figuras continent, quae ad capita a PETITO nondum elaborata ſpectant.

XIV.

Bibliotheca chirurgica, qua ſcripta ad artem chirurgicam facientia a rerum initiis recenſentur. Auctore ALBERTO VON HALLER. Tomus I. Tempora ante annum MDCCX. Bernae apud Em. Haller et Baſileae apud I. Schweighauſer. 1774. 4. mai. pag. 593. Tomus II. ab anno MDCCX. ad noſtra tempora. ibid. 1775. pag. 692.

Egregium Magni HALLERI conſilium de bibliotheca medica per partes edenda, tunc indicavimus, quando de *Bibliotheca* EIVS *botanica*, quae anno huius ſeculi ſeptuageſimo primo et ſecundo prodiit, ad Lectores retulimus *). Iam promiſſis ſatisfacere pergens, chirurgicam Bibliothecam publicauit,

*) v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 34.

cauit, quam primum volumen *Bibliothecae anatomicae* ſecutum eſt, cuius alterum vna cum primo tomo *Bibliothecae practicae* his ipſis nundinis exſpectamus.

Liber primus *Graecos* ſcriptores continet. Cum
Tom. I. multi putent artis medicae eam partem, quae con-
p. 1. ſilio medetur antiquiorem eſſe ea, quae manu curationem tentat, Ill. Auctor monet, ſi diaeteticam artem et obſeruationes de nocentibus et iuuantibus effectibus ciborum reſpicias, omnino medicam artem chirurgiae antiquiorem eſſe. Chirurgica enim mala ſe caſibus humanis rarius admiſcent et ad artis exercitium iam quaedam audacia, per experimenta nata requiritur. Magna ex parte chirurgiae initia obſeruationibus caſuum fortuitorum aut eorum debentur, quae natura in ſanandis malis facit. Exempla animalium vt Hippopotami venam ſibi ſecantis cet. homines imitatos eſſe, minus probabile Ill. Auctori videtur. Aegyptiorum et Perſarum mollities chirurgicae artis ſub his populis incrementa impediuit. Apud Chinenſes quoque medicina fere tota in morbis internis occupatur, ſi vſtiones cutaneas exceperis, quae huic genti, vt et aliis multis barbaris populis, qui antiquiſſima inſtituta retinuerunt, vna cum ſcarifatione familiares
p. 2. ſunt.

115. Graecis, quibus longe firmiores et doloris po-
p. 3. tentiores animi fuerunt, chirurgiae ſeuerioris origo potiſſimum debetur. Expoſitis iis, quae ad chirurgos referri debent, qui ante HIPPOCRATEM vixerunt, breue artis chirurgicae compendium Ill. HALLERVS
p. 7. tradit, quale illud in HIPPOCRATIS ſcriptis continetur. Antiquiora eſſe ſeparationis medicae artis
p. 18. in clinicen, chirurgiam et pharmaceuticen veſtigia ERASISTRATI et HEROPHILI temporibus contra

CELSVM

CELSVM Ill. Auctor probat. Sequuntur HEROPHILI et ERASISTRATI adſeclae aliique chirurgi ad CELSVM. Hunc non absque artis chirurgicae exercitio fuiſſe plurima ſcriptorum ſuorum loca probant. Recenſentur deinde praecipui chirurgi et chirurgicae artis ſcriptores, qui ad GALENVM vsque vixerunt, tandemque recentiores Auctores ad Arabum vsque tempora. p. 38.

Liber ſecundus, quid *Arabes* praeſtiterint, enarrat. Si medicamenta excipias, quibus iam ſcriptores, qui poſt GALENVM vixerunt, nimis fauent, illi pauca addiderunt. Mercurii ſublimati efficaciam, vt erodentis medicamenti iam cognouerunt. Varias quoque forcipes ad partum facilitandum deſcribunt, atque ABVL CASEM (quem vulgo Abulcaſis dicunt) primus Ill. HALLERO eſſe videtur, qui inſtrumenta chirurgica depinxerit. Plurima quoque ille propria habet. De cauteriorum ſiue vſtionum antiquitatibus ſub initio huius libri Ill. Auctor multa egregia monet. Eae vti ſcarifationes et inciſiones omnibus fere barbaris familiares ſunt. p. 115. p. 119. p. 137. p. 115.

Tertius liber *Arabiſtos* ſeu eos chirurgiae inter chriſtianos ſcriptores continet, qui medio aeuo, quo totis fere nouem ſeculis medicina, vti reliquae artes omnes, languebat, omnem fere ſuam cognitionem Arabibus tantum debebant. Vndecimo ſeculo CONSTANTINVS medicinam aliquo modo comtiorem ex Oriente in Italiam et Salernum retulit. Recenſentur deinde chirurgi ſemibarbari, qui ſeculo duodecimo in Italia vixerunt, inter quos BRVNO, GVILIELMVS DE SALICETO et LANFRANCVS eminent. Plurimi huius ſeculi p. 143.

chirurgi

p. 152. chirurgi clerici erant. IOHANNES PITARD, LVDOVICI IX et Succeſſorum Regum Galliae Chirurgus, Collegii chirurgorum, a. 1278 vt videtur, Pariſiis conſtituti praecipuus Auctor fuit. In ea ſchola primum chirurgorum a medicis diſtinctio nata eſt.

p. 157. Egregie Ill. Auctor de GVIDONIS DE CAVLIACO in artem chirurgicam meritis diſſerit, qui veterum praecepta cum anatome et artis chirurgicae cognitione ex propriis obſeruationibus hauſta coniunxit.

p. 161. Lites quoque in Gallia inter medicos literatos, chirurgos et tonſores, iam hoc aeuo ortae, indicantur.

p. 173. Quartus liber *inſtauratores* enarrat, chirurgicos ſcilicet ſcriptores, qui ab initio ſeculi decimi quinti ad FALLOPIVM vsque vixerunt. Ad hos tum varii Itali, vt ANT. BENIVENIVS, ALEXANDER BENEDICTVS, IOAN. DE VIGO, MARIANVS SANCTVS, IAC. BERENGARIVS, VESALIVS, AMATVS LVSITANVS cet. tum Galli, vt I. FERNELIVS,

p. 183. PAREVS, PETRVS FRANCO pertinent. PARACELSVS plurimum arti chirurgicae nocuit, cum animos a maſcula manus opera ad emplaſtra et medicamenta reuocaret. Inter reliquos Germanicos chirurgos his ipſis ſeculis, ſi forte RVEFFIVM exceperis, et I. LANGIVM, Sileſiacum, pauci notantur. Habet tamen etiam aliqua CONR. GESNERVS.

p. 217. Quintus liber, qui hiſtoriam *ſcholae Italicae* continet, a FALLOPIO vsque ad annum ſeculi decimi ſeptimi circiter ſexageſimum quintum pertinet. Italicam vero ſcholam Auctor Ill. vocat, quoniam maxima pars ſcriptorum huius periodi, vel Itali fuerint, vel in Italia artis fundamenta didicerint.

p. 266. De HILDANI ſcriptis ineditis, quae in Bibliotheca

Bernenſi ſuperſunt, relatio inſeritur. Inter ea multa ſunt notatu digna, inprimis in epiſtolis. TAGLIA- p. 272.
COTII adminiſtrationem pene incredibilem, tamen vere ab eo inſtitutam fuiſſe pluribus teſtimoniis Auctorum comprobatur, qui eodem aeuo cum illo vixerunt. SEVERINVM tanquam chirurgiae effi- p. 319.
cacis, ipſis temporibus his neglectae penitus, reſtauratorem laudibus Cel. HALLERVS extollit.

Sextus liber, qui *chirurgia gallica* inſcribitur, p. 379.
epocham continet, quae ab eo tempore incipit, quo Galliae Rex Ludouicus XIV perpetuis bellis implicitus chirurgiam omnibus modis adiuuit, ſcholas chirurgicas erexit, et noſocomia conſtituit. Hoc fecit, vt exteri iam magis Pariſiis confluerent, ibique tum artem chirurgicam in vniuerſum, tum in ſpecie artem obſtetriciam addiſcerent. Primus huius epochae ſcriptor FRANCISCVS MAVRICEAV eſt. Initium hic fit recenſionis earum obſeruationum p. 389.
chirurgicarum, quae in diariis vt v. c. Ephemeridibus Academiae Naturae Curioſorum, Transactionibus Philoſophicis cet. ad ſingulos annos inſerta ſunt, quod et de diſſertationibus aliisque libellis minoribus academicis valet. Finis huius epochae circa annum huius ſeculi, quo viuimus, decimum conſtituitur.

Iam ad alterum volumen progredimur, in cuius Vol. II.
praefatione Ill. Auctor modeſte fatetur ab aliis doctis viris, qui melioribus vtuntur opportunitatibus, facili ſtudio varia addi et emendari in ſuo opere poſſe. Cenſuram librorum, quos ipſe non vidit, ſed quorum titulos ex Cl. PORTAL *Hiſtoria Chirurgiae et Anatomiae* aliisque excerpſit, non addidit. Duos tantum libros hic Tomus comprehendit, quorum prior ſeu ſeptimus totius operis, eam

eam epocham continet, quae *Chirurgiae perfectioris* nomine ab HALLERO inſignitur.

Notat in Chirurgia vix vnquam, perinde vt in
T. II. aliis medicinae partibus factum eſt, magnum ali-
p. 1. quem virum eminuiſſe, qui late poſteros ſequaces habuerit et qui diuiſionis epocharum cauſſa eſſe poſſit. Hinc Ill. HALLERVS aliud diuiſionis momentum a fatis chirurgiae in vniuerſum deſumſit. Initium vero *Chirurgiae perfectioris* facit a FRANCISCO PETITO, quem primum poſuit inter eos chirurgos, qui minutis et exquiſitis menſuris et ſubtilibus conſiliis chirurgicam artem perficere ſunt aggreſſi. Monet HEISTERVM inter omnes ſcri-
p. 5. ptores chirurgicos plurima ſcripta edidiſſe. Eius inſtitutiones pleniſſimum ad hunc vsque diem artis chirurgicae compendium ſunt, cum tamen huius artis facies adeo noſtris temporibus mutata omnino nouum eiusmodi laborem neceſſarium reddat. Eo loco, vbi, quae ipſe in Chirurgia praeſtitit, Ill. Auctor
p. 171. enarrat, curationes etiam refert, quas Pariſiis anno 1727 a Gallicis chirurgis factas vidit. Plerumque euentus funeſtus erat.

Octauus tandem liber ea recenſet, quae *nouiſſimis*
p. 249. *temporibus* facta ſunt. Occaſionem noui libri Auctor Cl. a noua Academia Chirurgica Pariſiis conſtituta ſumit eiusque initia ad annum 1743 ponit, quo primum commentariorum volumen prodiit. Lites chirurgorum cum medicis in Gallia ortae ad ſingulos annos recenſentur, totumque opus ad recentiſſima vsque tempora continuatur. Addita ſunt ſupplementa et index Auctorum.

En ſummam operis, quod, licet ei in tanto librorum numero, vti Ill. Auctor ipſe fatetur, certe aliquid paſſim addi et emendari poſſit, tamen de nouo merita HALLERI, ſummi Viri, in artem medicam auget, doctrinaeque ac diligentiae eius aeternum erit monumentum. Vtinam Summum Numen egregio huic Seni, cui res publica litteraria, cui genus humanum tot tantaque debent, placidam et ab omni aegritudine liberam ſenectutem largiatur.

XV.

Eenige heelkundige waarnemingen en konſtbewerkingen, door eigen onderuindinge geoeffend en beproefd, met nodige aanmerkinge der zakne dienende voorzien, en door beygebrachte geuallen von geleerde ſchryveren, beueſtigd en geſtaaft. By een verzameld en in't licht gegeuen, ten nutte van min eruarene en ionge heelmeeſters, na eene konſt-oeffening van meer dan een halue eeuw, door PIETER VAN ESCH, Ordinaris en Oudſte konſt-oeffenend Heelmeeſter zoo van de ſtadt, gaſthuis, armhuis en't krankzinnig beterhuis der Stadt Dordrecht. Te Gouda gedruckt by Gysbert de Vry. 1772. 8. pagg. 460.

i. e.

Variae obſeruationes et operationes chirurgicae — collectae et in vſum chirurgorum iuniorum poſt exercitium artis per quinquaginta annos et vltra editae a PETRO VAN ESCH Chirurgo Dordracenſi.

Cl. Auctor exercitatiſſimus Chirurgus ſenex eas obſeruationes chirurgicas maxime notatu dignas iam deſcribit, quae in longo artis ſuae exercitio, ei obuenerunt. Licet vero nimis prolixe ſcribat ac varia immiſceat, quae omnibus nota, aut ex aliis Auctoribus excerpta ſunt, tamen omnino eius liber multa continet, quae inprimis noſtram attentionem merentur et de Auctoris doctrina atque
p. 1. dexteritate teſtantur. Prima obſeruatione de venaeſectione et praecipuis infortuniis, quae in ea extimeſcenda ſunt, nec non de morbis exponit, in quibus ea inſtituitur. Cauſſa, cur ſtyptica, quae experimento in bruto animali facto vtilia ſe praebuerunt, in homine ſaepe nil praeſtent, poſita eſt in affectibus animi et metu imminentis periculi, quo bruta vacant. Hac prima obſeruatione varia quoque de herniis, tumoribus ſaccatis, abſceſſibus, de mutationibus ſanguinis e vena miſſi cet. monentur. Abſceſſus ſaepe cauſticorum ope Noſter aperuit.

p. 61. Secunda obſeruatione de carie venerea oſſium cranii feliciter curata, tertia de fungoſo tumore ex
p. 70. oſſibus cranii carioſis propullulante, atque quarta
et 73. et quinta de carie cranii, et vlnae differit, quae mala omnia feliciter curauit. Sequuntur variae obſeruationes circa tumores tunicatos exſtirpatos,
p. 93. et oſſium cariem. Obſeruatio nona ad fiſtulam lacrymalem pertinet, in qua os vnguis perforauit.
p. 106. Caput obſtipum ſine operatione topicis emollientibus, muſculo rigido et neruinis relaxato applicatis, reſtituit. Varias curationes in phimoſi a lue venerea orta factas recenſet. In retentione vri-
p. 133. nae puncturam perinaei felici ſucceſſu inſtituit.
p. 150. Vuulam nimis relaxatam exſtirpauit.
p. 167. Decima quinta obſeruatione plures caſus vul-
p. 236. nerum recenſentur, ſequenti vero Auctor Cl. de vulne-

vulneribus ſclopetariis agit et quaedam eorum exempla, quae ei in ſua praxi obuenerunt, recenſet. Deinde vlcerum varia exempla enarrat, inter quae p. 249. varia ſunt, quae carcinomatica fuerunt. Teſtes p. 301. ſcirrhoſos carcinomaticos fieri vidit. Vlcus fiſtu- p. 312. loſum ductus ſaliualis Stenoniani feliciter ſanauit. Quae ſequuntur capita aſcitem, fracturas oſſium et amputationem artuum attinent, vbi ſemper ex aliis ſcriptoribus multas obſeruationes et adnotationes ſuis Noſter immiſcuit.

XVI.

IOSEPH IACOB PLENK Materia chirurgica *oder Lehre von den Würkungen der in der Wundarzney gebräuchlichen Heilmittel. Wien, in der Gräferiſchen Buchhandlung.* 1771. 8. *Seitt.* 592. *mit der Vorrede.*

i. e.

Materia chirurgica, Autore Cl. IOSEPHO IACOBO PLENK.

Vtiliſſimum profecto hunc librum diſpeſcit Cl. Auctor in duas partes, quarum vna ſpectat vniuerſalem, altera particularem doctrinam de remediis externis. Ad primam partem pertinent adſtringentia, roborantia, ſtiptica, ſiccantia, emollientia, humectantia, obuoluentia, anodyna, ſuppurantia, attrahentia, repellentia, corrodentia, corrigentia, detergentia, conſolidantia, cicatriſantia, calefacientia, refrigerantia, reſoluentia, ſpecifica. Alteram partem efficiunt farinoſa, mucilaginoſa, oleoſa, pinguia, gelatinoſa, gummoſa, reſinoſa, bituminoſa, balſamica, auſtera, aromatica, amara, ſaponacea, acria, cauſtica, narcotica, acida, alcalina,

 ſalſa,

ſalſa, ſpirituoſa, oleoſa, aetherea, terrea, metallina, aquoſa, deplentia, mechanica.

p. 97. Nos de nonnullis ſingulis exempli loco videamus. Farina lini ſumme emolliens, maturans et anodynum eſt remedium externum. Lycopodium laudatur in dyſenteria et clauatum in aqua coctum externe pro lotione, et interne pro potu, ſpecificum eſt contra plicam Polonicam.

p. 101. Symphytum vino maceratum non conducit in inflammatione faucium, quoniam nimis conſtringit et ſuffocationem cauſat.

p. 131. Butyrum cacao non facile fit rancidum et maiorem habet reliquis oleoſis conſiſtentiam. Quapropter emplaſtra cerata et vnguenta eo butyro firmius cohaerent. Eandem ob cauſam vnguento Neapolitano quoque additur hoc butyrum, quoniam mercurius tum non adeo facile fundum petere poteſt.

p. 132. Emplaſtrum de ſpermate ceti reiicit Noſter ad lac repellendum, quoniam nimis emollit, affluxum lactis auget et inflammationem efficit.

p. 140. Albumen oui externe vſurpant obſtetrices ad inungendas manus, ſi venerea labe infectas in partu tractare debent. Membrana interna oui Noſtro videtur efficax conſolidans et cicatriſans eſſe e. gr. in vulnere corneae pellucidae. Nonnullis ab Auctoribus externe glandi applicatae membranae huic diuretica vis tribuitur.

p. 143. Gummi arabicum ſoluere mercurium, non autem ſanguinem reſolui eo ita praeparato, alia occaſione *) Noſter docuit. Porro id combinationi oleoſorum, pinguium et reſinoſorum corporum cum aqua ſeruit. Gummi ceraſorum conuenit

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 623.

conuenit cum gummi Arabico, non autem eſt vnum idemque

Gummi ammoniacum cum aceto ſquillitico ad emplaſtri conſiſtentiam redactum in anchyloſibus, articulorum hydrope cet. a Noſtro cum Cl. CLOSSIO *) laudatur. Gummi guajacum laudatur remedium antiuenereum, Noſter vero ſine addito mercurio nullam morbi huius mutationem inde expertus eſt. p. 153.

Opopanax bonae indolis facile ſolui poteſt in aqua et ſiſtit lac, quod contra vermes laudatur. Externe aquam vulnerariam, non ſpirituoſam, et balſamicam hoc lac ſiſtit. p. 157.

Tinctura aloes externe caute vti oportet chirurgos, ne diarrhoea male afficiantur aegri, ſeu vti Cl. TISSOTVS obſeruauit, eadem pereant. p. 162.

Oleum camphoratum in atheromate pugni magnitudine Cl. WHYTT cum felici ſucceſſu externe adhibuit. Interne Noſter camphorae cum nitro coniunctae refrigerantem et diſcutientem vim tribuit. In nulla inflammatione certius et citius iuuat illa, quam in dyſenteria rubra ac praecipue larga diaphoreſi excitata. Item camphora mercurio iuncta facilitat tranſitum hydrargyri per minima vaſa. Si Noſter a mercurio gummoſo **) vertiginem et tremores in ſuis aegris obſeruauit, camphoratam emulſionem non fruſtra dedit. Interne camphora optime gummi Arabico ſoluta exhibetur, quod et Cl. COLLIN ***) confirmat. In oculorum morbis camphora in lapide diuino ſeu ophthalmico conducit. Praeterea autem reiicit Noſter eam in his morbis. p. 164

 Lithan-

*) v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 648.

**) v. librum ſupra laudatum. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 623.

***) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 140.

p. 179. Lithanthraces *) non ſolum, vti Cl. MORAND iam retulit, ſeruiunt in balneis membrorum debilitati, articulorum morbis, contracturis cet.; ſed etiam oleum eius deſtillatum ſubſtitui poteſt oleo petrae, quod paululum ab eo differt. Ad balnea lithanthracum Noſter parum ſpiritus vini addidit, et in exemplo, ab eo memorato et genu morbum ſpectante obſeruauit, omne genu intra quadraginta et octo horas rubeſcere cum paruis veſiculis ſine magno dolore. Quo facto per idem temporis ſpatium ſiccis linteaminibus affectus locus obtegebatur et rubor euaneſcebat, balneo tum reiterato rubor et veſiculae rurſus apparebant. Quibus exſiccatis poſtea balneo lithanthracum ſine ſpiritu vini ita Noſter proſpere vtebatur, vt aeger intra tres ſeptimanas penitus ſanitati reſtitueretur.

p. 199. Herniariae tribuunt vim in viſus debilitate. Flores chamomillae in vlceribus ſphaceloſis proſunt et putredini valide reſiſtunt; interne contra ſcrophuloſas affectiones ſphacelumque laudantur. Puluerem florum chamomillae Noſter in ſiccis ſacculis cum camphora externe ſcrophuloſis tumoribus cum fructu applicuit. Lignum ſanctum ſine mercurio lui venereae non mederi videtur. Idem Noſtro cenſet Noſter de ligno ſaſſafras. Eſſentiale oleum cinnamomi eſt corroſiuum et ideo in carie oſſium

p. 274. externe laudatur. Vuae vrſi effectus in veſicae paralyſi Noſter laudat et ad Cl. MVRRAY commentationem de arbuto vua vrſi **) Lectores amandat. Flores arnicae ***) in paralyſeos nonnullis ſpeciebus ſunt ſpecificum remedium. Noſter paralyſin poſt cerebri commotionem relictam ita ſanauit.

A ſe-

*) v. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 248. Vol. XX. p. 338.

**) ibid. Vol. XV. p. 164.

***) ib. Vol. XXI. p. 142. it. p. 624.

A ſemine ſabadilli iuuenis, cuius caput illo p. 338.
contra pediculos conſpergebatur, delirabat, donec aqua illud abluebatur. Anglus chirurgus NORFORD vnguentum contra cancrum apertum laudat, quod conſtat ex ricini ſeminum ſucco expreſſo, ſaturno et mercurio albo praecipitato. Fermentum panis cum pauxillo aceti in infantibus idem praeſtat, quod ſinapiſmi in aetate adulta. Colchicum bis in hydrope articuli genu vtiliter exhibuit. Internum vſum cantharidum noxium Noſter obſeruauit.

Infuſo croci tetanum, ex vulnere prope Achillis p. 392.
tendinem ortum, curauit chirurgus ita, vt per multos dies vulneris deligationem negligeret et vulnus deligatum tepido infuſo croci quotidie humectaret, quoniam ſingula deligatione per acceſſum aeris ſpasmi denuo exacerbabantur.

Acetum terreas particulas reſoluit. Quapro- p. 410.
pter et calli regenerationem impedit, ſi nimis diu in oſſium fracturis externe adhibetur. Tophi autem podagrici, claui, verrucae aliaeque indurationes, inprimis circa pedem et eius digitos optime ope aceti tolluntur.

Ex phosphoro, qui quoddam per phlogiſton p. 418.
mutatum ſal acidum eſſe videtur, praeparauit Cl. HANCKEWIZ, ignea materia ab eo ſeparata, remedium, quod omnes calculos veſicae vrinariae ſoluat et cum aquis deſtillatis mixtum ſine omni dolore poteſt in veſicam immitti.

Cineres culinares tepide tumoribus articulo p. 424.
rum ab initio cum fructu applicuit Noſter. Spiritus MINDERERI liquorem terrae foliatae tartari quoad vim ſubtiliorem et penetrantiorem ſuperat. Magnetis externum vſum, de quo alibi iam dixi-

 mus,

mus *)), Noſter hic quoque commemorat. Cl. GOVLARD **) optime effectus plumbi diſquiſiuit.

p. 497. Inter omnes methodos mercurium exhibendi ſuam, quam ſupra cum arabico ***) gummi iam commemorauimus, Noſter praefert. Poteſt omnium aetatum ſubiectis, grauidis, debilibus ſecure exhiberi, quoniam hic mercurius gummoſus Cl. PLENKII nec valide agit, nec alia pericula minatur, vti reliquae methodi mercurium interne et externe cum corpore communicandi. Extractum gentianae cum ſolutione mercuriali gummoſa PLENKII laudatur contra morſum viperae vt antidotum ****). Hydrargyrum obeſt in omnibus omnino ſcorbuticis affectionibus.

p. 541. Faeces vini ſunt remedium roborans, diſcutiens et animali putredini valide reſiſtunt. Quapropter vna pars faecum cum duabus ſeu tribus partibus aquae mixta et paululum calide impoſita conducit in luxationibus, contuſionibus, fracturis cet. Pariter coercet gangraenam et ſcarifatione ſimul in auxilium vocata, Noſter vidit hoc externo remedio ſolo ſeparationem corruptarum partium a ſanis et bonam ſuppurationem. Eandem vtilitatem hoc Ei attulit remedium in inueteratis vlceribus. Mereri itaque locum non inferiorem hoc in chirurgica materia Noſter aſſeuerat. Cereuiſia calida butyrata iuuat inflammationem mammarum ex lactis ſtagnatione et dicitur optime leniens in hoc caſu remedium.

Cl.

*) v. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 102. it. ibid. Vol. XX. p. 556.

**) ibid. Imae dec. ſupp. I. p. 113.

***) v. ſupra p. 512. it. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 34. it. ib. decadis IIdae Suppl. II. p. 274.

****) vid. ib. dec. II. ſuppl. III. p. 442.

Cl. BAVMBACH *) aquam calcis laudat interne in carcinomate. Credit enim carcinomaticam materiam eſſe rancidam corruptionem tunicae adipoſae et glandularum, et hanc rancidam carcinomaticam materiam eſſe acidae indolis, quoniam ea, cum oleo tartari per deliquium in vlcere cancroſo tacta efferueſcebat. Tentamina quaedam ei feliciter ſucceſſere. p. 545.

Dum ventoſas ſeu cucurbitas ſiccas contemplatur, Noſter ſuadet, vt infantibus depreſſiones cranii ab caſu per cucurbitulam, cui antlia pneumatica applicanda eſt, eleuentur. Forte et huc iuuaret Cl. STEIN **) inſtrumentum ad lac ex mammis euocandum. p. 567.

Vſtionem cranii ***) in amauroſi cet. Noſter reiicit, neque concedit illam, niſi in morſu animalium rabidorum et venenatorum. Recentiores ei ſubſtituunt moxam, cuius effectus Cl. POVTEAV ****) tradidit. p. 573.

In fine addidit Noſter indicem Latinum et Germanicum.

*) v. EIVSD. diſſ. inaug. de curatione cancri occulti et aperti per aquam calcis viuae potam praeſtita. Praeſide RVDOLPHO AVGVSTINO VOGEL. Gott. 4.

**) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 101.

***) v. ib. Vol. XVII. p. 158.

****) v. comm. noſtr. Imae dec. Suppl. I. p. 31. it. ib. Vol. XVIII. p. 130.

XVII.

IOHANN STEIDELE *Wundarztes und Geburtshelfers Sammlung merkwürdiger und für Aerzte, Wundärzte, hauptſächlich aber für Geburtshelfer und Hebammen nützlicher Beobachtungen von der in der Geburt zerriſſenen Gebährmutter mit Anmerkungen. Wien, gedruckt bey Joh. Thomas Edlen von Trattnern, Kaiſerl. Königl. Hofbuchdruckern und Buchhändlern.* 1774. 8. *m. K. Seitt.* 51. *auſſer den Vorbericht.*

Ebendeſſelben Nachtrag zur Sammlung merkwürdiger Beobachtungen von der in der Geburt zerriſſenen Gebährmutter mit Anmerkungen. Wien, 1775. 8. *m. K. Seitt.* 15.

i. e.

IOANNIS STEIDELE collectio notabilium et medicis, chirurgis et obſtetricantibus inprimis vtilium obſeruationum de rupto in partu vtero.

EIVSDEM additamentum ad hanc collectionem.

p. I. Obſeruatio prima attinet grauidam, debilem, partum difficillimum ideoque artificialem expertam. Inter parturiendum oriebatur tantus ſtrepitus in vtero, vt adſtantes audirent et dolores ad partum iudicarent. Abſoluto hoc partu, debilitas aucta, pulſus celer et debilis, frequentes vomitus, ſitis inexſtinguibilis, abdomen nimis tenſum et admodum dolens cum reſpiratione difficili apparebant. Abdominis volumen magis magisque increſcebat et dolebat lochiis inſuper remanentibus. Venaeſectio inſtituta et clyſmata applicata omniaque auxilia nihil iuuabant ad puerperae mortem arcendam.

Cada-

Cadauere aperto, magna copia ſeri ſanguinei et aeris foetidi profluebat. Omentum, inteſtina et ventriculus inſigniter tumebant. Peluis impleta erat ſero ſanguineo. Vterum ruptum inueniebant ſecantes. Ruptura ex icone addita optime patet. Erat extrorſum ſex pollicum, introrſum tres pollicum ad craſſiorem vsque vteri ſubſtantiam. Longe amplius vulnus fuiſſe ante contractionem vteri Noſter ſuſpicatur. Vterus ex parte erat plane ſphaceloſus, ex parte maculas nigras et rubras prae ſe ferebat, et foetida atra putrilagine refertus. Ouarium ſiniſtrum cum tubá et ligamento lato, in dextro latere erant colore fuſco rubro. Ligamenta rotunda erant craſſa, naturali tamen colore praedita. p. 11.

Secunda obſeruatio ſpectat quoque vteri vulnus, quod non ſolum ſubſtantiam vteri, ſed etiam peritonaeum penetrauerat. Fetus erat praegrandis et pinguis, et ciuili pondere librarum viginti et quinque. p. 15.

Nos obſeruationem tertiam et quartam eandem rem illuſtrantes breuitatis ergo praetermittere oportet et de annotationibus ſupra his obſeruationibus nunc breuiter videamus. Ac primum notabilis Noſtro videtur ex prima potiſſimum obſeruatione breuis duratio partus, quae non decem horarum ſpatium excedebat. Signa praeterea imminentis rupturae prorſus aberant. Cuius cauſſa Noſtro veroſimilis iudicatur haec: partus nimirum frequentes et ob anguſtiam peluis difficiles diuque durantes, et capita fortaſſe ob notabilem introrſum eminentiam ſacri oſſis oblique ſita, quae vterum in hoc loco premebant, extendebant, attenuabant et quaſi praeparabant, vt ille in hac parte partim per extenſionem p. 27.

fibrarum

fibrarum iam attenuatarum, partim etiam per preſſionem capitis, ab initio fortaſſe oblique ſiti, rumpi deberet.

p. 31. Signa rupti vteri autem erant manifeſta. Subito enim ortus et cum vehementiſſimis et diu durantibus ad partum doloribus ſtrepitus, quem clare adſtantes audiebant, ceſſatio dolorum ad partum, haemorrhagia ſubſequuta, fetus receſſio, cuius caput obſtetrix non amplius potuit tangere, ſenſatio parturientis, ac ſi fetus verſus ventriculum aſcenderet, ſufficientia et plus, quam veroſimilia ſunt ſigna rupturae vteri.

p. 35. Verſio fetus ſubitaque eius extractio forte vitam puerperae conſeruaſſet, cum rupturae huius cauſſa proxima non, vti alias ſolet, gangraena et ſphacelus eſſent, ſed gangraenam hic effectum rupturae iudicari oporteret.

p. 38. Signa iam factae rupturae vteri, quam altera obſeruatione Cl. Auctor illuſtrat, erant, collapſus duri et magni tumoris ſuper oſſa pubis et dolorum ad partum ceſſatio; poterat dein puerpera in vtroque latere iacere, quod antea ferre nequibat, erat tamen valde inſenſilis cet. Cauſam proximam huius rupturae quaerit Noſter in obliquo ſitu fetus et praecipue in nimia preſſione externa abdominis, quam omnino reprobat, potiſſimum ſitu fetus irregulari iam praeſente.

p. 46. Ex his obſeruationibus ſequentia ſigna imminentis rupturae Noſter colligit: quaedam per dimidiam grauiditatem et per partum durans et aucta dolorifica grauitas, vrens ſenſatio, nec non in abdomine inſolito vehementes, partum non promouentes et anxietatum et lypothymiarum viciſſitudine coniuncti dolores ad partum; magnus et durus tumor externus ibi, vbi poſtea ruptura interne facta,

tactum

tactum non ferre poterat. Reliqua ab Auctoribus alias ſigna notata hic Noſter non obſeruauit.

Iam tranſeamus ad additamentum eandem rem exemplo probans. Rupturae vteri hic clara aderant ſigna. Poterant enim fetus membra externe per ſiniſtrum latus abdominale accurate tangi. Abdomine ſiniſtrorſum aperto, emanabat magna copia ſanguinis tenuis, quem ſequebatur caput fetus, qui erat octo menſium, paruus, ceterum ſanus. Secundinae pariter extra vterum reperiebantur. Vterus antrorſum verſus veſicam vrinariam vnum et dimidium pollicem latam rupturam habebat, vti ex addita icone patet. Vteri ſubſtantia ceterum erat ſufficienter craſſa, interna vero, inprimis circa margines vulneris non adeo cernebatur tenſa. Ligamenta tubae et ouaria atro coerulea et obſcure rubra erant. Peluis erat anguſtia. p. 1.

Omnes eius feminae partus difficiles erant. In hac grauiditate dolorem ſupra oſſa pubis ſenſit et ſeptem ſeptimanas ante mortem in abdomen vehementer incidit, a quo tempore dolorem cum ſucceſſiuo incremento animaduertit. p. 6.

Ex his obſeruationibus patet, magnam eſſe vteri rupturae diuerſitatem, nec vllum eſſe vteri locum, vbi ruptura eius fieri nequiret. In prima obſeruatione vterus erat dextrorſum vnum pollicem ſub orificio et quinque ſupra illud ruptus. In ſecunda obſeruatione eſt vterus circa orificium ruptus, in tertia ruptura ab orificio vsque ad fundum vteri facta eſt et a vagina orificium erat ſeparatum. In quarta obſeruatione dextrorſum in vtero ruptio eſt orta, quae continuabat in vaginam. In quinta p. 14.

ruptura

ruptura reperiebatur antrorſum verſus veſicam vrinariam ſuper orificium, quod tamen erat illaeſum. Diuerſae itaque valde ſunt rupturae vteri, admodum periculoſae et hactenus fere ſemper letales.

XVIII.

D. IOHANN GEORG MODELS *Rußiſch-Kayſerl. Hofraths der Kayſerlichen Academie der Wißenſchaften und des Collegii medici, wie auch der freyen ökonomiſchen Geſellſchaft in St. Petersburg, der gelehrten Geſellſchaft zu Harlem und der Churbayriſchen Academie der Wißenſchaften Mitglied, der St. Petersburgiſchen Oberapotheken Apotheker, kleine Schriften beſtehend in ökonomiſch - phyſicaliſch - chymiſchen Abhandlungen. St. Petersburg, gedruckt in der Buchdruckerey des Kayſerl. Ad. Art. und Ing. Kadettenkorps und verlegt von I. K. Schnooer.* 1773. 8. *Seit.* 144. *ohne Vorrede.*

i. e.

Opera minora oeconomicos phyſicos chemicosque tractatus ſpectantia. Auctore Cl. IOANNE GEORGIO MODEL.

In prooemio Cl. Auctor cauſſas narrat, quae ad ſinguli tractatus elaborationem ipſum excitauerint, vbi cum de maceratione ſeminalis frumenti verba facit, ſimul nouas nonnullas et, vt affirmat certas obſeruationes de clauo ſecalino et lolio temulento communicat. Nempe in Tschiliaba copioſe clauus ſecalinus cum ſecale creſcit, neque ab eo ſeparatur, et a pane tamen ne minimum quidem incommodum ſentitur.

Ex

Ex epiſtola, quam Cl. Auctor ex prouincia Imereti accepit, hanc nobis tradit obſeruationem. Lolium temulentum hic copioſe cum tritico creſcit, cum eo molitur et ſequentes effectus prodit; cephalalgiam, vertiginem, inſomnia et ſpaſmos in pedibus. Similes ſaepius effectus prodit mel ex Azalea pontica. Ex his probat Cl. Auctor, nociuos effectus, qui clauo ſecalino tributi hactenus ſunt, non in illum, ſed in lolium temulentum cadere. p. 11.

In primo tractatu agit Cl. Auctor quoad ſanitatem *de noxis vaſorum coquinariorum ex metallis praeprimis cupro confectorum.* Aurum et argentum per ſe quidem nil nocent, cum autem, praecipue argentum cum haud exigua cupri quantitate miſcetur, nulla acida, ſalina et fermentata ne per horam quidem in iis aſſeruanda ſunt. Maiorem attentionem requirunt vaſa ex ſtanno, cupro et plumbo, praecipue quoniam hoc vltimo et vaſa terrena ſeu argillacea imbuta ſunt: politura enim, qua haec vaſa interius obducuntur, ex arena et plumbo ſeu corporibus ſalinis, vti notum eſt, conficitur. Hinc declarandum, quid ſit, quod lac, butyrum etc. in his vaſis tam facile corrumpant. Nec minoris noxae eſt obductio vaſorum cupreorum ſeu aliorum cum ſtanno vel plumbo. p. 3.

In fine huius tractatus ſummam eius Cl. Auctor ſub quatuor poſitiones cogit. 1) Nullum victum nec in vaſis argenteis, nec ſtanneis et cupreis, multo minus plumbeis aſſeruare. 2) Vaſa ex cupro et ſtanno confecta ſemper depurata, polita et praeprimis ſicca curare. 3) Obductionis iſtius vaſorum curam habere, ne ſtanno hic nimium plumbi adponatur. 4) Cum puluere peti nicotiani in capſula plumbea aſſeruati caute verſari, quoniam in ſuperficie huius puluerifatae nicotianae puluis albus ſeponitur, qui nil niſi calx plumbi eſt. p. 16.

Sub-

Subnectit nunc huic tractatui nonnulla de vinis cum plumbo mangonizatis; Simul Cl. ZELLERI remedium tanquam optimum ad haec fucata vina
p. 21. cognoſcenda*) commendat. Nempe, Recipe auripigmenti Vnciam vnam et calcis viuae vncias duas, quodlibet ſigillatim pulueriſetur, deinceps miſceantur; infunde in vaſe vitreo ſuper iſtum puluerem vncias duodecim aquae, circa aperturam vaſis veſica humida firmiter ligetur, et ſic per horas viginti et quatuor in locum ponas calidum, ſaepius autem peragitetur. Proportio calcis etiam mutari poteſt. In arena ignita quoque per ſemihoram, ſi ſtatim eo infuſo forſan vti vis, coquere licet. Tunc ſi defrigeſcit, puluisque ſe praecipitauit, et fluidum clarum euaſit, illud decantetur et ad vſum aſſeruetur. Vſurpatur ita, vt in vitrum vini inſtilles decem circiter guttulas. Si vinum mox colorem auſteriorem adſumit, primum rubeſcit, deinceps fuſcum fit, tandemque nigreſcit, pro differentia harum mutationum ſaturni additamentum diiudicatur. Eodem modo cum butyro experimentum inſtitui poteſt. Ob ingratum odorem inſtituas hoc experimentum ſub coelo aperto. Optima remedia, quibus his venenis a cupro, plumbo et aliis inductis medeatur, ſunt, acetum, ſuccus mali citrei, oleum, butyrum et ſimilia. Signa, quae produnt venenum metallicum in corpore ſunt, colici dolores, vomitus, molimina ad vomitum, motus ſpaſtici imo conuulſiui mox poſt coenam ſine alia probabili cauſa detecta, percepti.

p. 25. Si tale quid ſentis, mox aſſumas menſuram duorum cochlearium ſucci ex malo citreo cum aqua mixti, ſeu vnum cochleare aceti; ſemi hora his aſſumtis praeterlapſa nonnulla cochlearia olei puri vel butyri recentis tepefacta aſſumas et per potum aquae tepidae vomitum cieas. Exemplum ad effectum plumbi nociuum probandum Cl. Auctor addit.

Ruſticus

*) v. comm. noſtr. Vol. VI. p. 313.

Ruſticus nempe lignum ad panem in furno coquendum ſumſit a ſepimento quodam, cum ſaturnino praeparato colorato. Venenoſus plumbi vapor panem calidum adeo ingreſſus eſt, vt nouem, qui panem, poſtquam refriguit, ederunt, grauiſſimis ſymptomatibus affecti ſint, duo ex his obierunt, ſeptem reliqui, tandem cauſa detecta, curati ſunt.

Secundus tractatus continet meditationes phyſico-chemicas, *de naturali ſeminalis frumenti emendatione et inde oriunda iſtius auctione.* Fit haec emendatio per macerationem. Materia ſumitur ex lacu ſtercoris. Per vnam noctem ſeminale frumentum maceratur dein cum calce, quae fermentationem foſſilem experta eſt, copioſe conſpergitur et habita terrae ratione deſeritur. Duo hic potiſſimum conſideranda ſunt, a) maceratio ſeminis in lacu ſtercoris, b) et conſperſio cum calce fermentationem foſſilem experta. Illud, quod fimo vim ſuam praebet, eſt principium nitroſum. Lacus nunc laetaminis ſubtiliſſimum et concentratiſſimum fimi eſt. Calx illud hic eſt, quod reſolutionem et volatiliſationem pinguium et oleoſarum partium fimi promouet, et, quo minus poſſint auolare, impedit, principiumque nitroſum ſuſcipit, et cum plantis communicat; igitur vtraque non poſſunt, niſi vtilia eſſe. p. 29.

Macerationem ergo pro peculiari fimo Cl. Auctor habet. Calx autem hunc fimum efficaciorem reddit. Semen maceratum per terram calcaream a humido ſuo ſuperfluo liberatur, hinc haec terra facultatem nacta eſt pingues partes reſoluendi, et, adiuuante aëre, in principium ſalinum commutandi, et hoc illud eſt, quod alii ſal aëreum nominant. Sub fine huius tractatus nonnullorum virorum eruditorum ſententias de origine perſequitur. p. 37.

p. 47. Tertius tractatus agit *de ſpiritu ardente modoque impediendi, quo minus empyreumaticus et inde quoad odorem ſaporemque nauſeoſus euadat.* Denominatione et hiſtoria ſpiritus vini praemiſſis, de fermentatione Noſter diſputat. Vegetabilium ad fermentationem aptarum nonnullas claſſes conſtituit, prout magis minusue ad fermentationem apta videntur. Ad primam omnes illos fructus refert, qui maturi expreſſi tenues, parum mucilaginoſi continentes, dulce, ſuaue et neruos irritans ſalinum oſtendunt. Refert hic vinum, fructus horaeos, baccas. Ad alteram claſſem illos refert ſuccos vegetabiles, qui vel per naturam vel per artem ſicci ad nos veniunt, vti mel, manna, ſaccharum etc. Ad tertiam claſſem omnia frumenti et leguminum nonnullaque radicum genera refert.

p. 81. Ad caloris gradum determinandum loco tactus cum manu thermometrum quoddam ſuadet; et quidem globum cum canali anguſto, qui vel cum ſpiritu vini colorato vel mercurio viuo ad quandam altitudinem impleri debeat: hic etiam vſurpari poſſet ad calorem laboratorii definiendum. Ne ſpiritus aduret, fundibulum cribroſum, ex filamentis orichalci confectum, in veſica aenea ad altitudinem vnius circiter pedis ſupra ipſius veſicae fundum figere ſuadet. Spatia cribroſi huius fundibuli anguſtiſſima ſint. Veſica ad hoc vſque fundibulum cum aqua feruida impleatur. Ignis aequalitatem ante omnia hic commendat.

p. 105. Quartus tractatus diſquiſitionem phyſico chemicam *aquae Newae* continet. Quoad pondus et aërem aquae fontanae ſimilis fuit. Omnia reagentia ad illam ita ſe habuere, vti ad aquam deſtillatam. Deſtillauit Cl. Auctor libras aquae octoginta, ex his ſex in retorta relictae, flauae fuere, quae, ſyrupo

addito violarum, aquam indeſtillatam non mutante, viridem colorem aſſumſerunt. Terrae grana ſexaginta et octo ex magna iſta ſuperius dicta quantitate obtinuit. Varia cum hac terra experimenta inſtituit, et ex omnibus probat, aquam ex Newa fluuio puriſſimam eſſe.

In quinto tractatu diſquiſitionem chemicam *aquae Briſtolienſis* tradit. Quoad aërem illi ex Newa aequalis fere eſt. Oleum tartari per deliquium, cum aqua hac mixtum, nubeculam albam poſt paucas horas ſepoſuit, imo ſpiritus ſalis ammoniaci cum aqua paratus et alcali minerale ſolutum turbida euaſerunt; ſyrupus violarum et aquilegiae poſt mixtionem colorem viridem oſtenderunt. Selenitem, et per euaporationem cryſtallos rhomboidales pondere ſex granorum, verum ſal mirabile repraeſentantes, accepit. p. 119.

Sub fine tractatus duas diſcernit quaeſtiones. 1) Vnde ſelenites oriatur? Ad hanc quaeſtionem ſecundum ſententiam omnium eruditorum reſpondet; nempe ex acido vitriolico et ſubtili terra calcarea. 2) Num tanquam ſelenites in aqua iam adſit vel ope ignis generetur? Et hic vltimum aſſumit et demonſtrat. p. 126.

Vltimus tractatus *methodum ſalis purificandi* tradit. Calcinationem ſalis Cl. Auctor reiicit, et optimam ſalis purificationem per ſolutionem in aqua feruida cum filtratione et cryſtalliſatione fieri affirmat. p. 135.

XIX.

D. IOHANN GEORG MODELS *Entdeckung des Seleniten in der Rhabarbar. St. Petersburg. Gedruckt bey der kaiſerlichen Academie der Wiſſenſchaften* 1774. 8. *Seitt* 16.

i. e.

Obſeruatio de ſelenite in rhabarbaro. Auctore IOANNE GEORGIO MODEL.

p. 1. Nuper iam Cl. MODEL, cum experimenta chemica cum corallina vulgari officinali communicabat in actis Harlemenſibus *), quaeſtiones mouit, quae eſſet origo terrae calcareae in corallina, an ex ea alcalina ſalia vel ex iis ea ipſa terra oriretur? quomodo, ſi ad zoophyta pertinet, terra calcarea ab oſteocolla diſtingueretur? Demonſtrauit enim Cl. MODEL plurimam ſubſtantiam muſci corallini ſeu corallinae eſſe calcaream terram. Atque omnino Noſter putat, occaſione ſalis Perſici, vere alcalini, quocum etiam fecit pericula alcalinam terram ineſſe poſſe ſali, quae tam proprietates volatilis pariter, ac fixi alcali in ſe contineret, inprimis cum et natura ſalem ammoniacum cryſtalliſatum ſine igne, et vti probabile eſt, ſolummodo mutatione partis alcalinae producat, quam originem terrarum calcarearum eſſe, praeſertim cum in omnibus propemodum vegetabilibus cineribus calcarea terra ſit. Reiterata porro experimenta cum vua vrſi, china aliiſque roborantibus et adſtringentibus, quae communicauit Cl. Auctor cum amico propter tincturam tonicam *Beſt. Lamothe* dictam et alia tentamina cum argillacea et aluminoſa terra inſtituta confirmarunt. Eius ſententiam, alcalinam terram primordialem ſalis eſſe originem multorum corporum ſalino-

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 204.

ſalinorum, terrarum et lapidum. Similem in modum coniecerunt Cll. MARGGRAFIVS, RETZIVS *) et GAVBIVS **), qui experimenta circa tartarum vini et eius acidum inſtituerunt et in aqua marina ſelenitem inuenerunt.

Haec ipſa autem tractatio, cuius ſummam hic communicamus cum Lectoribus, agit de ſelenite, terra calcarea, gypſo ſimili, in rhabarbaro. Fortuito nimirum caſu, dum teritur a pharmacopoeo rhabarbarum, detegitur ab eo arena alba, quam offert b. MODEL diſquiſitioni. Haec arena erat primo intuitu terra calcarea. p. 5.

En vero tentamina vlterius inſtituta: quatuor librae rhabarbari optimi, vti ſolent, elutriabantur et fundum petebat puluis albus, qui diligenter ablutus et ſiccatus ſex vnciarum pondere erat. Sex drachmae eiusdem cum puluere carbonum mixtae, cementatae et calcinatae fuerunt, et inter calcinationem ſulphuris odor ſpargebatur. Maſſa refrigerata in aqua calida ſoluta colata acetoque deſtillato tentata, verum apparebat ſolito cum foetore ſulphuris magiſterium. Tres drachmae huius ſeleniticae terrae cum nouem drachmis puri ſalis tartari ſex vnciis purae aquae digeſtae vſque ad coctionem, colataeque mutabantur poſt euaporationem lenem in cryſtallos puri tartari vitriolati. Totidem terrae cum eadem portione alcali mineralis ſ. ſodae mineralis mixtae ſiſtebat ſal mirabile. p. 7.

Vncia ab vna huius terrae per ignem tentatae et demum frigefactae remanebant drachmae duae et ſeptem grana. Erat albidior et calcarea haec maſ- p. 8.

*) v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 405.
**) v. ib. Vol. XVIII. p. 469.

ſa ſoluebatur in acido vitrioli parum, in acido autem nitri et ſalis prorſus ſine vllo ſedimento. Quo vetuſtius eſt rheum, eo plus ſelenites in ſe continet. Ex tali fruſtulo rhei pondere duarum atque dimidia vnciarum et vnius drachmae accepit Noſter vnciam vnam ſelenitis, praeter id ſubtile, quod prorſus ſeparari a rheo nequit.

p. 9. Cineres ex vili rhei ſpecie parum erant alcalini, vti ex tentaminibus patet.

p. 10. Quo facto de rhabarbaro Muſcouitico agit et laudat b. IOANNEM GEORGIVM GMELIN *), qui rheum officinale accurate deſcripſit tam botanice, quam medice.

p. 11. Iam de praeſentia ſelenitis in rheo erat Noſter perſuaſus, dubitat autem, vtrum ea in omnibus ſpeciebus rhei ſtatim adſit, an dein ſuo tempore per praeſentiam calcareae terrae oriatur. In rhabarbaro vero palmato Petropolitano, quod tam per microſcopium, quam per ipſum intuitum multas albas tales particulas in ſe continebat, nulla veſtigia ſelenitica Noſter reperit.

p. 12. Nunc quaeſtionem mouit Noſter, vnde proueniat haec multa calcarea terra, et vtrum ea vt ſelenites oriatur, an quaſi cum planta ipſa maturetur. Iam ſupra Cl. Auctor terram ſalis vt originem terrae calcareae conſiderauit et ea propter videbatur Noſtro, alcalia ſeu lixiuioſa ſalia vbique poſſe eſſe, inprimis vero vegetabilibus ineſſe, quorum praeſentia et ante incinerationem vegetabilium hodie non amplius negatur. Suſpicatur enim b. MODEL, ſal commune penitus decomponi poſſe, et alcalinam

*) v. EIVSD. progr. ſiſtens rhabarbarum officinale. Tubras. 1752. 8. it. CARTHEVSERI Mat. med. edit. II.

nam ſubſtantiam, quae alcali minerale proprie eſt, ſiſtere, quod alio atque alio modo tentatum, melius, purius atque vegetabili alcali propius ſimiliusque redditur. Nam terrarum ſubtilitas efficit alcali mineralis atque vegetabilis differentiam.

Vnde acidum vitrioli, quod ſelenitem in rheo ſiſtit, oriatur, dictu eſt difficile. Suſpicatur vero Noſter, ſal tribuere vegetabilibus calcaream terram, quae magis ſubtiliſata ſolubilior reddita et acido iuncta mutatur in alcali minerale, vti Cl. GAVBIVS *) in pipere reperit. Continuata autem hac mutatione atque omni cruda terra calcarea ſeparata, alcali vegetabile, vti ex cremore tartari patet, ſiſtitur. Mentionem hic fecit Noſter Cl. CRONSTAEDTII **), qui contrarium in modum ſentiebat. p. 14.

Quod ſi vero ſal communis in vegetabilibus plane tolli et mutari poteſt, videtur maxime conſentaneum, acida ſalis aliam naturam et proprietatem nanciſci poſſe. Non ſemper hic opus eſt chemicis auxiliis, ſed natura ipſa. p. 18.

Quid proſit ſelenites in humano corpore hic non curat Noſter, ſed relinquit hoc medicis. Cl. Auctoris ſenſibili corpori non conduxit. Contra diarrhoeam et dyſenteriam laudant veteres ſelenitem. p. 20.

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 474 et 80. ſupra p. 527.
**) ib. Vol. X. p. 347.

XX.

ALBRECHT THAER diſſ. inaug. de actione ſyſtematis neruoſi in febribus, die XVI. mai. 1774. Gotting. litteris Io. Chriſt. Dieterich. 4. pagg. 107. praeter dedicationem.

Licet haec elegans atque docta diſſertatio limites his libellis academicis poſitos inſigniter exceſſit, tamen fatetur Cl. THAER, ſe oportuiſſe multa omittere. Aſſerit autem ea nec illuſtrare nec obſcuram reddere poſſe ſuam, quam hic vult, rem. Placuit Noſtro nempe de febris ac phaenomenorum eius eſſentialium origine, quatenus a neruorum actione repeti poſſit, hic docte diſputare, vultque hanc theoriam dein in altera parte, quam pollicetur nosque auide exſpectamus, ſingulis febrium generibus earumque curationi accommodare atque ita de iis copioſius exponere.

p 6. Theoria et empiria omnino conſideratis, demonſtrat Noſter verae theoriae vtilitatem et poſſibilitatem. Locupletiſſimum enim cum iam habeamus phaenomenorum hiſtoriam, ſi ad iſta rite attendimus et collata probe examinamus, ad motuum cognitionem facile perueniemus, ex his autem ad vires mouentes, ex effectibus ad cauſam, ex cauſis particularibus ad generales concludere licet, donec tandem ad generaliſſimas, ad ipſam naturam, ventum ſit. Si quidquam in factorum hiſtoria forſan deſideraretur, ille defectus, accuratiore adhibita attentione et inſtitutis experimentis, ſuppleri poterit. Hanc viam a VERVLAMIO inuentam, quam NEWTONVS et HALLERVS ſunt ſecuti, ſi ingrediamur, fieri non poſſet non, quin natura in dies recluderet incognita huc vſque myſteria, aperiret-

que

que nobis, quibus viribus agat, quomodo vitales producat actiones, quibus commota cauſis praeternaturales et peruerſas exſerat, tum et innoteſceret, quibus remediis cauſae morborum remoueri, actiones laeſae reſtitui et vires vitales, a naturali aberrantes tramite, in rectum duci queant. Neque tamen ſymptomatum obſeruatione et remediorum, quae interdum ſub ſimili ſtatu opem tulerunt, applicatione contenti eſſe debemus, ſed inquiramus vlterius neceſſe eſt, quae ſint actiones, vnde morboſa iſta profluant phaenomena? qua ratione turbatae ſint illae? quae vires mouentes peccent? quo modo tandem agant adhibita medicamenta? Atque ſic ad inſignem certitudinem deduci poſſe medicinam credibile eſt.

Tum Cl. Auctor diſſerit de irritabilitate, ſenſibilitate et arctiſſimo earum connubio. Diuerſas tamen aſſumit duas has vires, licet arctiſſimo nexae ſint vinculo. Variis enim phaenomenis ſe manifeſtant et variis organis exſeruntur. Muſculari fibrae irritabilitas vnice tributa, motuum immediata exiſtit cauſa et nerui per ſe nihil quidquam niſi mediante viua fibra, mouere poſſunt. Haec vero abſolutiſſimum agnoſcit neruorum imperium, ſic, vt non ſolum a neruo in actum ſtatim ponatur, ſed et aucta huius ſentiendi facultate, muſcularis fibra maiorem acquirat irritabilitatem, et ideo ſi ſtimulatur, motus edat vehementiores. Hanc vitalem vim, muſculari inſitam fibrae, Ill. HALLERVS accurate perueſtigauit, a qua actiones animales et functiones motu perficiendas omnes pendent, omnis ab illa corporis oeconomia animatur, ea ſimul cum neruoſa vi eſſentiale inter machinam viuumque corpus conſtituit diſcrimen, ea ſublata, nulla ſupereſt vita. p. 10.

Ll 5 Iam

p. 14. Iam tradit Noſter irritabilitatis conſideratio- nem pathologicam. Quam diu haec manet integra, tam diu omnes functiones in corpore rite peraguntur. Quod ſi vero irritabilis vis omnium fere actionum cauſa a naturali norma recedit, totum corpus turbari facile intelligitur. Quapropter pathologos pariter irritabilitatem attendere oportet ac phyſiologos, vti et Ill. GAVBIVS in pathologiae inſtitutionibus non nuper fecit et nouiſſime Cl. WEIS *) hoc argumentum in ſua diſſertatione pertractauit.

p. 17. Totius corporis conſenſum ex neruis iam diu ante WILLISIVS probauit et inter recentiores multis exemplis confirmauit Cl. ROBERT WHYTT **). Sympathia autem eſt *primo:* ſi ſenſatio fit, ac ſi praeter affectam partem alius locus ſimul afficeretur: haec ſenſatio nunc ſimilis eſt ei, quae in ipſa affecta parte fit, nunc plane diuerſa, ita, vt moleſtus ſenſus fiat in conſentiente parte, licet pars ſtimulata grate afficiatur; et contra in affecta parte nullus ſaepe ſtimuli ſenſus; in conſentiente vehementiſſimus. *Secundo* ſympathia motibus ſe oſtendit, qui in parte conſentiente, muſcularem vim poſſidente, plerumque ſuſcitantur, ac ſi ipſi ſtimulus immediate applicaretur. Et eiusmodi motus quandoque ſine omni mentis conſcientia fiunt, ita, vt doloris nec in affecta parte ipſa, nec in conſentiente perceptionem habeat. Alio tempore, cum dolor vehemens adeſt, motus nulli producuntur. Denique ad ſympathiam referendum erit, ſi a ſtimulo in remota aliqua parte noui quidem motus non ſuſcitantur, qui vero iam adſunt, inuertuntur et abnormes fiunt.

Sympa-

*) diſſ. de irritabilitate morborum genitrice praeſ. Cl. BALDINGER. Gotting. 1772. 4.

**) v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 223.

Sympathia eſt reactio ſenſorii a ſenſatione phyſica praegreſſa excitata. Fit nempe in ſenſorio ſenſus, in mente perceptio; huic eſt voluntas, illud voluntatem exercet, motus actionesque exſerit. Senſorium edit duplicem facultatem, ſentiendi nimirum et mouendi absque omni animi conſenſione. Senſorium duplici potentia in actionem ponitur, a libera animi voluntate et actione phyſica cet. Sympathiae ſunt vel naturales vel praeternaturales. Hoc patet exemplis hypochondriacorum et hyſtericorum, quorum neruoſum genus a naturali aberrat ſtatu indeque ii vitioſam eiusmodi conſenſionem frequentius oſtendunt. Adeſt e. gr. quaedam pars in quibuſdam corporibus, cui prae aliis morboſe conſentitur et quae corpore in quacunque regione ſtimulato, irritatione afficitur. Partis illius laxitati vel debilitati vulgo quidem hoc tribui ſolet, vera autem cauſa ex neruorum hanc partem ingredientium *vi ſentiente*, ad impetum proniori et inde a quauis ſenſorio inducta mutatione facile excitabili, repetenda erit. Senſorii porro impetus, ſtimulo ſublato, continuatur. p. 21. p. 23.

Tum progreditur Noſter ad neruorum poteſtatem in organa vitalia demonſtrandam, et magis magisque ad ſuam ideam febris ſtabiliendam ſeſe praeparat. Quae in eo cernitur, vt febris ſit ille effectus, qui ex vitalium neruorum ſuſcitato impetu indeque aucta cordis et arteriarum irritabilitate immediate profluit. Horret primum omne corpus in febre, dein aeſtus vrget, donec tandem deleto fere in neruis febrili charactere omnia remittant phaenomena, ſudore aequali madeat corpus eique aliae excretiones contingant, quibus materia vitioſa vel ante febrem iam extans, vel in ipſa ea demum generata eiiciatur et febris ſoluatur. Haec p. 30.

vero

vero phaenomena accuratiori ſubiecit examini, poſtquam febrium cauſas et aptitudinem ad ſuſcipiendam eam conſiderauerit Noſter.

p. 47. Refrigeratio ſubitanea praeſertim inter frequentiſſimas febrium cauſas refertur. Differt vero haec quoad eius gradum et corporis ſenſibilitatem. Ita in calidiorum regionum incolis, quibus neruoſum ſyſtema longe mobilius maiorque ad ſpaſticos morbos diſpoſitio, a nocturna refrigeratione tetanus ſolemnis eſt; noſtra corpora autem eum vſque in gradum, niſi omnem modum excedat refrigerium, tantum ſtimulari videntur, vt irritabiliora vitalia organa ſpaſmus vnice inuadat et febris producatur, cum partium quarundam inflammatione plerumque coniuncta; ſimili modo in illis a vulnere tetanus exoritur; nos vero febre tantum affligimur.

p. 52. Quamquam Noſter SANCTORII experimenta et alia huc ſpectantia de inſenſibili perſpiratione in dubium vocat, tamen omnes noxas ſuppreſſae tranſpirationis non negat; omnino eam corpus grauare et variis morboſis affectionibus anſam dare poſſe lubenter largitur. Plurimorum etiam catarrhalium febrium ortus inde deducendus videtur, vt inſpirationis auctae, quod Anglis vulgo frigus ſuſceptum adaequate dicitur, omnino ratio habenda ſit, ſicut egregie oſtendit IAC. KEIL. Sed febres inflammatorias acutiſſimas a momentanea quadam refrigeratione exortas retentae tranſpirabili materiae tribuere non vult.

p. 53. Animi affectus non raro ſunt febrium cauſſae occaſionales. Iam ipſa eorum phaenomena breuior febris dici poſſent. Sic ira diuturna dilioſam febrem in omni corpore procreare poteſt, et a moerore

rore ex infelici amore concepto, veram lentam nervoſam Anglorum et quidem exitialem Noſter obſeruauit.

Praediſpoſitionem ad febrem Noſter nunc conſiderat, quae cernitur in praeternaturali neruorum vitalium ſenſibilitate. Haec ipſa a natura non adeſt, nec pendet a ſingulari ſenſorii organiſmo, ſed in eodem homine nunc adeſſe poteſt, nunc abeſſe, vti et alias partes non ſemper, ſed quandoque tantum conſentire obſeruatur. Cauſae profecto adſunt tam externae, quam internae, a quibus haec vitioſa diſpoſitio inducitur; cum vero mutationum in ſenſorio factarum, ratio plane lateat, latebit etiam cauſarum illarum agendi modus. Patet tamen iſtis rebus, quarum inſignis in neruoſum ſyſtema potentia cognita eſt, vitioſum hunc ſenſorii tenorem tribuendum eſſe, praeſertim cum conſtet, corpora ab iisdem febribus reddi obnoxia. Principem inter has locum tenet aër tam in mutando ſenſorio, quam in producendis epidemicis morbis. Miſſis itaque reliquis cauſis praediſponentibus febrium, potiſſimum hic ſpectat ad epidemicam conſtitutionem, atque de aëris in neruoſum ſyſtema influxu ediſſerit Cl. Auctor et epidemias ex aëris conſtitutione occulta repetendas eſſe cum SYDENHAMO monſtrat cet. p. 54.

Venimus ad ſymptomata febris eſſentialia. Calor in morbis auctus vel imminutus ex circulatione accelerata et retardata non deriuari debet. Vnde vero febrilium aeſtuum cauſa repetenda ſit, ignorat Noſter. Miſſis igitur, quae hypothetice ex ortu caloris afferri poſſent, certam et conſtantem eam legem, qua ſemper inter virium vitalium fortitudinem et caloris gradum aliqua obſeruatur proportio, contemplari vult Cl. Auctor. p. 70.

Febris

p. 45. *ſceſſus mammarum vel plane non, vel parua tantum inciſione aut cauſtico aperiendi ſunt. Si larga inciſio facta eſt, ſaepe vlcera fiſtuloſa remanent. In abſceſſibus et indurationibus mammarum Noſter externe camphora in oleo ſoluta, nec non ſaturninis remediis; interne vero alterantibus, iulapio camphorato et mixturis ſalinis vtitur. Si diarrhoea oritur, ea opiatis cohibenda eſt. Hac methodo etiam in ſcrophuloſis affectionibus Noſter vſus eſt.*

Etiam in hoc libello Cl. Auctor fere omnia, quae alii de his morbis protulerunt, vt inutilia vel erronea reiicit. Omnem theoreticam ſcientiam, ſi anatomen excipias, in medico inutilem eſſe, neque ex experimentis, in viuis animalibus factis, aliquid, quod in praxi vtile ſit, concludi poſſe monet.

WILL. ROWLEY a treatiſe on the principal diſeaſes of the eye: containing a critical and candid examination of the ancient modern methods of cure, of the preſent defective modes of practice with an account of new mild and ſucceſſful methods for the cure of diſeaſes of this organ, printed for Newbery 8. pagg. 159.

p. 14. *Inter morbos oculorum primo de ophthalmia exponit, de qua etiam libello ſingulari iam antea egit* (*) *omnes externas applicationes reiicit. Adſtringentia effluxum ſeri acris cohibent, atque cataplaſmata emollientia maculas, abſceſſus et vlcera producunt. Setacea et veſicatoria plane inutilia ſunt et ſcarifatio oculi, a* WOLHVSIO *cet. commendata, febrem, grauiſſimaque alia ſymptomata excitat. Venaeſectio, ſi non ampla eſt, nil iuuat. Purgantia concedit, ſi non draſtica ſunt; ſae-*

pe

(*) An eſſay on the Ophthalmia or inflammation of the eyes. Lond. 1771. 8. pag. 47.

pe ophthalmia a cauſſa externa v. c. vento frigido p. 41.
oritur, a quo cataractam ſubito oriri Noſter vidit. Frequenter vero hic morbus a corporibus peregrinis in oculum illapſis ac intra oculi bulbum et palpebras haerentibus producitur. Quatuor in vniuerſum ſpecies ophthalmiae Noſter conſtituit, quarum primam facit, recentem, in qua ſanguis copioſe mittendus, purgantia repetita exhibenda ſunt et aeger ab omni fere potu, quo vaſa tantum iterum replentur, abſtinere debet. Eo vſque Noſter procedit, vt vſum potus diluentis in omnibus inflammatoriis morbis reiiciat. Interius ſalia, ſique ophthalmia bis intra paucos dies non leuatur, et aeger corpus laxum habet atque euacuationibus copioſis iam debilitatus eſt, corticem Peruuianum praeſcribit. Externe nil, niſi ſolutionem gummi Arabici adhibet — Ophthalmiae chronicae cu- p. 71.
ratio non ſemper ſuccedit. Si in aegro iuuene plethora et valida inflammatio adeſt, venaeſectio et refrigerantia; in corpore contra laxo atque ſi albuginea flauum magis colorem oſtendit, roborantia vtilia ſunt. Ophthalmia, quae poſt variolas remanet, optime praecauetur, ſi durante variolarum morbo, palpebrae conglutinatae, bis vel ter quouis die aperiantur, quo lacrymae acres effluant — Si plenaria curatio ophthalmiae chronicae, remediis ſupra indicatis non obtineri poteſt, palliatiua eius cura inſtituatur, in qua praeter exactum diaetae regimen et crebrum purgantium vſum, externam ſaturninorum applicationem potiſſimum commendat. — In ophthalmia venerea ſaepe corneae p. 97.
ſumma obſcuratio atque vulgaria luis venereae ſymptomata adſunt. Solus mercurialium vſus hic opem fert, ex quibus mercurium ſublimatum et PLENKII *ſolutionem mercurii, ope gummi Arabici, reliquis omnibus praefert. Sub mercurialium exhibitione omnis cura eo dirigenda eſt, ne perſpiratio ſupprimatur. — In ſcrophuloſa ophthalmia eadem Noſter obſeruauit,* p. 114.
quae circa curam ophthalmiae chronicae monuit.

His expoſitis ad morbos corneae Noſter accedit, quo- p. 131.
rum tres tantum ſpecies aſſumit, maculas ſ. obſcurationem, ulcera et abſceſſus. In his etiam ſecundum regulas therapiae vniuerſalis vel antiphlogiſticam, vel roborantem methodum commendat. Ex topicis ſolutionem gummi Arabici tantum adhibet. Abſceſſus intra lamellas corneae cito aperit, imo externae lamellae

partem, quae abſceſſum tegit, exſcindere iubet. In levioribus corneae maculis, quae tantum in ſuperficie eius ſunt, debilem ſolutionem lapidis infernalis penicilli ope applicat. Interne ſalina, mercurialia et antimonialia commendat. Adſtringentia in vlceribus cor-
p. 137. *neae plane aliena ſunt. Abſceſſuum applicatio ſaepe corneae rupturam et effuſionem omnium humorum producit.*

p. 149. *In amauroſi nonnumquam, ſectione cadaueris facta, Cl. Auctor ne minimum quidem in oculo vel neruo optico vitium detegere potuit. Ex maximo aegrotorum hoc vitio laborantium numero, duos tantum mercurii et ſaſſaparillae vſu reſtituit. Electricitas in ſuis*
p. 152. *experimentis nil in hoc morbo praeſtitit. — In fine varia de conſpicillis, eorum variis ſpeciebus et vſu Noſter addit. Plures huic libello aegrotorum hiſtoriae additae ſunt, quibus Cl. Auctor ad confirmandam ſuae ſententiae veritatem vtitur.*

Verſuch über den Gebrauch und die Würkungen der Seidelbaſtrinde (Ecorce de garou) *von Herrn* LE ROY. *Aus dem Franzöſiſchen und nach des Herrn Verfaſſers eigenhändigen Verbeſſerungen überſezt von Herrn* IVNCKER, *Profeſſor der deutſchen Sprache zu Paris. Strasburg.* 8.

Gallice hic liber primum prodiit Pariſiis a. 1767. *ſub titulo:* Eſſai ſur l' uſage & les effets de l' ecorce du Garou, *in* 12. *Auctor eſt* ARCHANGE LE ROY *Pharmacopola. In nonnullis Galliae prouinciis ruſtici corticem* Thymelaeae lini folio *cuti in variis corporis locis per ſatis longum tempus applicant, quae ruborem et dolorem excitat et non quidem veſicas trahit, ſerum tamen educit ex cute exſudans. Inde vlcera artificialia hac ratione excitata Cl. Auctor* exudatoria *vocat, eaque in variis morbis, quae ab acrimonia humorum naſcuntur, commendat. Plura recenſet exempla proſperi ſucceſſus, inprimis in morbis cutaneis, aſthmate, podagra, ſurditate cet. Verſio germanica non optima et a Viro rerum medicarum ignaro profecta eſt.*

Reliqua proxime.

Contenta in hac parte.

I. Hiſtoire et mémoires de l' Academie royale des ſciences Année 1770 et 1771. 338
II. SAXTORPH theoria de diuerſo partu ob diverſam capitis ad peluim relationem 412
III. Syſteme nouveau et complet de l'art des accouchements de M. BVRTON par M. le MOINE 420
IV. STEIN *theoretiſche Anleituug zur Geburtshülfe* 422
V. EIVSD. *practiſche Anleitung zur Geburtshülfe* ib.
VI. KRAVS diſſ. inaug. de natura cruſtae inflammatoriae 425
VII. Medical and chirurgical obſervations by GOOCH 429
VIII. Eſſays medical and experimental by PERCIVAL 437
IX. EIVSD. Eſſays medical and experimental on the following ſubiects ib.
X. Mémoires de mathematique et de phyſique preſentées Tom. VI. 453
XI. Theorie nouvelle ſur les maladies cancereuſes et autres affections cet. Par GAMET 468
XII. SCHMVCKERS *chirurgiſche Wahrnehmungen* I *und* 2*ter Theil* 472
XIII. Traite des maladies chirurgicales et des operations. Par M. PETIT Tom. I. II. III. 486
XIV. HALLERI bibliotheca chirurgica Tom. I. et II. 503

XV.

XV. VAN ESCH eenige heelkundige waarnemingen en konſtbewerkingen 509
XVI. PLENK materia chirurgica 511
XVII. STEIDELE *Beobachtungen von der in der Geburt zerriſſenen Gebährmutter* 518
XVIII. MODELS *kleine Schriften beſtehend in oeconomiſch phyſicaliſch chymiſchen Abhandlungen* 522
XIX. EIVSD. *Entdeckungen des Seleniten in der Rhabarbar* 528
XX. THAER. diſſ. inaug. de actione ſyſtematis neruoſi in febribus 532
XXI. Noua phyſico medica 539
XXII. Continuatio indicis phyſico medicorum ſcriptorum, quae anno 1773. prodierunt. 546

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XXI PARS IV.

LIPSIAE MDCCLXXVI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.

Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Venetiis apud I. B. Paſcali, Patauii apud Io. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

I.

Noui commentarii academiae ſcientiarum Imperialis Petropolitanae Tom. XVIII. pro anno 1773. Petropoli typis acad. ſcient. 1774. 4. Fig. aen. IX. pagg. 671. praeter capitum elenchum.

Commentariorum horum claſſis mathematica conſtat in Tomo XVIII. ex ſequentibus commentationibus.

1) *Theoria elementaris ſerierum ex ſinibus atque coſinibus arcuum arithmetice progredientium diuerſimode compoſitarum dilucidata.* Auctore DANIELE BERNOVLLI. p. 3.

2) *Summatio progreſſionum*

$\sin. \phi^{\lambda} + \sin. 2\,\phi^{\lambda} + \sin. 3\,\phi^{\lambda} \ldots + \sin. n\,\phi^{\lambda}$
$\cos. \phi^{\lambda} + \cos. 2\,\phi^{\lambda} + \cos. 3\,\phi^{\lambda} \ldots + \cos. n\,\phi^{\lambda}$ p. 24.

Auctore L. EVLERO.

3) *Obſeruationes variae circa ſeries ex ſinibus vel coſinibus arcuum arithmetice progredientium formatas* Auctore A. I. LEXEL. p. 37.

 4) *No-*

p. 71. 4) *Noua ſeries infinita maxime conuergens perimetrum Ellipſis exhibens.* Auctore L. EVLERO.

p. 85. 5) *Demonſtrationes circa reſidua ex diuiſione poteſtatum per numeros primos reſultantia.* Auctore EODEM.

p. 136. 6) *Noua ratio quantitates irrationales proxime exprimendi.* Auctore EODEM.

p. 171. 7) *Solutio problematis de inueniendo triangulo, in quo rectae ex ſingulis angulis latera oppoſita biſecantes ſint rationales.* Auctore EODEM.

p. 185. 8) *Reſolutio aequationis* $Ax^2 + 2Bxy + Cy^2 + 2Dx + 2Ey + F = 0$ *per numeros tam rationales, quam integros.* Auctore EODEM.

p. 198. 9) *Inſignes proprietates ſerierum ſub hoc termino generali contentarum:*
$$x = \tfrac{1}{2}\left(a + \frac{b}{\sqrt{k}}\right)(p + q\sqrt{k})^n + \tfrac{1}{2}\left(a - \frac{b}{\sqrt{k}}\right)(p - q\sqrt{k})^n.$$
Auctore EODEM.

p. 218. 10) *De reſolutione irrationalium per fractiones continuas, vbi ſimul noua quaedam ſingularis ſpecies minimi exponitur.* Auctore EODEM.

In claſſe phyſico mathematica haec inueniuntur:

p. 245. 1) *Noua determinatio centri oſcillationis in corporibus, qualibuscunque filo flexili ſuſpenſis eiusque a regula communi diſcrepantia.* Auctore DAN. BERNOVLLI.

2) *De-*

2) *Determinatio motus oſcillatorii in praecedente diſſertatione pertractati, ex primis mechanicae principiis petita.* Auctore L. EVLERO. p. 269.

3) *De preſſione ponderis in planum, cui incumbit.* Auctore EODEM. p. 289.

4) *De harmoniae veris principiis per ſpeculum muſicum repraeſentatis.* Auctore EODEM. p. 330.

5) *Noua methodus motus planetarum principalium ad tabulas aſtronomicas reducendi.* Auctore EODEM. p. 354.

6) *Disquiſitio de lentibus obiectiuis triplicatis, quae vel nullam confuſionem pariant, vel etiam datam confuſionem a reliquis lentibus ortam deſtruere valeant.* Auctore EODEM. p. 377.

7) *De applicatione lentium obiectiuarum compoſitarum ad omnis generis teleſcopia*, vbi agitur ab EODEM Auctore. p. 415.

I. *de perfectione teleſcopiorum primi generis, nullam imaginem realem continentium.* p. 432.

II. *de perfectione teleſcopiorum ſecundi generis ſeu aſtronomicorum, vnicam imaginem realem continentium.* p. 448.

III. *de perfectione teleſcopiorum tertii generis, duas imagines reales continentium.* p. 472.

Claſſis phyſica ſequentes complectitur commentationes.

1) *Deſcriptio piſcis e Coregonorum genere, ruſſice* Riapucha *dicti hiſtorico anatomica.* Auctore I. T. KOEHLREVTER. Eſt nempe *Salmo Albula* LINN. p. 503.

 ex

ex cuius deſcriptione partium externarum concinna notemus; peculiares ductus oſſeos cauernoſos, qui mucum ferunt, et in vtroque capitis latere reperiebantur; operculum branchiarum ex tribus laminis compoſitum eſſe; et radiorum in pinnis numerum fuiſſe in dorſali 12, in pectoralibus 15, et in caudali, paruis lateralibus additis 33: qui quidem numerus conuenit cum noſtris huius piſcis exemplis, praeter quod in pinnis ventralibus 12, et in anali 10 reperiamus. Viſcerum deinde ſitum, nexum et figuram ſingulorum deſcribit Cl. Auctor: quae quidem omnia in plerisque cum Salmonum aliorum partibus conueniunt. Hepar tamen in duas partes diuiſum eſt; ventriculi et oeſophagi ſuperficies interior rugis quinque longitudinalibus diſtincta et principium pylori ruga tranſuerſa eſt munitum. Coſtas viginti nouem numerauit. Optaremus vt in ſimilibus anatomicis deſcriptionibus, etiam ſtructura viſcerum, praeſertim cerebri, et organorum ſenſoriorum, diſtributio vaſorum et neruorum, quae certe maximi ſunt momenti et difficilioris diſquiſitionis, diſquirerentur.

p. 509. Obſeruatur praeterea a Cl. Auctore, tunicam ventriculi exteriorem in nonnullis horum piſcium indiuiduis in tubercula eleuatam fuiſſe, in quibus *Gordius lacuſtris* vel *marinus*, vtrumque enim vnum eundemque eſſe putat Auctor, in ſpiram conuolutus habitabat.

p. 512. 2) *Deſcriptio piſcis*, e Gadorum *genere*, *Ruſſis* Saida *dicti*, Auctore I. LEPECHIN. Habitat hic piſcis in mari albo, et cum *Nauaga* KOELREVTERI *) ratione trunci et formae externae plurimum conue-

*) Vid. Nov. comment. Acad. ſcient. Petrop. T. XIV. p. 484. comm. noſtr. Vol. XX. p. 7. Hunc a *Gado Callaria*

conuenit, et definitur a Cl. Auctore: *Gadus*, dorſo tripterygio, ore cirrho minimo, cauda bifurca, radio ventralium ſecundo in longam ſetam producto, linea laterali recta. Pinn. D. 10 - 11, 16 - 17, 20. P. 17. V. 5 - 6. A. 18, 20. C. 24 - 26. Caro huius piſcis eſt flaccida et macilenta, et propter colorem tetrum luridumque ab omnibus ſpernitur.

3) *Cyclopterus lineatus*, Auctore EODEM. Differt hic a reliquis huius generis, membrana branchioſtega clauſa vniradiata, dentibus in duplici ordine poſitis. Ceterum eſt *Cycloptero Lipari* LINN. valde ſimilis, corpore nudo, mucoſo, pinnis dorſali et anali cum caudali coniunctis. Pinna dorſalis radiis 36, pectorales 26, analis 28, caudalis 5 - 8 inſtruuntur. Lineae, per longitudinem corporis caſtanei excurrentes, ſunt albidae. p. 522.

4) *Deſcriptio plantarum Sibiricarum*, *Auctore* E. LAXMANN. Offert hic eas, quae in ſummis Altaicorum montium, aeterna niue tectorum, cacuminibus legit: I. *Gentianam grandifloram*, corolla quinquefida maxima, foliis radicalibus plurimis lanceolatis compactis horizontalibus. 2. *Sibbaldiam Altaicam*, foliorum radicalium apicibus tripartitis, calycibus quinquefidis, petalis retuſis. 3. *Ornithogalum vniflorum* foliis caulinis alternis, vaginantibus, pedunculo vnifloro, quod iam LINNAEVS (Mant. pag. 62.) deſcripſit. 4. *Ornithogalum Altaicum* ſcapo tereti quadriphyllo, petalis ouatis trineruibus, ſtaminibus ſubulatis. 5, *Polygonum Sibiricum* floribus octandris, foliis haſtatis, caule inermi. 6. *Ranunculum Altaicum*, foliis lobatis, radicalibus p. 526. p. 530. p. 533.

Oo 4

Callaria LINN. differre, cum quo eum coniungit Cl. KOELREVTER Noſter exiſtimat, et ſimul monet, iconem in comment. l. c. datam malam eſſe.

calibus petiolatis, caulinis ſeſſilibus, calyce hirſuto, longitudine fere petalorum.

II.

Domeſtic medecine: or a treatiſe on the prevention and cure of diſeaſes by regimen and ſimple medicines. By WILLIAM BVCHAN London 1772 8 maj. pag. 794.

i. e.

Medicina domeſtica ſeu ratio, qua morbi diaeta non ſolum arceri ſed etiam lenibus medicinis curari poſſint. Auctore GVILIELMO BVCHAN.

Imitatur hic Cl. BVCHAN Celeberrimum TISSOT *) et hanc ſuam inſtituti rationem continuat. Noſter enim chronicos morbos hic ita tractat, vti Cl. TISSOT acutos. Inuenient itaque Lectores in hoc libro Buchaniano, qui iterum Anglice vulgatus et germanice **) prodiit, de educatione liberorum, vbi potiſſimum dicit contra publica domicilia, quibus pauperum liberi educantur, ob multitudinem, ob curae negligentiam, aeris impuritatem victusque deprauationem, et potius ſuadet, his pauperibus parentibus, dummodo adhuc viuunt, ſuccurri donis atque beneficiis et ita educationem prolis leuari atque ſuſtentari. Porro reiicit faſcias et thoraces

*) EIVSD. avis au peuple ſur la ſantè. vid. comm. noſtr. Vol. XII. p. 543.

**) *Hausarzneybuch oder Anweiſung, wie man denen Krankheiten durch eine ſchickliche Lebensart nicht nur vorbauen, ſondern auch durch leichte Arzeneymittel abhelſen ſolle. Mit einer Vorrede begleitet von* D. GEORG HEINRICH KOENIGSDOERFER. *Aus dem Engliſchen überſetzt. Altenburg* 1774. 8.

thoraces. De morborum cauſſis ex vita communi in ruſticis, artificibus et opificibus, in potu et victu, in aere, corporis exercitatione ſomnoque, veſtitu, intemperantia, impuritate, infectione ſeu contagio, animi commotionibus, euacuationibusque. Haec erat pars prima, altera morbos ipſos pertractat.

Ac hic praemittit Noſter annotationes generales cognitionem et medelam morborum ſpectantes; dein ad febres progreditur intermittentes, continuas, remittentes cet. pleuritidem, peripneumoniam, febrem lentam et tabem neruoſam, putridam, petechialem, miliarem, variolos, morbillos, ſcarlatinam, billioſam febrem, ignem St. ANTONII, phrenitidem, oculorum inflammationem, anginam gangraenoſam, tuſſim et coryzam, tuſſim ferinam, ventriculi inflammationem et inteſtinorum, colicam, renum inflammationem, hepatitidem, choleram, diarrhoeam, vomitum, diabetem, vrinae retentionem, ſabulum et calculos, haemorrhagias, haemorrhoides coecas et fluentes, haemoptyſin, mictum cruentum, dyſenteriam, cephalaeam, dentium dolores, aurium tinnitus et ſuſurrus, ventriculi dolorem, vermes, icterum, hydropem, podagram arthritidem, ſcorbutum, ſcrophulos, aſthma, ſcabiem, apoplexiam, alui obſtructionem, appetitus proſtrationem, morbos neruoſos, melancholiam, paralyſin, epilepſiam, ſingultum, ſpasmum ventriculi, animi deliquia, incubum, hyſtericum et hypochondriacum malum, venena mineralia et vegetabilia, morſum variorum animalium, vitia externorum ſenſuum, carcinoma, venereum malum, morbos ſexus ſequioris, infantum, quaedam ex chirurgia: inflammationem nempe, venaeſectionem, vulnera et vlcera, contuſiones, luxationes, mala accidentalia vt in merſis, frigore tactis. cet.

 Dum

Pars I. Cap. I. Dum communes cauſſas morborum Noſter perſequitur, infantum veſtimenta, nutrimenta, motum et quietem primum conſiderat. Infantes a paedagogo manu ſunt ducendi, ideoque omnia reliqua auxilia Noſter reiicit e. gr. brachionaria, quibus inhaerent, pectori et abdomini officiunt, indeque digeſtionem turbant et morbos pulmonales aliosque cauſant. Porro dicit contra curuitatem extremitatum inferiorum, quam pendere dicunt a nimis cito vſu pedum apud infantes, idque demonſtrat in animalibus non fieri, ideoque cautione adhibita, vſum pedum non tam ſero eſſe quaerendum ab infantibus. Vituperat magnopere vitam ſedentariam, potentiſſimam morborum et corporis deformis cauſſam, exercitia vero corporis ſtrenue ſuadet et balnea frigida, quae exercitiorum locum reſtituunt, corpore tamen non incaleſcente, nec ventriculo impleto.

Cap. II. Hic morbos ex vitae genere Noſter perſequitur, et quo accurate et ſufficienter haec tractentur, tres claſſes conſtituit: 1) qui nimis laborant, 2) qui multum ſedent et 3) qui literis ſe ſe dant.

Cap. III. Agitur hic de alimentis et potulentis. Diaeta aetati, corporis conſtitutioni et vitae generi accommodanda eſt. Addit hic Noſter multas vtiles cautiones ad cereuiſiarum genera et praeparationem, ad carnum diuerſitates cet. pertinentes. Ieiunia et inediam aeque reiicit Noſter, ac nimiam repletionem, neque largitur, hanc illa corrigi. Nec nimis, nec parum aſſumere, neque adeo curioſos in diaeta ſeruanda eſſe, interdum paullulum recedere a ſolito diaetae more erroremque licet non adeo magnum atque crebrum, de induſtria committere ſuadet.

Cap. IV. Nunc de aere diſſeritur. Omnis omnino mutatio aeris, quae in calore, frigore, humiditate cet.

eius

ejus cernitur, ei officit eumque reddit minus ſanum. Quapropter Noſter vrget puritatem platearum, domiciliorum, noſocomiorum, laudat ventilatores et in exſtruendis praediis, domubusque maxime reſpicit ad liberum aeris tranſitum, nec minus reiicit ſepulchreta in templis cet.

Tum corporis exercitationem Noſter tractat. Cap. V. Sedentariam vitam potius ferre ſexum ſequiorem, quam potiorem Noſter autumat, quoniam ſunt domiciliorum amicae et omnes functiones, vbi robore et vi non opus eſt, lubenter atque facile ſuſcipiunt. Ridiculum Noſtro videtur, robuſtum virum conficere acus, rotas horologiorum cet. et debilem feminam oeconomicas res tractare, quae multo plus virium corporis poſtulant. Deſtituti autem ſumus viris, qui negotia grauia ſuſcipiunt et inde dimidia pars generis feminei, cum careant negotiis, minus vtilis eſt. Si puellae in mechanicis eiusmodi rebus inſtruerentur, non tam obſcene quaererent quaeſtum ex corpore et agriculturae nauigiique cultores fierent viri.

Motum et temperantiam eſſe duo optimos medicos, aſſeruit Cl. ROVSSEAV; neque eos medico indigere, qui haec duo recte ſeruant, Noſter addit. Cap. VII. Quapropter de intemperantia in ſeptimo capite agit. Prima eaque profecto optima regula diaetae cernitur in ſimplicitate, quam natura tam curioſe amat et voluptas hominum deprauata tantopere contemnit; inde ad intemperantiam hi inopinato ducuntur, ſanitati et virtuti adeo noxiam. Qualis noxa in ſanitatem redundat ex abuſu ſpirituoſorum neminem latet et Noſter narrat exemplum feminarum duarum ebrioſarum, quae liberos ſuos trucidarant, et medicis obtulerant, vt pecuniam acciperent ad emendum vinum aduſtum.

Cap. IX. Iam infectionem Noſter contemplatur. Plurimi morbi ſunt contagioſi. Quapropter magna cautio eſt adhibenda aegros viſitandi et cum iis verſandi, eorum veſtibus vtendi atque aegros ſepeliendi. Affirmat porro Noſter multos morbos nauigantium ſuperuenire iis, qui terra viuunt, per infectionem ideoque ſuadet hic easdem cautiones, quas ſolent in peſte perſequi. Huc iterum vrget Noſter publicam puritatem, e. gr. carcerum, noſocomiorum, platearum, ſepulchretorum, paludum, quippe quae optimum eſt remedium contra infectionem.

Cap. X. Deinceps animi commotiones Noſter pertractat. Ira motam ita vidit Noſter feminam, vt moriretur. Multi morbi fiunt epidemici prae timore et vi imaginationis. Moeroris remedium multi quaerunt in ebrietate, verum enim vero hoc remedium peius eſt malo. Opes enim fama et ſanitas pereunt.

Cap. XI. Poſtea diſſeritur de ſolitis excretionibus, quarum praecipuae ſunt, aluina euacuatio, vrina et inſenſilis perſpiratio.

Pars. II. In ſecunda parte, quae de morbis agit, haec notatu atque imitatu digna putamus. Medicamenta iudicat quidem Noſter neceſſaria, attamen ſine diaeta, quae ſimul cum remediis morbo et aegri conditioni accommodata eſſe debet, nil ſaepius poteſt a medico praeſtari, quin imo aſſerit, interdum diaeteticam curationem plus valere in morbis, quam remedia. E. gr. Neruis debilibus, flatulentiis aliisque hypochondriacis ſymptomatibus vexatos plus iuuant cibi duriores et potus generoſi, quam cardiaca atque carminatiua: ſcorbutum pertinaciſſimum magis coercet diaeta accuratior, quam omnia antiſcorbutica.

Appeti-

Appetitui aegroti ſatisfacit Noſter et, ſi quodammodo noxia et a morbi natura aliena poſtulantur, paucam eius partem ei permittit. Id enim quod aeger cupit et anxie quaerit, ventriculus digerit quoque, nec raro exoptatus fauſtusque inde apparet effectus. Quidquid ſolida relaxat, perſpirationem impedit, motum humorum in minimis vaſis retardat, id corpus ad intermittentes febres diſponit.

In acutis febribus laudat Noſter ſerum lactis aurantiorum, vt refrigerans remedium. Aurantia coquuntur cum aqua ſ. lacte uſque ad ſeparationem. Loco aurantiorum citri malum, parum tartari ſeu aliquot cochlearia aceti vini ſumi poteſt. Si haec coquunt, ſubinde affundi poſſunt tria cochlearia vini albi. *Negas* eſt mixtio vini et aquae ad aequales partes cum ſucco citri ſ. aurantiorum. In acutis omnino Noſter ſuadet manuum et pedum crebram lotionem, pariter ſi fieri poteſt, interdum erectum corporis ſitum, ad minimum eleuationem capitis ad impetum ſanguinis huc arcendum. Loco dolenti in pleureſia inungit hoc vnguentum: Rec. Olei amygdalarum ſ. oliuarum ℥ij ſpiritus cornu cerui ℥j M. in lagena ſaepe agitando vſque ad plenam mixtionem. Non reiicit in pleuritide decoctum radicis ſenegae, a nonnullis ſpecificum in hoc morbo nominatum, quippe quod perſpirationem, vrinam et aluum conducit. Coniungit dein cum pleuritide peripneumoniam, quae et coniunctim interdum apparent in pleuropneumonia et quoniam hos morbos non raro ſequitur tabes neruoſa, eam cum ſua diuerſitate hic perſequitur. Cap. IV.

Videtur Noſter phthiſin pulmonalem, hecticam, febrem lentam neruoſam cet. vt ſpecies conſiderare et genus conſtituere, quod cernitur in tabe neruoſa. Atque profecto poſſunt hi morbi omnes Cap. VII.

ad

ad tabidum ſtatum, vt eorum omnium exitum, referri. Nos hic attendimus potiſſimum ad quaedam ſigna. Tuſſis ſicca plerumque tabem annunciat, et ſi ea appareat poſt paſtum cum conatu vomendi, tabes valde propinqua eſt, digiti fiunt parui, vngues introrſum ſunt flexi. Equitationem in initio huius morbi praefert Noſter omni medecinae, dein lac ac praecipue aſininum. De humano lacte conſtat Noſtro exemplum mariti, tabem paſſi, qui ex vxoris ſuae mammis lac ſugebat ſuamque ſanitatem ita plene recuperabat. Nec minus in tabe Noſter commendat oſtreas cum aqua ſua; item conſeruam roſarum.

Cap. VIII. In lenta ſeu neruoſa febre exhibet Noſter ſerum lactis ſinapinum, quod ex tribus ſinapi cochlearibus, dimidia menſura lactis et aquae, additis aliquot cochlearibus vini, ſi per tempus iam coxit, paratur. Venaeſectio rariſſime locum habet in hoc morbo, omnem potius medelam ſpectat Noſter in veſicatoriis et roborantibus.

Cap. IX. Comparat hic Noſter malignas putridas exanthematicas febres cum peſte ipſa. In delirio ſuadet manuum et pedum lotionem cum decocto chamaemeli ſ. corticis tepido, ſeu linteorum applicationem hoc decocto imbutorum. Fomentationes hae caput non ſolum leuant relaxando vaſa in extremitatibus, ſed penetrant per poros humores atque poſſunt ita corruptionem humorum coercere eique reſiſtere.

Cap. XII. Variolis laborantibus aegris nihil eſt ſalubrius, maiusque affert leuamen, quam vrinae largum profluuium. Liberum aerem ad eruptionem variolarum promouendam non ſuadet Noſter, nec bonam ſuppurationem in eo exſpectat. Nec conuenit varioloſa facie in conſpectum hominum venire. Acrimoniam et ichorem varioloſi puris inciſionem puſtularum

larum oportet dirigere. Inoculationem laudat Noſter et optat ad malum hoc imminuendum, quid quod fortaſſe eradicandum, vt eius vtilitas magis magisque appareat et praeſertim meticuloſis parentibus atque conſanguineis innoteſcat. Atque ad hanc vtilitatem magis vulgandam reiicit omnes ſuperfluas cautiones atque dubitationes; item nimis accuratam illam praeparationem, quam praeſertim alias diligentiſſime urgebant nonnulli. Hyemis initium iudicat Noſter optimum inoculandi tempus, quoniam obſeruauit circa finem veris et initium aeſtatis infantes maximis morbis obnoxios. Optima inoculandi aetas eſt inter tertium et quintum annum. Connatos morbos infantum non numerat Noſter inter contraindicantia inſitionis. Hi enim ea ipſa propelluntur et ſanitas emendatur cet.

Morbilli in Europa eodem tempore, quod erat initium huius ſeculi decimi tertii, quo varioli, apparebant et illi cum his gaudent magna affinitate. Morbilli raro reuertuntur, non ſaepe periculoſi ſequelae autem crebro valde, periculoſae euadunt. Foeces infantum colore viridi plerumque imbutae ſunt in morbillis. Morbillorum inoculationem *) aeque, ac variolorum iudicat maxime vtilem Cl. Auctor. Cap. XIII.

Angina gangraenoſa maligna, quae ſumme putredinoſa et vlceroſa eſt. Infantes potius quam adulti, ſexus potior magis, ac ſequior, infirmi facilius, quam firmi laborant hac angina. Graſſatur epidemice in autumno tempeſtate diu humida aut nimis calida. Roborantia et cardiaca huc vnice proſunt, reliqua remedia in inflammatoria angina, vt venaeſectiones, laxantia refrigerantia in gangraenoſa omnia nocent. Laudat hic conſuetudinem applicandi circa collum tibiale in hac angina et vt praeſeruati- Cap. XVII.

*) v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 271.

ſeruatiuum commendat collare ex panno laneo, experientiaque confirmat, ſi continuo eo vtuntur.

Cap. XVIII. In tuſſi laudat Noſter omnino emplaſtrum piceum inter ſcapulas applicatum. Pix Burgundiaca pura, dura atque pellucida magnitudine nucis moschatae cum pauxillo cerae mixta, illinitur albo corio manus magnitudine, omni triduo locus detergitur, et per quatuordecim dies emplaſtrum eſt renouatum. Pruritum excitat, qui ſi nimius eſt, leniri poteſt frictione ſeu lotione cum lacte aut aqua tepida. Quod ſi vero emplaſtrum prorſus ſeponendum eſt, cautio eſt adhibenda, vt ſenſim ſenſimque hoc emplaſtrum in ambitu ſuo decreſcat, et tum tempeſtate clara et calida plane ſeponatur. Tuſſis ſtomachica a pulmonali ſeſe diſtinguit ita, vt aeger in pulmonali tuſſiat perſpiratione rite ſuccedente; in ſtomachica autem hoc minime fit.

Cap. XIX. Noſtro in inflammatione tam ventriculi, quam aliorum viſcerum nullum melius remedium conſtat, ac ſi loco affecto veſicatorium imponatur, illud ipſum crebra ſua experientia certo confirmat. Leniunt non ſolum dolores e. gr. in inteſtinorum inflammatione veſicatoria, ſed clysmatum et laxantium effectus accelerant, ſimulac veſica apparuit. Mercurium Noſter ſuadet in obſtructione aluina hac cautione, ne nimia in copia praeſenteque gangraena exhibeatur. Ita namque per grauitatem ſuam ventriculus nimis expanditur et eius exitus per pylorum impeditur. Noſter in eiusmodi caſibus coactus eſt aegrum pedibus ſuſpendere, vt mercurius iterum per os poſſit euocari. Quapropter copiam mercurii in hoc caſu non libram vnam ſuperare oportet. Colicae neruoſae dicitur petroleum Barbadenſe *) prodeſſe. Ter et ſaepius tres drachmae

*) *Neues verbeſſertes* Diſpenſatorium: *Aus dem Engliſchen überſetzet. Hamburg* 1768. 8. *Erſter Theil. p.* 483.

mae quotidie ſumi poſſunt, ſi ventriculus fert. Si aeger quid in ſpina dorſi ſentit et externe illud adhiberi poteſt cum ſic dicto *Rum*, ſeu ſpiritu alio aut oleo nucis moſchatis ſiue roriſmarini.

In haemorrhagia narium probatur a Noſtro lotio ſ. balneum partium genitalium. Cap. XXIII.

In puella quinque annorum deliquia animi per horae ſpatium obſeruauit a vermibus, ac ſi mortua eſſet. In cadauere dein magnam lumbricorum copiam inuenit et inteſtina inflammata quatuorque locis inſerta. Cap. XXIV.

Inter remotas et accidentales cauſſas icteri refert Noſter morſum viperarum, canis rabidi aliorumque animalium venenatorum. Cap. XXV.

Obſtructionibus aluinis qui laborant, ii non veſci debent pane albo ſeu ſimila. Cardialgiae mederi theam viridem, vt maſticatorium, inprimis in grauidis Noſter saepe numero obſeruauit. Cap. XXXI.

Symptomata morborum neruoſorum ſunt acidum in ventriculo, vomitus: aqua enim pura, viſcidum tenax, interdum niger quodammodo liquor, colore Coffeae ſimilis, non raro per vomitum emittitur in his morbis; porro dolores valde prementes et acres verſus vmbilicum cum torminibus et borborygmis, in extremitatibus repens dolor cet. Vrticationi in paralyſi praefert veſicantia Noſter, et viſco querno in epilepſia non omnem laudem detrahit, diu autem id adhiberi putat. Singultus eſt ſpaſmus ſiue conuulſio ventriculi et diaphragmatis et oritur a qualibet fibrarum neruoſarum irritatione nimia. Narrat hic Noſter exemplum ſingultus, qui opio, moſcho aliisque non poterat coerceri, ſed cereuiſia tenui, cuius vſum ſequebatur ſaepe et diu ceſſatio ſingultus. Non multum poſt vomitu cruento periit aeger et reperiebatur verſus cardiam ventriculi magnus ſcir- Cap. XXXII.

rhus. Incubum refert Cl. BVCHAN ad morbos neruorum eumque deriuat potiſſimum ab indigeſtione. In morbis hyſtericis et hypochondriacis ſignum pathognomonicum eſſe videtur crebra medicorum abdicatio et inſignis medicamentorum amor. Remedia autem non iuuant hos morbos, ſed labor, diaeta ſimplex et aer liber. Quapropter cum optimo ſucceſſu ſaepe ſuaſit hortos et agros colere ſine omni omnino medicina in hoc morbo, pigrasque illas hyſtericas puellas amandat ad ergaſtulum, ibique eas labore curat.

Cap. XXXIII. In omnibus tribus regnis occurrunt venena et ſecundum hunc ordinem Noſter eadem hic perſequitur. Mineralia venena agunt acredine et eroſione, vegetabilia ſtupefaciente virtute ſunt praedita et animalia morſu et punctura cum corpore oportet communicari. Et in hac ratione poſita eſt differentia animalis a duobus prioribus. Non prius enim agit animale venenum, quam per vulnus. Atque hic potiſſimum contemplatur Noſter caninam rabiem atque ſerpentum morſuram variaque addit ſpecifica et antidota a Cll. MEAD, BROOKES cet. laudata. Omnino autem, licet non negare audeat Cl. BVCHAN, ſingulis venenis forte in natura occurrere quoque ſuum antidotum; tamen, cum omnibus hactenus antidotis laudatis quodammodo ſuam fidem deneget, mauult ſequentes regulas ſerio commendare: venenum in ventriculum delatum citiſſime eſt eliminandum; quod ſi vero per vulnus eſt corpori traditum, excretiones, inprimis ſudor, lotium et inſenſilis tranſpiratio, ſunt promouendae. Huc accedit cura antiſpasmodica, quam potiſſimum quaerit Noſter in opio, moſcho, camphora, aſa foetida ſimilibusque remediis.

Cap. XXXIV. Nullus morbus eſt ſolemnior, nec curatu difficilior, illo oculorum, etiamſi imperiti facile ſuſcipiunt

ſcipiunt eorum curationem. Coecum quemdam commemorat, qui doctarum omnium linguarum eſt gnarus et in elegantioribus literis verſatiſſimus. Dum ſurditatem Noſter contemplatur, laudat, THOMAM BRAIDWOOD Edinburgenſem, qui ſurdis varia tradere poteſt ita ſcite, vt eius diſcipuli ſanos et integros ſaepenumero ſuperent. Optat eapropter, vt in emolumentum horum infelicium hominum atque vtilitatem rei publicae ſchola condatur, vbi poſſint erudiri coeci et ſurdi.

Scirrhos magnopere in carcinoma vergere viſos Noſter interdum diſcutit ſequentem in modum: primo pilulas mercuriales ex hydrargyri vncia vna, mellis quantum ſatis, gummi ammoniaci, extracti hellebori nigri et rhabarbari optimi aa. vncia dimidiam per ſingulam ſeptimanam bis terue commendat. Venaeſectione, ſi opus, inſtituta, locus affectus bis quotidie vnguento mercuriali eſt fricandus et pannis laneis aliis obtegendus. Cibi ſint molles ad digerendum faciles. Potui interponendum eſt quotidie decoctum ſaſſaparillae. In carcinomate vero eoque aperto praeter cicutam aliaque laudat cum medicis Londinenſibus *) daucum ſatiuum et decoctum malti ſeu polentae **). Cap. XXXV.

Mercurium in morbis venereis Noſter neceſſarium quidem iudicat, attamen cautione adhibita. Ante menſtrua ſeu iis fluentibus, vſus mercurii eſt nullus, pariter vt in grauiditate. Quod ſi vero, vrgente neceſſitate, illo opus eſt, grauiditatis finem non eſſe oportet proximum, et doſis ſit minor, nec tam ſaepe, quam alias fieri ſolet. Grauiditate fini- Cap. XXXVI.

*) Medical obſ. and Inquir. by a Societ. of phyſicians in Lond. Vol. IV. p. 358. v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 406.

**) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 407. Vol. hoc p. 236.

ta curatio ſerius eſt continuanda. Infantibus et ſenibus ob imbecillitatem, parcius eſt mercurius exhibendus. Praeterea omnino Noſter obſeruauit, mercurii vim in iuuenili aetate eſſe efficaciorem, quam in ſenili. Caute porro mercurio ſunt tractandi hypochondriaci et hyſtericae, epileptici, diarrhoea et dyſenteria vexati, ſcrophuloſi ſcorbuticique. Item vrget Noſter praeparationem ante mercurii vſum ad remedii vim facilitandam et ad ſymptomata arcenda, quae, neglecta praeparatione, ſuperueniunt. Haec praeparatio cernitur in vaſis relaxandis humoribusque depurandis. Huc pertinent balnea, venaeſectio, laxantia cet. Omnino Noſter puritatem, vt in omnibus morbis, ſic potiſſimum in venereo, maxime neceſſariam iudicat. Quamquam enim totum malum non vult Cl. Auctor ab impuritate deriuare; tamen obſeruauit, id ibi quam vehementiſſime graſſari, vbi impuritas fouetur. Ita namque ipſe obſeruauit balneis, fomentis, iniectionibus cet. infectionem recentem non ſolum coerceri, ſed inueteratam quoque labem tolli. Exempli loco narrat caſum, vbi vlcera venerea, licet diu tentata remediis, ob puritatem neglectam non potuerunt ſanari, quae, ea adhibita, facile cedebant.

Cap. XXXVII. Inter morbos muliebres refert Noſter et ſterilitatem. Raro enim feminae ſteriles integra gaudent ſanitate. Tres hic potiſſimum ſterilitatis cauſſas perſequitur, nempe nimis lautam diaetam, corpus imbecille et moerorem. Inde quoque accidere ſolet, vt pauperes, parco et vili victu vtentes, multos liberos generent, ac diuites haeredibus ſint deſtituti. Diaeta ergo vegetabilis et lac ſaepe ſterilitatem mutarunt in fertilitatem.

Cap. XXXVIII. Morborum infantilium generationi non ſemper ſeruit acidum, ſed illud ſaepe eſt ſymptoma. Contra hoc in primis laudat Cl. Auctor magneſiam Edinburgenſem

burgenſem ſ. ſalis amari. Recens natis lac mammulis non eſt exprimendum. Aſthmate infantum, de quo Cl. MILLAR*) diſſeruit, ſuadet Noſter inter alia et cataplasmata emollientia circa collum ſ. fomenta, veſicatoria in ceruice, piceum emplaſtrum inter ſcapulas cet. Prima cauſa rhachitidis ſunt parentes debiles.

Quaedam monita chirurgica hic Noſter tradit valde neceſſaria et communia. Ac primum quidem venaeſectionem ſpectat. Electio loci Noſtro non adeo neceſſaria videtur, exceptis localibus ſeu partialibus inflammationibus, vbi Noſter eam quam proxime ſuadet. Ceterum ideam deriuatoriam et reuulſoriam in venaeſectione non attendit. Hirudines loco veneſectiones in infantili aetate potiſſimum non amat Noſter, partim, quoniam ſanguinis copia non accurate poteſt definiri, partim ob incommoda, quae non raro ſequuntur. Contuſionibus conducunt inter alia et bouina excrementa externe loco cataplaſmatis. In vlceribus phagadaenicis laudat Noſter internum et externum vſum mixturae Swietenianae. Luxationem colli Noſter vidit a feminis et viris, medicinae ignaris reponi, item et aliarum partium luxationes, fracturas hernias cet. hic commemorat. Cap. XXXIX.

Inter alia mala accidentia et merſorum Noſter contemplatur. Atque hic potiſſimum vrget vtilitatem aeris per os cum iis communicati. Ter enim hunc bonum ſucceſſum vidit Noſter in animali. Porro, ſi quoque de vita deſperandum eſt, ſuadet auxilia iis nihilominus ferre, quoniam poſt ſex horas vitae eorum reſtitutionis exempla proſtant, atque ideo illi miſeri non ſtatim ſunt derelinquendi. Praeterea haec auxilia, quae alibi**) a nobis Cap. XXXX.

*) v. comm. noſtr. Secund. decad. Suppl. IV. p. 695.
**) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 147. XX. 633. XIX. p. 641.

bis ſunt commemorata, diu et aſſidue ſunt continuanda.

III.

Caſes in the acute rheumatiſm and the gout; with curſory remarks, and the method of treatment. By THOMAS DAWSON, M.D. of the College of Phyſicans, London. — The ſecond edition. London: Printed for I. Iohnſon, and P. Elmsly. MDCCLXXV. 8. mai. pagg. 132.

i. e.

Caſus in rheumatiſmo acuto et arthritide; cum annotationibus hinc inde interſperſis, methodoque medendi. Auctore Cl. DAWSON Editio ſecunda.

Remedium, quod aduerſus vtrumque morbum proponit Noſter, componitur ex vncia dimidia tincturae volatilis gummi guaiaci, cum vitello ouorum ſubactae, quo melius cum aquae hordei vnciis tribus commiſceri ſe patiatur; addita deſuper vncia dimidia ſyrupi communis: qui hauſtus mane et veſperi ſumtus, quod addita curationum exempla docent, intra paucos dies atrociſſimos rheumatiſmi gradus vicit.

Quantitatem vehiculi huius tincturae maximam trium vnciarum eſſe debere monet, plures tamen aegros multo minorem ferre: ſic etiam ſyrupi quantitatem interdum multum minuit. Vbi opus erat, tincturae thebaicae guttas aliquot adiecit: praeparatione corpus vix indiget, niſi, quum ſtatus morbi id neceſſario exigat, venaeſectione duabus ante horis

horis inſtituenda, quam medicamento vti incipiamus. In genere vehementer improbat Noſter conſuetam methodum rheumatiſmos acutos tractandi, qua febris vtiliſſimum naturae inſtrumentum, plus iuſto deprimatur vel penitus tollatur, ideoque facile malo chronico ortus ſuppeditetur; docetque, aegros absque hac methodo, ſolo naturae negotio commiſſo, melius ſe habuiſſe, et facilius, intenſiore licet febre, medicamentum iſtud tuliſſe. Effectus eiusdem primarios exiſtimat: non ingratam ſenſationem in ventriculo (caloris ſenſum nonniſi in ore, quum ſumerent medicamentum, ſeſe percepiſſe faſſi ſunt aegri); augmentum caloris per corpus, non tamen moleſtum, ſed cum refectione potius coniunctum; tranſpirationem et diureſin auctam, et hanc quidem cum manifeſtis iudicati morbi ſignis; denique, poſt aliquot doſes, aluum ſolutam, quam in principio morbi reformidat, et magis ſiccam amat.

Sublato morbo corticis Peruuiani cum confectione cardiaca vſum praeſcribit, adhibitis ſimul balneis frigidis, quae tamen praeiudicia aegrorum non ſemper admittere conqueritur. Idem etiam modus medendi Noſtro in arthritide ſaepius ex voto ſucceſſit, ad quem tentandum eum conuenientia vtriuſque morbi inter ſe deduxit: imo, quum experimenta a ſe capta per plurium medicorum obſeruationes confirmata fuerint, forte aliquando vſum ſpecificum aduerſus dirum hunc morbum inventum iri ſperat.

Praeterea paſſim meditationes ſuas de iuſto vſu atque effectu volatilium in diuerſis morbis, a multis, ipſo etiam HVXHAMO, in dubium vocatis; de obligatione medicorum, maiores doſes medicamentorum tentandi, vti Cl. BROKLESBY in nitro, et olim iam SYDENHAMVS primus in cortice peruuia-

no eſt auſus; de inſigni efficacitate tincturae valerianae volatilis, ad dimidiam, imo integram vnciam in duabus vnciis aquae dilutam pro doſi exhibitae, in morbis ſpaſticis ſyſtematis neruoſi, cet. inſpergit, et quantum in curandis morbis praeſtet obſeruatio prae ſola theoria, febrium intermittentium inprimis exemplo, declarat.

VI.

A new inquiry in to the cauſes, ſymptomes and cure of putrid and inflammatory fevers; with an appendix of the hectic fever and of the ulcerated and malignant ſorethroat. By WILLIAM FORDYCE M. D. Lond. 1773. printed for Cadell. 8. pagg. 228.

i. e.

Disquiſitio cauſſarum, ſymptomatum et medelae in putridis et inflammatoriis febribus. Accedit appendix de febre hectica deque maligna vlceroſa angina. Auctore GVILIELMO FORDYCE. M. D.

Tribus ſectionibus Cl. Auctor hanc ſuam rem proponit. Ac primum quidem febrium hiſtoriam praemittit et in varias earum inquirit cauſas; dein ſymptomata febrium ex pulſu, ex vrina, ex ſanguine, lingua cet. perſequitur et varia ſigna inde deriuat, denique medelam febrium variam tractat et quomodo eae ſint arcendae, docet. Finem faciunt ſingularis conſideratio febrium hecticarum, variarum ſpecierum gangraenoſae anginae et nonnullae formulae. Vtilis itaque videtur accurata huius libri verſio Germanica *).

Febrium

*) WILLIAM FORDYCE *Unterſuchung der Urſachen, Zufälle und Heilung der faulen und entzündungsartigen Fieber.*

Febrium tres conſtituit Noſter claſſes: inflammatorias nempe, putridas, et mixtas ex his duabus, et cum FRIDERICO HOFFMANNO eſſentialem caracterem febris ponit in quolibet impedimento liberi circuli ſanguinei, quod eius aequilibrium turbat. Communes cauſae febrium ſpectantur in aëre, eiusque quoad calorem et frigus viciſſitudine, anni temporibus, coeli plagis cet, in bile, ſanguine, diaeta cet. Si ſanguis nonnullas horas poſt coenam e vena euocatur, videtur cruor Noſtro in liquore lacteo natare. Bilem quoad eius indolem comparat Noſter cum FRIDERICO HOFFMANNO cum ſuccis amararum plantarum inprimis centaurii minoris et amara in locum bilis ſubſtituit. Sectio I.

Diſtinctionem febris inflammatoriae et putridae efficit deiectio animi inſignis, quae potiſſimum cadit in putridas febres. In iis porro capitis dolor potius debilitat, quam acerbus eſt, ſimilis eſt illi, quem aegri ex applicatione veſicatoriorum ſentiunt. De craſſitie et denſitate ſanguinis in inflammatoriis febribus dum Noſter diſputat, aſſerit Noſter ſimilem cruſtam in grauidis, quae ad obſtructiones erant procliues, et in feminis, menſtrua non rite celebrantibus, apparere. In vltimis menſibus grauiditatis hic quinquies vel ſexies venaeſectionem Noſter admittit, donec pulſus minus micat, quam quinquageſies in vno minuto primo. Portio ſanguinis erat quinque vel ſex vnciarum. Nullus pulſus meretur maiorem attentionem, quam durus et aequalis, qui inflammationem, vaſorum repletionem, obſtructionem in vaſis minimis et omnino ſanguinis denſita- Sectio II.

 tem

Fieber. Mit einem Anhange von dem hectiſchen Fieber und der bösartigen und mit Geſchwüren verknüpften Bräune. Aus dem Engliſchen überſetzt. Leipz. bey Caſpar Fritzſch. 1774. 8.

tem prodit. Sed ad pulmonum et inteſtinorum inflammationes recte diiudicandas non pulſus ſolus ſufficit. Inflammatis enim iis partibus, vt et in phrenitide, et durante iam morbo, inprimis ſi cerebellum patitur inflammationem, pulſus nec ſanguinis conditionem, nec morbi magnitudinem et periculum indicat. Id quod ſaepenumero fallit medicos in ſuadenda et diſſuadenda venaeſectione, quam pulſus ſolummodo, ratio et ſanguinis conditio definire poſſunt. Qua occaſione dicit contra praeconceptam opinionem, non plures debere inſtitui venaeſectiones, quam ad ſummum quinque. Vrinam criticam coctam in inflammatoriis morbis HIPPOCRATES optime obſeruauit, quem hic eapropter laudat. Pariter GALENVM, SYDENHAMVM et BOERHAAVIVM hic conſulit, itemque morborum ſine criſi, qui dicuntur *ἄκριτοι*, et dierum criticorum mentionem facit. Nunquam, duobus exemplis exceptis, Noſter vidit morbi acuti curationem plenam, vbi non ſerius ociuſue ſedimentum craſſum in vrina apparuerit. Quamquam enim ex obſeruationibus optimorum quorumque tum veterum, cum recentiorum Auctorum patet, febris finem non a materia, quae per vrinam excernitur, pendere, tamen inde multoties, indoles, duratio et exitus morbi deriuari poſſunt.

Sectio III. In conſeruatione virium, acris et ſtimulantis emendatione et excretione, reſolutione et euacuatione viſcidi tenacis et ſymptomatum imminutione praeſtandis cernitur apud Cl. FORDYCE vniuerſalis omnium omnino febrium curatio. Hic autem potiſſimum diſquirit Noſter, quando inflammationi putredinique refrigerantibus et calefacientibus reſiſtendum, ſeu quando in mixtis ex his duabus febribus vtraque methodo agendum et quonam

nam morbi ſtatu calefaciente, et quonam refrigerante vtendum ſit. In omnibus morbis inflammatoriis reiterata venaeſectio prodeſt. Porro ſuadet hic Noſter diſquiſitionem ſalium e. gr. eſſentialium, neutrorum, acidorum et alcalinorum, tartari et eius praeparationum ad morboſos humores corporis in emolumentum aegrorum corrigendos, mutandos et eliminandos. Contra eos potiſſimum quoque dicere videtur, qui mediis inprimis ſalibus nihil tribuant, praeter aperientem et inteſtina depurantem vim eaque reiiciant prorſus in putridis, quoniam febres prolongant, et relinquit hoc poſteritatis iudicio, commendatque accuratam ſalium praeparationem et curioſum eorum examen. Quaedam hic addit Noſter de vſu et abuſu corticis Peruviani, et, remedii huius hiſtoria omnino repetita, aſſerit, eum nocere ſemper inflammationi, e. g. cerebri, pulmonum, hepatis ſeu alius viſceris, quoniam tenſiones fibrarum auget, et ſanguinis ſpiſſitudinem; eoque non prius vti poſſe medicum, quam circa finem eiusmodi morbi, maſſa ſanguinis iam aliquatenus depurata et attenuata, nec non humoribus omnino vel remediis vel duratione febris correctis. Antimonialia praeparata nunc Noſter expendit, quorum vires pendent a regulinis partibus, eaque in duas claſſes diſpertitur. Prima ea complectitur, vbi regulus antimonii cum nullo acido, ſed cum vna parte ſui ſulphuris, quod a communi ſulphure parum vel nihil differt, eſt coniunctus; altera claſſis ea continet, vbi regulus cum acido combinatus eſt. Omnia haec praeparata ſunt periculoſa vera praeſente inflammatione. Occaſione puri aëris, vt medelae febrium loquitur Noſter quoque de interno et externo vſu aëris fixi in putridis morbis, cuius vim Cll. viri PRIESTLEY et PRINGLE *) inpri-

*) v. comm. noſtr. Vol. h. p. 124. ſeqq.

inprimis notarunt; item in tranſactionibus philoſophicis *). Inter acida mineralia Noſter praefert acidum ſalis communis partim ob ipſam ſuam experientiam, partim ob vim antiputridam ſalis marini **), quam ei vbique tribuunt. Pariter laudat Cl. PRIESTLEY aquam aere fixo imbutam ***) in putridis febribus. Opium Noſter in febribus vt remedium anodynum et ſedatiuum hic diiudicat atque narrat, ſe delirantem ſuaſore et auctore Cl. DVNCAN die ſeptimo febris miliaris centum et ſeptem guttas ſumſiſſe intra viginti et quatuor horas cum bono ſucceſſu Vini vſum et abuſum in febribus perpendens Noſter, illud in putridis potiſſimum maiorem in modum commendat. Sequitur Noſter in methodo medendi febribus inflammatoriis veteres et recentiores, qui illas venaeſectionibus et victu parco et tenui optime domarunt. Veſicatoria et ſinapiſmi conueniunt circa finem febris inflammatoriae, apparente debilitate, Cl. FORDYCE autem videtur hic praeferre vapores ex calida aqua, aceto et ſinapi.

Progredimur cum Noſtro ad appendicem. Vrget hic potiſſimum in anginis accuratam faucium et tonſillarum diſquiſitionem, narratque miram caſum, vbi pinna piſcis in tonſillis haerens irritabat et anginam mentiebatur. Qua extracta, bene ſe habebat aegra. In cadauere, quod angina eſſe demortuum dicebatur, reperiebantur nonnullae guttulae materiei in rima glottidis, nec vlla veſtigia anginae.

V.

*) v. comm. noſtr. Vol. h. p. 89. ſeqq.

**) v. ib. Vol. XX. p. 535.

***) v. ib. Vol. h. p. 125.

V.

Semiotice phyſiologicam et pathologicam generalem complexa. In vſum praelectionum academicarum conſcripſit CHRISTIANVS GODOFREDVS GRVNER, Med. Doct. et Prof. cet. Cum priuilegio Saxonico Electorali. Halae Magdeburgic. impenſis viduae Gebaueri et filii 1775. 8. maj. pagg. 697. praeter dedicationem et praefationem. Cum tab. aen. 2.

Praeſtantia, vtilitate, neceſſitate, varietateque ſemiotices tam phyſiologicae quam pathologicae a Noſtro ſatis accurate, vti ſolet Cl. GRVNERVS, medico cuique oſtenſa, additis que inſuper cautelis, quomodo prudenter hic medico ſit agendum, ne fallatur his ſignis, in diagnoſi pariter ac in prognoſi, ordinem, quem in explicanda ſignorum medicorum doctrina ſequitur, ediſſerit Noſter. En tabulam:

Pars I. SEMIOTICE PHYSIOLOGICA.

Cap. I. De ſignis ſanitatis ex mutatione corporis naturali ſ. aetate.

— II. De ſignis ſanitatis ex actionibus.

A) Vitalibus.

B) Animalibus.

C) Naturalibus.

D) Sexus.

— III. De temperie, vt ſigno ſanitatis.

— IV. De ſingularum corporis partium habitu, vt ſanitatis ſigno.

Pars II. SEMIOTICE PATHOLOGICA.

Cap. I. De actionibus vitalibus, vt ſignis.

Sect. I. De pulſu, vt ſigno.

Subſect. I. De pulſibus Sinenſium.

Sub-

Subſect. II. De praecipuis ac praeneceſſariis pulſuum generibus.
— III. De praecipuis pulſibus Galenicis.
— IV. De pulſibus nuper excogitatis, ſ. Organicis.
Sect. II. De reſpiratione, vt ſigno.
Cap. II. De actionibus animalibus, vt ſignis.
Sect. I. De motu tonico, vt ſigno. *Eſt vero ille*
Subſect. I. Excedens modum, *quo continetur*
A) Irritabilitas Halleriana nimia.
B) Horror.
C) Rigor.
D) Sternutamentum.
E) Riſus.
F) Tuſſis.
G) Singultus.
H) Pavor.
I) Tendinum ſaltus.
K) Conuulſio.
Subſect. II. Deficiens, *quo nomine comprehenditur*
A) Debilitas.
B) Laſſitudo et torpor.
C) Oſcitatio.
D) Vocis defectio, ſ. Aphonia.
E) Animi deliquium.
Subſect. III. Mixtus, *eoque, noſtra quidem ſententia, referuntur*
A) Tremor.
B) Palpitatio.
Sect. II. De ſenſibus externis, vt ſignis. *Huc pertinent*
Subſect. I. Viſus.
— II. Olfactus.
— III. Guſtatus.
— IV. Auditus.

Subſect.

Subſect. V. Tactus.

Sect. III. De ſenſibus internis, vt ſignis.

Subſect. I. Somnus, vigiliae, inſomnia.

— II. Conſtantia mentis et delirium.

— III. Fatuitas et obliuio.

— IV. Dolor et ſtupor.

— V. Vertigo.

Cap. III. De actionibus naturalibus, vt ſignis.

Sect. I. De actionibus primarum viarum laeſis, vt ſignis. *In his collocantur*

Subſect. I. Sitis.

— II. Deglutitio et manducatio.

— III. Appetitus et fames.

— IV. Ardor ventriculi, ructus, flatus.

— V. Nauſea et vomitus.

— VI. Digeſtio et ſucci nutritii praeparatio.

— VII. Dejectio atque vermes.

Sect. II. De actionibus ſecundarum viarum, ſ. ſecretionibus et egeſtionibus, vt ſignis. *Huc ſpectant*

Subſect. I. Saliuae fluor et ſputa.

— II. Tranſpiratio et ſudor.

— III. Vrina.

Cap. IV. De actionibus ſexus, vt ſignis.

Sect. I. De actionibus ſexus potioris laeſis.

— II. De actionibus ſexus ſequioris laeſis.

Cap. V. De iudicatione morborum, vt ſigno.

Sect. I. De dierum decretoriorum veritate ac dignitate.

— II. De cruditate, coctione veraque iudicatione, *illa que fieri ſolet*:

Subſect. I. Per gangraenam.

— II. Per abſceſſus ſ. Suppurationem et eruptiones cutis varias, *quas Graeci ἐξανθήματα appellant.*

Sub-

Subſect. III. Per expulſionem humorum, *idque* emiſſariorum miniſterio. *Sunt vero praecipue viae, quibus morbi iudicantur,*

A) Profluuia ſanguinis varia.

B) Sudor.

C) Saliuae fluxio et ſputa.

D) Vrina.

E) Vomitus.

F) Deiectio.

G) Coniunctio plurium egeſtionum.

Cap. VI. De morbis recidiuis, vt ſignis.

— VII. De ſignis malignitatis.

— VIII. De ſanguine reliquiſque humoribus, vt ſignis.

— IX. De habitu corporis, vt ſigno.

Sect. I. Corpus bene valenti ſimile vel diſſimile.

— II. Nimium atque ſubitum ſtaturae incrementum.

— III. Nimia macritudo vel tumor.

— IV. Calor et frigus corporis, mador et ſiccitas cutis.

— V. Color corporis vniuerſi aut partium vitiatus.

— VI. Pruritus et cutis vlcuſcula longa.

— VII. Caput externum.

— VIII. Facies eiusque partes.

A) Facies vniuerſe dicta.

B) Tempora.

C) Auriculae externae atque ſordes aurium.

D) Frons.

E) Nares.

F) Genae atque maxillae.

G) Labia et mentum.

H)

H) Os, dentes, atque gingiuae.
I) Lingua et fauces.
K) Facies Hippocratica.
L) Collum et ceruix.
M) Dorſum.
N) Thorax eiusque percuſſio.
O) Praecordia.
P) Extremitates corporis.

Cap. X. De aegri cubitu, vt ſigno.
— XI. De moribus aegri, vt ſignis.
— XII. De mortis ſignis.

Semioticen phyſiologicam, quam et b. LVDWIGIVS *) in phyſiologia tractauit, praemittit hic Cl. Auctor recte aſſerens in proemio, ſine ea non poſſe ſufficienter intelligi pathologicam. Diuidi pariter poſſunt ſigna corporis ſani in anamneſtica, diagnoſtica atque prognoſtica, ac morboſi. (Summus vero in ſanitate perfecta diiudicanda concentus actionum, quaſique conſpiratio, eſſe debet eamque ob cauſam illa aeſtimatio res eſt perardua. Hinc intelligitur, non eſſe ſignum quoddam ſanitatis proprium, quod ſigno pathognomonico ex aſſe reſpondeat, niſi velis eadem, qua in ſemiotice pathologica haud raro fit, via et ratione plura ſimul aſſumere exindeque iudicare.) Noſter tamen, vti ex tabula ſupra addita intelligi poteſt, hunc rerum tractandarum ordinem non vbique ſequi potuit. p. 19.

Nos de ſingulis quibusdam videamus. Ad actiones animales e. gr. ſine dubio pertinet irritabilitas Halleriana naturalis i. e. nec nimis affecta et proſtrata, nec nimis increſcens. Prior enim imbecillitatem corporis, humorum tarditatem, muſculorum p. 28.

*) v. comm. noſtr. Vol. II. p. 141.

lorum ſegnitiem, motus diminutionem ſenſusque hebetudinem indicat, poſterior contraria omnia. Calor fugax poſt alimenta ſumta bonam digeſtionem, lactei humoris ſuctionem, facilem in ſanguinem tranſitum et commutationem indicat, item ſenſus in ſcrobiculo cordis ingratus aut nullus, aut perexiguus.

p. 30. Sufficit Noſtro temperiem ſanguineam et phlegmaticam, cholericam atque melancholicam adduxiſſe atque monet, ea ſigna, quae de temperie varia memorauit, non ſemper neque vbiuis adeſſe, aut ſine vlla contagione, item temperiem moralem cum phyſica non eſſe confundendam.

Pars. II. p. 39. Oportet hanc ſemioticen pathologicam ita diſpeſcere, primum vt fiat generalis ſignorum communium recenſio, quae illa ſint, bona malaue, vtrum omne in corpus cadunt, an in partes, dein vt iſta ſigna ſingula ſingulis morborum formis accommodentur et memoria teneantur. Eſt igitur ſemiotice pathologica vel generalis, vel ſpecialis, adeoque nec illum ordinem ſequi piget, nec legem eam, quam ſibi ipſe ſuperius ſcripſerat, prorſus negligere, quoniam hac via naturali quaſi ad meliorem quandam certioremque cognitionem peruenimus. En tabulam *). Vtraque vero ſemiotice copulanda atque iungenda eſt, quoniam altera alterius haud raro eſt emendatrix.

p. 46. De pulſibus Sinenſium haec notamus. Sexum, aetatem, ſtaturam, habitum corporis bene diſtinguat medicus et meminerit, tres in vtroque latere locos eſſe, nimirum ſub carpo, infra eminentiam oſſis cubiti ſeu radii, et verſus cubitum, huic ſcientiae deſtinatos; vnumquodque viſcus proprium habere pulſum eumque in ſuperficie, medio ac profundo

*) v. ſupra p. 603.

fundo loco eſſe indagandum; dein ſciat pulſus naturales, varias tempeſtates annique viciſſitudines et quid quisque praeſignificet; tertio videat an per nouem aeris reciprocationes et vndequinquaginta ictus iidem permaneant pulſus, nec ne. Noſter vero hanc hic operoſe collectam doctrinam de pulſibus Sinenſium iudicat perabſurdam mancamque.

De praecipuis ac perneceſſariis pulſuum generibus. Pulſus diiudicandus eſt ratione temporis, roboris, inflationis arteriarum, tenſionis, rhythmi atque quietis. Atque hic Noſter perſequitur pulſum celerem et tardum, longum et breuem, altum, profundum, latum, anguſtum, frequentem et rarum, fortem et debilem, vehementem et exilem, magnum et paruum, plenum et vacuum, vndoſum, durum et mollem, aequalem et inaequalem, intermittentem, ordinatum et inordinatum crepitantem. Nec minus oſtendit Noſter, quid hi pulſus ſignificent, quomodo coniuncti ſint inter ſe, cet. nonnullasque cautiones addit, inprimis quoad inaequales, et quoad explorationem pulſuum. p. 72.

Quo facto, ad praecipuos Galenicos pulſus Noſter venit, quos non omnes negligendos eſſe autumat, quia, miſſis aliis cauſſis, naturae atque experientiae ſatis reſpondent. Diuiduntur omnes hi pulſus ex GALENI doctrina in nouem genera: 1) quantitate diſtenſionis, 2) qualitate motus, 3) qualitate ictus, 4) qualitate arteriae, 5) tempore quietis ſ. interualli, 6) arteriarum dimenſione ſ. plenitudine ac vacuitate 7) ratione rhythmi ſ. ordinis, 8 et 9) ratione aequalitatis. p. 110.

Poſtea in his GALENI placitis quodammodo bene emendandis ac recte corrigendis multus olim

 fuit

fuit IOSEPHVS STRVTHIVS *), quem et Noſter idcirco appellat monitorem, correctorem ac ducem ſecuriorem minusque obſcurum in intelligenda pulſuum Galenicorum doctrina. Pulſus ſunt in vniuerſum ei vel ſimplices, vel compoſiti, vel cum relatione. Simplices porro 1) quantitate diſtenſionis, vt magnus, mediocris paruusque pulſus. 2) Qualitate motus, hinc celer, mediocris, tardus. 3) Quantitate temporis ſ. quietis e. g. creber, mediocris, rarus, 4) qualitate virtutis ideoque vehemens, mediocris, languidus, 5) qualitate arteriae, ergo mollis, mediocris, durus. Ex his ſimplicibus derivat STRVTHIVS compoſitos. At relationes pulſuum dicuntur ordo et ataxia i. e. ordinis perturbatio, rhythmus, aequalitas et inaequalitas. Habet praeterea STRVTHIVS haud pauca eaque perappoſita de pulſibus organicis, quae recentiorum nonnulli paululum modo immutaſſe videntur Noſtro.

p. 125. Quam ob rem agit quoque nunc Cl. Auctor de pulſibus nuper excogitatis ſiue organicis. Commemorat primum Noſter Auctores, qui ſunt FRANC. SOLANVS DE LVQVES Hiſpanus, eiusque interpres IAC. NIHELL, THEOPH. BORDEVIVS, HENR. FOVQVETVS, MICHELVS, DAN. COX, MILCOLOME. FLEMING, IO. IOS. MENVRET, LE CAMVS, BALME, WETSHIVS, MARQVETVS cet. eorumque placita de pulſu perſequitur. Omnes recentiorum medicorum pulſus eſſe debent vel *critici*, quos SOLANVS et Hiſpani reliqui et BORDEVIVS habent, vel non *critici, ſymptomatici, organici*, teſtibus FOVQVETO

*) EIVSD. ars ſphygmica ſeu pulſuum doctrina ſupra MCC annos perdita et deſiderata, omnibus tamen medicinam cum nominis celebritate maximaque vtilitate facere volentibus ſumme neceſſaria. Baſil. 1602.

QVETO et WETSCHIO. Tota haec autem pulſuum nuper excogitatorum ſcientia non adeo magnae vtilitatis eſſe Noſtro videtur.

Ex variis reſpirationis formis notamus ſpirationem calidam atque frigidam, male olentem ſeu foetentem, ſuſpirioſam, ſtertoroſam, luctuoſam cet. Inter cautiones additas a Noſtro erat et haec: vide ne in febribus acutis ante ſtatum ab reſpiratu indicia ſumas, ſiquidem plurimi aegrorum, vbi iudicatio imminet, difficulter ſpirant et paulo poſt melius ſe habere videntur. p. 173.

Ad actiones animales, quae in ſenſu et motu cernuntur, addit Noſter Stahlianorum doctrinam de motu tonico. Ac primum quidem de motu tonico tanquam morborum teſtimonio agit, deinde ad ſenſus externos progreditur, denique ſenſus internos diligenter percenſet, non neglectis variis earum formis aut ſignis, quae exinde a medico deduci poſſunt et debent. Motum tonicum diuidit Noſter cum Cl. IVNCKERO in excedentem, et deficientem et ex harum iunctione conflatum ſ. mixtum. Ad primum genus, Noſtro iudice, referenda ſunt irritabilitas Halleriana nimia, horror, rigor, ſternutamentum, riſus, tuſſis, ſingultus, pauor, tendinum aſſultus atque conuulſio: ad alterum debilitas, laſſitudo et torpor corporis, oſcitatio, vocis defectio ſ. *ἀφωνία* et animi deliquium, denique tremor et palpitatio cordis. p. 194.

Nec minus irritabilitas, Halleriana facit certiorem perantiquam doctrinam veterum de diebus decretoriis morborumque iudicationibus. Quo magis enim morbi materia aegros irritabiles aut tardos exercet, eo citius aut tardius finietur, eo vehementiores aut debiliores ſolidorum humidorum- p. 201.

que motus ſubſequentur, eo maius aut minus periculum eo certius exitium aut ſalus erit.

p. 241. Pergit Noſter ad ſenſus externos, et viſus, olfactus, guſtatus, auditus et tactus percenſet ſigna. Peſſima morbi eſt forma, in quo oculi caligant, lucem auerſantur, illacrumantur, intro corrugantur, voluuntur et veluti rigent, id quod imbecillitatis et conuulſionis ſignum eſt; in quo venulae rubent, liuent vel nigreſcunt, nec non ſordes et ſqualor eorum aciem hebetant, ſi obtutus lugubris oritur, quem oculi hebetiores, languidiuſculi, ſqualidi, raro vel tarde moti, itemque bulbus viſcidus et ſordidus, cornea flacca, minusque extuberans, pupilla amplior, humor aqueus nec purus, nec pellucidus cet. fere exprimunt.

p. 304. De actionibus naturalibus agens Noſter, vt ſignis, eas quatenus ad primas atque ſecundas vias
p. 342. pertinent, perſequitur. Hic de ſaliuae fluore, ac ſputis, vt ſignis, agit. Poteſt enim ſaliua, vel nimia copia profluere vel prorſus deficere aut cum ſapore malo infici. Sputorum nomine Noſter comprehendit omnino quicquid ex ore vna cum ſaliua ſcreatu, ſpuitione, tuſſi reiicitur, diſtinguit illa a ſe inuicem modo et effectu ſputi reiiciendi, quantitate, conſiſtentia, miſtura, ſapore, odore, colore, figuraque et diuidit inde ſputa in bona atque mala. Illa ſunt alba, laeuia, aequalia, moderate craſſa, nec adeo viſcida, nullo prauo colore infucata, ſine multa et vehementi tuſſi, cum ſignorum alleuatione in morbis pectoris ſine inflammatione et febre; in acutis vero pectoris morbis ſputa bona ſunt, alba ab initio, laeuia, aequalia ſanguine pauco contaminata, ſubflaua, facile et tertio die iam apparentia, ceteris emiſſariis non

non interclufis; at minus tuta ſunt, quae ſerius incidunt. In ſuppuratis bonum pus cenſetur album, decoloratum, pituitoſum et copioſum, ſine febre, dolore cet. Contra malum ſignum eſt crebro ſpirare, vix exſcreare, dolorem habere continuum cet. humorem glutinoſum dentibus inhaerentem, pectus calidiſſimum, extremitatesque frigidas.

Haec mala ſunt ſigna, e. gr. pituitoſa, ſalſa, p. 156. acria nigra, cum ſtertore extuſſita, flaua vel fulua, viridia, aeruginoſa liuida, foetida cet.

Vrinae oleoſae ſeu pinguis tres ſpecies effinxe- p. 378. runt veteres, nempe elaeochroan, elaeophanem et elaeodem. Eſt vero haec vrina apparenter modo pinguis et ſalinam potius, quam oleoſam cuticulam refert in cremoris ſimilitudinem, interque ſigna peſſima eſt numeranda.

Dum de arenulis in vrina ſcorbuticorum arthri- p. 412. ticorum cet. refert Noſter, Cll. KLINKOSCHII et TICHY *) mentionem facit, qui oſtendit iſta corpuſcula non arenulas eſſe, ſed vere ſalem vrinae natiuum.

Inter cautiones de vrinarum iudiciis et praeſa- p. 420. giis notamus: In aegro omnia conſiderari debent ante, quam ex vrina praeſagias, alias enim ſigna iſta facile fallunt; ceteris morbi ſignis bonis, vrina mala terrere non debet; multis in morbis ſigna ex vrina nulla ſunt v. c. in febre peſtilentiali, in morbis, qui ſingula corporis membra vel ſolidas partes tenent.

Raro menſtrua lactantes incommodant et fere p. 433. infanti lactenti nocent.

Dies decretorios Noſter largitur et cum L. p. 448. SWIETEN defendit, ſunt ii pares et impares, mali et boni, vere decretorii, et indices, contemplantes,

 con-

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 726.

contemplabiles , intermedii. Huc etiam pertinent dies intercalares ſeu intercidentes, coincidentes, intercurrentes, prouocatorii. Magna vis medici cernitur in harum dierum cognitione ac nititur ſtadiorum varietas : e. g. principium morbi augmentum ſeu adſcenſus, ſtatus, decrementum ſeu declinatio; ſiue cruditas, coctio, criſisque ſeu vera iudicatio.

p. 482. Saepe quoque morbus iudicatur per gangraenam. Haud enim rarum illud gangraenae ſiccae genus eſt, quod acutis morbis ſuperuenit et ſalutare eſt, ſi morbus cum ſuis ſymptomatibus imminuitur; contra vero, ſi morbus non ſiſtitur, peſſimum eſt ſignum et praeſentiſſimam mortem denunciat.

p. 522. De ſanguine reliquisque humoribus, vt ſignis igitur in capite octauo. Sanguis ratione *indolis* eſt vel ſanus, vel vitioſus; ratione *conſiſtentiae* vel naturalis i. e. fluxilis atque ſubtenuis vel praeternaturalis i. e. pertenuis et reſolutus, craſſus, lentus, coagulo adſimilis; ratione *miſturae* refertus lympha copioſa, ſero mucoſo et pituitoſo, itemque bile; ratione coloris eſt praeruber et quaſi minium referens, ex rubro palleſcens, albidus et haud raro veluti lacteus, flauus et ſubflauus ſubuiridis vel caeruleus, ſubniger vel ater; ratione *ſaporis* eſt ſanguis ſubdulcis, ſubſalſus, amarus cet. ratione *odoris* aut inodorus eſt, aut vere foetens, internae hu-
p. 529. morum corruptionis index. De cruſta inflammatoria et de grauidarum ſanguine pleuriticorum ſimili multa Noſtro nondum ſatis definita occurrunt.

p. 536. Praeter haec ſucci poſſunt multitudine vel qualitate corpus morboſe afficere et functiones eius mirifice turbare. Plethoram itaque veram ſanguineam

neam et obeſam ſpuriam ſ. imbecillorum, vaſorum et cellularum vacuitatem ſ. oligochymiam, cacochymias varias hic tractat Noſter. Cacochymiarum ſpecificarum notae non ſatis patent.

De thorace eiusque percuſſione, vt ſigno mentionem facit Cl. AVENBRVGGER *). Decubitum aegri negligere, nefas et turpe medico eſt. Situs erectus, tumultuoſusque e. g. inter mala ſigna eſt numerandus. p. 609.

Refert et Noſter iure meritoque mores inter ſigna. Bonum enim eſt ſignum, ſi aeger ſibi conſcius eſt, nec a moribus, quos, dum proſpera valetudine fruebatur, ſecutus eſt, nimium deflexiſſe videtur. Contrarium vero ſemper malum eſt. Sunt prae ceteris duae potiſſimum anxietatis formae, quarum altera ab anguſtiis pulmonum proficiſcitur, altera a praecordiis et ventre infimo. p. 627.

De mortis ſignis dum agit Noſter, diſtinguit eam in naturalem ſ. ſenilem et in praeternaturalem, quae eſt morboſa ſeu violenta. Violenta mors eſt vel abſoluta ſeu perfecta, in qua nullum reſuſcitandi remedium habet locum, ſeu imperfecta, in qua vis vitae quaſi ſoporata intus deliteſcit et aliorum opera excitari plerumque ſolet v. c. in merſis, laqueo iugulatis, vaporibus ſuffocatis cet. **). Huc etiam aeſtimatio vulneris letalis pertinet. Violentae mortes plerumque imperfectae ſunt, perraro abſolutae. p. 633.

Frigore pereuntium mors fere ſomnus aliquis altus eſt et ſaepiſſime medicorum miniſterio abigitur, etſi diu mortui videntur. Item mors, quam a globi bellici tranſitu oriri dicunt, vera ſuffocatio p. 645.

 eſt.

*) v. comm. noſtr. Vol. XI. p. 57.

**) v. comm. noſtr. Vol. hoc p. 593.

eſt. Etenim aëre externo ſic impulſo fortiter et rarefacto, at interno inerti vel reſiduo paene nullo collabeſiant pulmones et motio omnis pereat neceſſe eſt. Qua de re nec iſta mors ſemper certa eſt.

p. 649. Inter venena lenta memorat Noſter aquam *della Toffana* ſeu Toffaninam, perinfamem et arſenicum certo in ſe continentem, aquam *del Peteſino*, aquam mirabilem, (*l'eau mirable*) puluerem ſucceſſionis, (*poudre de ſucceſſion*) puluerem febrifugum empiricorum Germanorum, tincturam febrifugam cet.

p. 657. Additae ſunt duae icones, quarum tabula prima pulſus Sinenſium ex CLEYERO repraeſentat, altera Cl. FOVQVETI pulſus organicos cum explicatione ſiſtit. Atque ita finitur, adiecto indice, hic vtilis liber ſemioticus, quem legiſſe neminem poenitebit. Placet Lectori non ſolum ob ſcribendi genus facile et ordinem perappoſitum, ſed etiam ob rerum collectarum vtilitatem atque multitudinem. Accurate enim Cl. Auctor tam ex veteribus, quam recentioribus Auctoribus ſemioticis ſigna morborum collegit, inutilia ab vtilibus ſeparauit, abſurda prorſus reiecit et numerum ſignorum potius imminuit, quam auxit. Praeterea et hoc nobis maximopere placuit, quod fontes diligenter ſunt nominati atque laudati, quos hic coniunctos inuenire atque legere poſſe res eſt et erit gratiſſima.

VI.

VI.

ANTONII DE HAEN tomus ſecundus rationis medendi continuatae in noſocomio practico, quod in gratiam et emolumentum medicinae ſtudioſorum condidit MARIA THERESIA Auguſtiſſima Romanorum Imperatrix cet. Viennae Auſtriae ſumtibus Hermanni Ioſephi Krüchton 1774. 8. maj. Pars I. pag. 130. Pars II. pag. 90. c. fig. aeneis.

Prima quidem in parte huius tomi ſecundi *), Noſter de varioliſ agit, cum naturalibus, tum artificialibus, vtrasque inter ſe comparat et largitur inoculatione innumera pericula praecaveri; dein de inoculatoriae methodi felicitate in variolis naturalibus obtinenda, atque primo de contagio in genere. Pars I.

In tertio capite ſtatum ſecundum variolarum, quem inflammatorium appellant, Noſter contemplatur, atque hic de inflammatione dirigenda, libero aëre admittendo, balneis, epiſpaſticis, clyſmatibus cet. diſputat atque ea definit.

In capite quarto ad ſtatum ſuppurationis in variolis Noſter progreditur. Hic incipit octavo die morbi forte et ad diem decimum ſeu vndecimum perficitur in diſcretis, paulo tardius in cohaerentibus, ad decimum quartum diem in confluentibus imo nonnunquam ſic in diſcretis malignis. Hoc in ſtadio in cohaerentibus ſaliuatio accedit in diſcretis perraro, quam aër liber valde temperat. Item apparent facile ſaliuatione vel promota, vel ſuppreſ- p. 96.

*) v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 541. vbi primi tomi ſummam communicauimus.

ſuppreſſa, morbi inflammatorii, ſuppuratorii, ſpaſtici in encephalo, thorace, abdomine, veri, niſi inhibeantur, mortis prodromi. Auxilia ſunt venaeſectio, veſicantia, balnea, paregorica aërque liber.

p. 99. Caput quintum agit de ſtadio exſiccationis. Atque hic ad arcenda mala, vt furunculi ſunt, hypopya, tuſſis, febris lenta, artuum mutilationes, venaeſectionem Cl. Auctor laudat.

p. 107. Alia autem methodus, quam euacuans et debilitans, in variolis cum magna virium iactura et debili pulſu, requiritur et haec videtur verſari in excitatione virium, de qua nunc Noſter in ſexto capite diſſerit. Ac potiſſimum contra metum debilitatis augendae per venaeſectionem dicit, quoniam pauci reperiuntur, qui ex vero virium defectu veraque humorum reſolutione vere debiles ſunt, ſed ſolummodo a ſuppreſſo ſanguinis circulo debiles apparent, minime vero ſunt.

Quem in finem exempla enarrat Noſter, vbi, venaeſectione inſtituta et effluxu ſanguinis per tam calidam aquam affuſam, vt epidermis abſcederet, coacto, aeger admodum debilis iterum reſtauratus eſt. Conſultius itaque eſſe Noſter arbitratur, in peſtis, variolarum acutorumque debilitate, quae non a vero virium defectu et ab humorum reſolutione pendet, ſed a lentore humorum, ſanguinem detrahere, quam ex metu debilitatis eum relinquere in corpore et ſinere mori.

Pars. II. In parte altera huius tomi ſecundi nonnulla difficiliora pathologiae refert, explicat multisque tabulis illuſtrat eorumque ſingulorum in fine dat epicriſin Ill DE HAEN, quae partim in hoc ſuo opere continuato iam alibi ſunt narrata, partim noua ſunt. His hiſtoria morbi a Noſtro eſt addita, illo-

illorum autem rationem non repetit, ſed Lectores ad huius operis tomos et paginas remittit.

In capite primo de calculo humano renum ac veſicae vrinariae et de varia mutatione atque deprauatione viſcerum vrinam parantium agitur. p. 7.

Caſus primus offert ſyſtema vrinoſum adoleſcentis vndecim annorum, cuius hiſtoria alibi narrata eſt *), hic ſolummodo delineatum. Renes monſtroſi erant, cum ſua corticoſa ſubſtantia et peluibus enormibus, voluuli amplitudinesque vreterum erant variae. Calculus vncias duas et drachmam vnam pondere aequabat **).

Piſtor 26. annorum, dum quartum ageret annum, calculum mingendo excreuit hordei grani magnitudine ***). Ab eo tempore vrina eius continebat foetidum ponderoſumque gluten, increſcentibus indies doloribus. Multis fruſtra adhibitis remediis mortuus eſt. In rene dextro calculus magnus tredecim proceſſibus et minimus, nec non in veſica calculus eſt repertus. p. 10.

Caſus tertius iam deſcriptus eſt in hoc opere ****). Inueniebantur calculi quatuor in rene. Caſus quartus pariter calculos in renibus monſtroſis offert. p. 13.

Iuuenis variolas et morbillos nunquam paſſus, tumorem animaduertit in laeuo dorſi latere infra ſpurias coſtas eumque perpetuum. Praeterea vexabatur p. 18.

*) EIVSD. rat. med. Tom. I. a pag. 132. ad. 139. ſ. in Editione altera a pag. 98 ad 103. v. comm. noſtr. Vol. IX. p. 85.

**) Similem propemodum in puero nouem annorum lithiaſin v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 426.

***) ibid. p. 696.

****) v. EIVSD. rat. med. part. IX. a pag. 28 ad 38. v. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 669.

xabatur vlcuſculis oris interni gutturisque. Paulo poſt obtuſum lumbi ſiniſtri dolorem ſenſit, qui violentior redditus cedebat methodo medendi antiphlogiſticae. Inter hos dolores febre quotidiana et dein continua ſtipatos, tenax, foetida, pellucens fere et fundo matulae affixa materies apparuit, vrina diu et quiete manante. Breui poſt febre in hecticam mutata cum enormibus nocturnis ſudoribus pus cum vrina emiſit, qua febre imminuta, dolores fere ſopiebantur. Iter tum ſine incommodo non ſolum faciebat, ſed ſe omnis doloris eſſe expertem teſtabatur. Ab aliquo tempore cum defuiſſet purulenta vrina, pectoris inflammatio cum anxietate obſeruabatur, quae cedebat tum, cum vrina purulenta iterum flueret.

p. 20. Tandem et pus tuſſi profluit tenue, ichoroſum fuſcum, liuidum, intolerabiliter foetidum cum ſumma anxietate, febre hectica, marcore inſomniis cet. et obiit.

p. 22. Pulmones pure ſcatebant et deperditus erat ſiniſter, inprimis lobus inferior. Ren ſiniſter monſtroſus excauatusque plane. Vreter in formam inteſtinalem conuerſus. Per foramen diaphragmatis a pure exeſum fiebat continuatio renis et pulmonis in vnum ſaccum, ſine vllo ſepimento. Omnia omnino inſignem prae ſe ferebant magnitudinem et amplitudinem.

p. 23. Progreditur tunc Noſter in renibus praeternaturalibus deſcribendis, quos inuenit in cadauere. Iuuenis ſeptendecim annorum, a peripneumonia, quae ad ſuppurationem vergebat, ruri neglecta, incidit in tuſſim tumoresque ſenſit, alterum anteriora verſus thoracis, alterum ad poſteriorem, eamque fere mediam femoris partem. Denuo apparebat

tumor

tumor in humero, ex quo vnciae octo puris fluebant, et hecticus moriebatur.

Ab externis vlceribus via patula erat ad pulmonem dextrum. Inteſtini ieiuni ſuperior portio digitalem in longitudinem ab inferiore introſuſcepta, cuius introſuſceptionis nulla, dum viuebat iuvenis, erat ſuſpicio. Ren numero vnus, functione autem duplex. Nulla ſpectabatur cohaeſio ſeu coalitus, ſed vnica in medio ſubſtantia, vt non niſi vnicum homogeneum viſcus eſſet, vti ex figura addita apparet. p. 24.

De variis morbis, quos difformia inteſtina generant et de variis vice verſa morbis, qui inteſtina reddunt difformia. Hiſtoriam feminae, quae inteſtino in inguine aperto diu vexabatur, tradidit in hoc opere *), et ſanitatem illa recuperauit. Vixit poſtea ſana per nouem propemodum annos herniamque valde negligebat. Quae ea propter ſaepe apparebat et tuſſim excitabat, eaque, repoſita hernia, iterum ceſſabat. Et haec tuſſis obſeruabatur quotieſcumque in regione herniosa dolor, ſiue hernia ſentiebatur. Subito eſt mortua. p. 26.

In cadauere ileum et reliqua inteſtina ſaccum referebant, et inſigniter cum ventriculo expanſa erant, vti Noſter arbitratur a putredine. Hernia femoralis non inſerta inueniebatur. Nihilominus autem morbi huius ſymptomata ac ſubita mors herniae incarceratae ſunt tribuenda. p. 28.

Sectio puellae ex cephalaea mortuae et antea deſcriptae **) hic narratur. Erat voluulus inteſtini ilei, vbi portio ſuperior excipiebatur ab inferiore vna cum ſuo meſenterio. Haec inſerta portio p. 30.

*) v. EIVSDEM rat. med. Tom. VII. a pag. 159 ad 203. v. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 438.

**) v. EIVSD. rat. medend. Tom. I. a p. 130 ad 132.

tio nunc duplo longior eſt in liquore ſeruata, ac in cadauere, nihilominus tamen ita corrugata, vt in duplo aut triplo maiorem longitudinem poſſet extendi.

p. 32. Vir ſexagenarius ab annis 30. et quod excurrit continuo fere vtebatur purgante, cum citra id enormes pateretur anxietates, vomitus et alui obſtipationem. Tandem morbo ileo obiit. Aperto abdomine tympanitis omnium inteſtinorum praeter coli portionem a liene deſcendentis et ad os ilei ſe flectentis, cernebatur. Valuulae coli erat ſingularis proſpectus. Caeci ſaccus et ilei in eundem ingreſſus in icone repraeſentatur, item deſtructa Bauhiniana valuula, vt modicum tantummodo foramen apertum relinqueretur.

p. 33. Tornio ileo pluries laborauit eoque mortuus eſt. Inteſtinum colon in ileo oſſe ſiniſtro, vna cum ſuo meſocolo et appendiculis adipoſis hic delineatum eſt, nec non coarctatio inteſtini, aegre ſtramen admittens.

p. 34. Sexagenarius ictero viridi cum lapidea hepatis duritie laborans curabatur. Paulo poſt autem fiſtula ani cuius et ratio ab chirurgo habebatur, videbatur vexari et Noſter tria corpora ſemipendula in recto ampliſſimo reperiebatur, quorum plura ſimilia in cadauere. Praeterea aeger facilem et difficilem foecum tranſitum per ileum ſentire poterat. Canalis inteſtinalis in cadauere, itinere, amplitudine et anguſtia errabat. Sphincteris ani ſuperſtes ab operatione creditae fiſtulae ani ad pollicis amplitudinem dilatatio hic eſt delineata, in qua appendiculae maiores, minoreſque pendulae, aut mucoſae, et preſſione oleum mucilaginoſum, quale perpetuo fere ex ano defluxerat, fundentes, aut minus molles, aut duriores, colore albae omnes.

Colum

Colum inteſtinum totum longitudine flexibusque praeternaturalibus difforme Cl. Auctor in ſuſpenſi hominis cadauere reperit et hic delineari curauit. Pariter colum in alio ſuſpenſo homine mire et praeternaturaliter flexum hic in icone ſiſtitur. p. 37.

Femina ab infantili aetate vomitum continuo paſſa obiit. Aperto abdomine epigaſtrium totum iecinore immenſo erat impletum, omne hypogaſtrium monſtroſo colo. Inteſtinorum tenuium ſitus poſt colon omnisque infra vmbilicum. Quae et cauſa fuit duodeni et ventriculi ad vmbilicum ſitus. Ventriculus erat, vti inteſtinum formatus. p. 38.

Addit hic Noſter ventriculum, cum ſaccis quaſi, amplum nimis, qui continuo vomebat tam ex vi formae fabricaeque ſuae, quam etiam vitio hepatis. p. 40.

In capite tertio hiſtoriam ouarii dat Noſter quae ad pathologiam hydropis multum lucis adfert. Femina parce menſtruans, acuto morbo grauiter decumbens et a triennio menſibus carens, de dolore in inguine dextro conqueri cepit, cui ſenſim ſe iunxit tumor fluctuans, qui intra annum ventrem vniuerſum impleret. Remediis nec quidquam praeſtantibus, paracenteſis in dextro latere inſtituebatur et emanabat liquidum turbidum, fuſcum, glutinoſum, aqua $\frac{1}{24}$ ſpecifice grauius, ad ignem parum coagulandum, pondere librarum XXIV. Dolore paulo poſt magis increſcente, maxime in tuſſi in dies moleſtiore, venter breui iterum valde intumuit cum manifeſta fluctuatione. Iterata paracenteſi in ſiniſtro latere euocabantur librae XIV liquidi eiusdem, et, angina inflammatoria accedente vomituque, obiit. p. 42.

p. 44. Vterus erat valde paruus. Ouarii fundus plenus erat tumoribus informibus, mole, figura, duritie differentibus, numeroſiſſimis, ob materiam aut euacuatam aut effluentem, mollem ac veluti purulentam non conſeruandis. Ceterum ouarium capiebat eundem humorem, qui paracenteſi eſt euocatus. Vaſa erant parua.

p. 45. Figura altera huius tabulae offert appendiculam auriculae ſiniſtrae cordis, quae in calculoſo inventa eſt, cuius hiſtoriam *) iam tradidit Cl. Auctor.

p. 46. Reperit Noſter in viginti iecinoribus humanis bis ductus cyſtico hepaticos, ſemel tres, iterum vnum. Communicat hic duas figuras, vna refert humanum, altera bouinum hepar. Sunt, qui negent, ideoque hic hos Noſter addidit, praeterea faciunt quoque ad icterum intelligendum explicandumue.

p. 51. In capite quarto recenſionem omnium hiſtoriarum anatomicarum atque earundem ad morbos, quos genuerint, applicationem morborumque epicriſin Cl. Auctor tradit.

VII.

Obſeruata quaedam medica cum figuris aeneis a M. I. MARX. Med. D. Berolin. apud Chriſt. Fridr. Himburg 1772. 8. pagg. 63.

p. 13. 1) *Lumbricus latus feliciter expulſus.* Remedium erat ſtannum Anglicum limatum **), quod praefert communi, plumbo aliisque noxiis particulis potiſſimum ſcatenti. Mauult multo potius in modum, quo agat ſtannum, vt anthelminthicum certum

*) v. Noſtri rat. med. Tom. IX. a pag. 28 - 38.

**) v. comm. noſtr. Vol. I. p. 561. Vol. III. p. 456.

certum et optimum non inquirere, quam hypotheſin excogitare. Differt hic lumbricus, vt icon ſubiuncta docet, in eo, quod duobus cacuminibus terminetur, nec inuenit Noſter alibi eiusmodi vermium terminationem.

2) *Tuſſis inueterata radice rubiae tinctorum curata.* Haec radix Noſtro nota eſt tanquam reſolvens, abſtergens, diureticum, ſimul confortans, expectorans, nec alui obſtructionem efficiens. p. 23.

3) *Morbus epilepticus foliis aurantiorum curatus.* Morbus ortus erat ex timore et talis epilepſiae ſpecies ab animi pathemate oriens ſine praevio ſigno omnium curatu difficillima habetur. Singulare eſt in Noſtri caſu, feminam tam ſubito, confeſtim poſt foliorum vſum, a paroxyſmo eſſe liberatam. Specificam vim antepilepticam Noſter foliis his adſcribit. p. 33.

4) *De matrona cardialgia et vomitu cruento curata.* Aegra erat triginta ſex annorum, valde ſenſili neruorum ſyſtemate praedita, et licet ſatis diu aegrotabat et tantum ſanguinis per recidivos vomitus amiſit, vt ſanguis e digito acu laeſo prodiens non rufeſcenti ſanguini, verum ſucco ceraſorum vix ſimilis eſſet, tamen rheo, lacte et cortice inprimis Peruuiano prorſus ſanitati eſt reſtituta. p. 48.

5) *Haemorrhagia vteri enemate oleoſo curata.* Eius cauſſa erant aſcarides, quae vtero vicinae hunc vellicabant atque irritabant; occaſione ſenſilis huius irritationis ſeu ſpinae circa vterum infixae ſanguis ad vterum motus vberior effluebat. Quapropter aſcaridibus enemate, aliquoties repetito, incredibili copia euacuatis, haemorrhagia quoque ceſſabat. p. 55.

6) *Tumor in genu.* Quatuor ſeptimanarum ſpatio tumor hic, licet per duos iam durauerat annos, fomentis reſoluentibus, addito lixiuio ſapona- p. 57.

ceo et linimento ex vnguento albo camphorato et petroleo feliciter eſt a Noſtro diſcuſſus. Interne vſus eſt purgantibus, decoctis tam diureticis, quam diaphoreticis. Ad reditum huius mali arcendum, herbas reſoluentes in aqua ferraria coqui et partem affectam colatura fomentari iuſſit. Nec plane euanuit tumor ſolum, ſed liber motus etiam neque aëris viciſſitudine, vti alias potiſſimum ſolent aegri quid ſaltem ſentire, vlla modo amplius turbatur.

p. 61. 7) *Cataracta.* Erat incompleta nondum concreta. Color pupillae ſiniſtri omnino, dextri oculi minus glaucus oculum inſpicienti apparebat. Viſus reſtitutus eſt intra ſex ſeptimanas collyrio ex aqua chelidonii, ſpiritu ſalis ammoniaci, vitro antimonii et camphora, fumo euphraſiae, roriſmarini fiſtulae tabacariae ope cum oculo communicato cet. externe, interne mercurio dulci et ſulphure antimonii aurato tertiae praecipitationis, helleboro nigro cet.

VIII.

De viribus arnicae ſpec. inaug. Auctore PETRO ANDREA SCHÜTT Hamburg. Gotting. d. 22 Octobr. 1774. pagg. 37.

Quae paſſim de hac planta in variis Auctoribus tam veteribus, quam recentioribus inueniuntur, iudicioſe atque diligenter hic collegit Noſter. Recte deriuat alium atque alium huius remedii effectum a diuerſitate ſubiectorum. Vomitum e. gr. Noſter expertus eſt in paralyticis; euacuationem praecipuum putat eſſe effectum arnicae. Ceterum et affirmat eos, quos recenſuit Cl. COLLIN *), effectus et ſuadet arnicam in neruorum morbis, a collu-

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 143.

colluuie ſeroſa et infarctis vaſis corticis cerebri ortis, item in ſpaſmis et conuulſionibus, ſi deriuanda eſt acris materia neruos vellicans.

Vis roborans a Cl. COLLIN *) adſcripta arnicae videtur Noſtro effectus ſecundarius. Quae vſui eius interdum praemittenda ſunt **), potiſſimum cernuntur in imminuenda plethora et promovendis primarum viarum impuritatibus.

IX.

Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar för År 1772. Vol. XXXIII. Med. Kongl. Academiens Tilſtånd. Stockholm. Tryckte hos Directeuren Lars Salvius På egen Koſtnad. 1772. 8. pag. 376. Tab. aen. XI.

i. e.

Acta Academiae Reg. Scient. Suecicae anni 1772. Vol. XXXIII.

Trimeſtre primum.

1) NIC. MARELIVS finem imponit iis, quae dixit *de tractibus montoſis* limites inter Sueciam et Noruegiam conſtituentibus. p. 1.

2) *Dioeceſin* Kuſamo *in Marchia Lapponica* Kimi deſcribit M. ELIAS LAGVS. Adi. Paſtor. p. 17.

3) *Terram puteolanam* examinat BENED. QVIST. *Anderſſon.* Ope Mareſchalis et equitis IENNINGS ex Italia aduecta eſt, prout ad ciuitatem veterem (*Ciuita Vecchia*) reperitur. Prima varietas, fuſco p. 28.

 colore

*) v. ib. **) v. ib.

colore rubens, ſtructurae tubuloſae, vt pumicem aut ſpongiam imitetur, non efferueſcit cum acidis,
p. 29. a magnete rudis attrahitur, quae attractio calcinatione non augetur, per ſe facile liqueſcit in ſcoriam nigram, cum borace in vitrum ſubuiride, granula continet, quae cum acidis non efferueſcunt, nec per ſe, nec cum borace funduntur, vehementi tamen igne in extrema ſuperficie vitro obducuntur. Satis ſimiles ſunt reliquae varietates.

p. 40. Generatim examina haec Noſtrum docuerunt; baſin terrae puteolanae eſſe argillam ferro impraegnatam, petrefactam, quae ipſi admiſcentur fortuita ſunt et non magni momenti. Id vero docet odor, argillae vſtae ſimilis, alumen, addito vitrioli ſpiritu generatum, magnetis in particulas huius terrae
p. 41. actio; aliquid etiam terrae calcareae adeſt, quod docet ſal ſeleniticum, addito oleo vitrioli generatum. Pertinet vero Noſtri iudicio haec terra ad
p. 42. genus Baſaltis. Fuſiones autem et calcinationes, ab igne ſubterraneo ſubiiſſe, indicio ipſi eſt, ſtructura tubuloſa et pumici ſimilis, item attractio magnetis. A diuerſis gradibus ignis, quos pertulit, item ab aëris et aquae effectibus, pendere exiſtimat varietates.

p. 43. 4) *Lac feminarum* examinat PET. ION. PERGIVS. Fatetur occaſionem ſibi dediſſe, quae de lacte expertus eſt THOMAS YOVNG *). Examinauit lac, tum tepidum, vt ex mammis effluit, tum ad
p. 46. ignem ebulliens, cum variis acidis, alcalinis, reagentibus; ſibi reliquit, vt ſe ipſum decomponeret.
p. 51. Feminam per octiduum, ſolis vegetabilibus nutriuit, eiuſque lac cum lacte vaccino comparauit. Horum experimentorum, quae enarrare prolixum eſſet,

*) vid. diſſ. de lacte. v. comm. noſtr. decad. ſecund. Suppl. IV. p. 735.

eſſet, ſuffecerit hic transferre velut fructus, quos ipſe collegit; inde vero ſimul, qualia experimenta fuerint, intelligetur. Feminae, quae conſueta diaeta, ex vegetabilibus et animalibus mixta, vſa eſt, lac, non coagulatur, ab acidis adfuſis. Aliter ſe habuit lac eius, quam ſolis plantis nutriuerat: id, et aceto coagulabatur, et ſolo calore hypocauſti, ſimul valde aceſcebat. Hanc autem proprietatem lacti conciliauit biduum victus vegetabilis, cum ante carne eſſet vſa, ſed parcius. Poſtquam vero permiſiſſet feminae rurſus carne veſci, per duos adhuc dies, lac eius proprietatem illam retinuit, vt coagularetur. Igitur nutrici, ne lac eius ad aciditatem procliue p. 54. fiat, non parce praebendus eſt victus animalis; etſi, quae illo nimius vtatur, lacti alcalinam naturam poſſit conciliare. Feminae, victu ſolo vegetabili vſae, lac, circiter octauo die poſtquam emulſum erat, ſibi relictum, aceſcebat: vaccinum, iuxta illud poſitum, circiter tertio, id ergo multo procliuius eſt, ad aceſcendum. Conſueto vero victu, ex animali et vegetabili mixto, vſae feminae lac, quod ſpiritu vitrioli et acidis vegetabilibus non coagu- p. 55. latur, nequidem ſi haec acida cum hoc lacte coquuntur.

Ea ex re colligit Noſter, infantibus lactantibus praeberi poſſe acida, ſi morbus, quo laborant, id poſtulet, aitque id feliciter ſe eſſe expertum. Porro, ſi morbus infantis remedia acida poſtulat, nutrix p. 56. poterit reſtringi ad ſolum victum vegetabilem. Contra, ſi infantis excrementa caſeoſa, aliaque indicia, monſtrent, nimiam ineſſe ventriculo aciditatem, nutrici dandus erit victus omnino animalis. Lac ad ignem ebulliens, adfuſo oleo tartari per deliquium flaueſcebat, poſt aliquot dies color mixturae abibat in flauo viridem. Tales igitur colores excrementorum infantis credit indicare, quod alcali do-

 minetur,

minetur, acidis melius corrigendum, quam abſorbentibus, aut aliis alcalicis. Sed haec vlteriori examini commendat. Coagulum ex ventriculo vitulino, ſalſum, ſale ablutum, addito etiam ſpiritu vitrioli, nihil effecit ad coagulandum lac femineum, ſiue tepidum, ſiue ad ignem ebulliens. Id iure miretur, tum qui effectuum eius coaguli in lac vaccinum recordatur, tum qui meminit, reuera tamen coagulari lac nutricis in ventriculo lactantis, et tale vomitu ejici. Forte ventriculo humano maior vis eſt ad lac coagulandum, quam ventriculo brutorum; ſed cum his vacaret Noſter, ventriculum
p. 57. humanum habere non potuit. Quod feminae, conſueto victu vſae, lac, etiam plures ſeptimanas ad fornacem calentem poſitum, non aceſcat, ſed dulce maneat, ea re lac femineum ad infantes nutriendos omni alio praeſtat. Contra, quae vaccino contingant in ventriculo tenelli, facile colligi poteſt,
p. 58 morbique poſſunt praedici, quae tenero infanti lacte vaccino nutrito minentur. Aliter res ſe habet, cum infans poteſt carnibus veſci, et ipſe eius ventriculus robuſtior euaſit.

Denique adultis aegris, ſaepius prodeſſe poſſe lac femineum monet Noſter, celebres medicos ſe-
p. 59. cutus. In phthiſi praecipue plurimum poſſe, ad vlcus pulmonis, abſtergendum, ſanandum, ſanguinem edulcorandum, viſcido addito corrigendum. Vbi et hoc magni momenti eſt, quod non aceſcat
p. 60. hoc lac, vt vaccinum. Butyrum etiam ex lacte femineo praeparauit ſuccuſſu, facile, et copioſe in relatione ad vaccinum. Album erat hoc butyrum, facile ranceſcens. Poſtquam ad ignem deferbuit, praecipitauit ſe pars viſcoſa, butyrum depuratum,
p. 61. cum rurſus coiret, nihil odoris rancidi oſtendit, etiam duos menſes in hypocauſto ad fornacem poſitum. Hoc butyrum ad ignem depuratum, album

erat,

erat, facile digito ſuperinducto liqueſcens, vt axvngia.

5) *Inſtrumentum, obiectis per tubum aut microſcopium viſis, delineandis inſeruiens* edit IO. CAR. WILKE. Pertinet ad parallelogramma illa, quae pantographi nomine veniunt (Storchſchnabel). Filorum, in foco tubi aut microſcopii, vbi formatur imago, poſitorum interſectio, per limites obiecti ducitur, dum interea ſtilus in tabula figuram deſcribit, illi ſimilem, circa quam interſectio filorum ducitur. p. 61.

6) *Iis, quae de radiorum lucis heterogeneorum, dum refringuntur, diſperſione*, ſuperiore anno ſcripſerat, quaedam addit FRIDR. MALLET *). Inprimis docet, quas leges hac in re ſuaſerant NEWTONVS, et EVLERVS, iis non conuenire, cum experimentis, DOLLONDI, ZEIHERI, BEGVELINI. p. 66.

7) *Furnos chymicos portatiles* deſcribit GVSTAV. DE ENGESTROEM; monetae regiae docimaſta. Alter docimaſiae deſtinatur, alter deſtillationibus. Quilibet conſtat ex duobus crucibulis ex molybdaena, orificiis ſuis coniunctis, ita, vt totum exhibeat velut duos conos truncatos, baſibus maioribus ſibi iunctos. Continentur duobus annulis ferreis cochlearum ope coniunctis, fulcri loco ſunt tres pedes, inferiori annulorum ſubiecti. Qui docimaſiis deſtinatur, in medio foramen habet, per quod immittitur tegula vel fornix docimaſticus, incumbens trabi ferreae, tranſuerſim furno inſertae. Aliud foramen inferius aërem admittit, in latere; fundus integer eſt. Crates ferrea infra p. 71.

 tegulam,

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 274. et 277.

tegulam, carbones decidentes retinet, ne frigidus aër ad tegulae fundum illabatur. Trabs ferrea, crates, tegula, omnia libere inſerta ſunt, vt, prouti res poſtulat, eximi queant. Et hunc, et alterum, vſibus ſuis aptiſſimos praedicat. Occaſionem ſibi dediſſe profitetur, quae de furnis ex eiuſmodi crucibulis componendis ſuaſit Cl. LEWIS. Sed Noſter effecit, vt ſui furni minoris conſtent, et quae in iis ex ferro conſtant, ignis vi non adeo deſtruantur.

p. 79. 8) *De piſcatura in lacu* Hielmar agit, OLAVS STRANDBERG verbi diuini miniſter in Lännäs in Nericia Orientali. Inprimis, quae ad conſeruandos aut augendos piſces faciant. *Lucius Eſox* (*Giädda*) huius lacus celebratur. Noſter credit adultos Lucios deſtruendos, ob voracitatem; minoribus, qui non niſi minutis piſciculis, et parum alias hominibus prodituris, ſi veſcantur, parcendum, donec adoleſcant. *Perca Lucioperca* (*Giös*) generi conſeruando operam dat in loco quodam, vbi non poſſunt retia maiora commode adhiberi, eam ob cauſſam ſemper manet ſatis magna eius copia. *Cyprinus Brama*, (*Braxen*) dum genus propagat, copioſe capitur, etiam antequam oua depoſuerit; de quo dolet Auctor, et ſuadet, vt captus piſcis duos dies ſeruetur in receptaculis, quibus inſerti ſint rami pinus, ouis onuſti, deinde in aquam proiiciendi. Subiungit alia ciuibus ſuis vtilia.

p. 84. 9) EIVSDEM. *De augmento incolarum in parochia ſua* tractatio. Quotannis multo plures natos habet, quam vita functos; v. c. 1763; natos 51; mortuos 15. Iam totus eius tractus, lacui *Hielmar* adiacet, et incolae plerumque piſcibus veſcun-

veſcuntur. Huic igitur nutrimento magnam partem tam bonae valetudinis incolarum tribuit.

10) *Spicam Alopecuri, quam infans deglutiuerat, poſt quinque ſeptimanas, ex vlcere ſub ſcapula dextra exeuntem*, obſeruauit PET. BIERCHEN, M. D. Adſ. Coll. Med. Infans quinque annorum in horto ludibundus gramen deglutiuerat, ſtatim tuſſiens, et de dolore queſtus, qui vero, deglutito pane, ceſſauit. Domum redux, etiam abſque vlla difficultate panem deglutiuit. Nocte vero inſequente, vehementer febricitauit et vomuit. Crediderunt parentes venenatum gramen fuiſſe. Noſter vero, cum nihil tale ex deſcriptione, quae ipſi dabatur, colligere poſſet; tandem exiſtimauit morbum forte a vermibus oriri, nullas in eo eſſe graminis deglutiti partes, et hanc ſententiam ſequutus, quae ſibi idonea videbantur remedia adhibuit. p. 85.

Quatuordecim diebus elapſis leniti dolores ventriculi, tuſſis autem vehementer increbuit, querebatur aeger de dolore maximo, in latere dextro, thorace et ventriculo. Praebitae emulſiones oleoſae, ſerum lactis HOFFMANNI, ſyrupi amygdalarum, altheae, oxymel, applicati clyſteres. Tandem, vomicam pulmonum apertam, indicarunt, halitus foetens, pus craſſum, flauum, vomitu eiectum per octo dierum ſpatium. Haec cum lenirentur, et omnino deſinerent, querebatur aeger de dolore dorſi, et ortus eſt ſub ſcapula dextra, ſtatim ad ſpinam dorſi, tumor albus, tactu dolens; ei impoſita cataplaſmata ſunt ſaturnina. Non poterat aeger in laterum aliquo cubare, ſed ſolum in dorſo. Noctes inquietae; redibat tamen appetitus edendi; lingua etiam rurſus pura. Creuit tumor, qui cum molleſceret, adhibita ſunt emplaſtra ſuppurantia, biduo elapſo ſponte apertus eſt tumor, ceſſantibus dolori- p. 86. p. 87.

bus omnibus, vt aeger nocte illa profunde dormiret. Medicus mane ſequente vlcus examinaturus, lectum plenum reperit pure fuſco nigreſcente foetente, detumuit tuber, cuius in apertura, acuti aliquid ſenſit medicus; extractum vidit eſſe extremum ſpicae, quo culmo adhaeſerat, ita ſpicam totam extraxit. Obducta erat liquore fuſco, putrido, omnino ad modum excrementorum humanorum foetente, quem foetorem per biduum retinuit.

Examinata apertura tumoris, aër quauis reſpiratione exiit, etiam flammam candelae oppoſitam mouit, exiit etiam aër, cum apertura deprimeretur. Dato ſero lactis HOFFMANNI cum chaerophyllo, puer quotidie melius valuit, tribus ſeptimanis elapſis, omnino ſanus, ita adhuc vixit ſexto, poſtquam haec contigerant, anno. Similem caſum, qui Decembri 1771 in Parochia *Göthland*, in Nericia contigit, ex diariis publicis recenſet. Puer annorum 4½ ariſtam deglutiuerat, ſtatim dolorem fletu oſtendens et vomens, ſed, quid ipſi contigerit, altera demum die dicens, cum ſanguinem vomeret. Poſt ſanguinem grumoſum vomuit, et quae viderentur pulmonis particulae. Septimana quarta prodiit ariſta. Sub ſcapula dextra, praecedente extremo, quo culmo adſederat; exiit ſimul plurimum ſanguinis et puris; nona vero die, poſt-
p. 89. quam hoc contigerat, puer mortuus eſt. Iam docet Noſter, vtroque hoc caſu, ſpicam, ſiue ex oeſophago ſiue ex ventriculo, viam ſibi aperiiſſe in pulmones, et porro eum ad locum, pèr quem exiit. Multus vero eſt in eo, vt oſtendat, non tranſiiſſe laryngem, additis exemplis triſtium effectuum, quos corpora peregrina laryngem ingreſſa ediderunt.

p. 92. 11) *Aequationis alicuius differentialis* $d^3 y\,dy + a\,ddy\,ddy + b\,ddy\,dy^2 + c\,dy4 = o$ *integrationem docet* DAN. MELANDER.

12)

12) *Vniones quomodo imitentur ſinenſes* docet IO. ABR. GRILL; *Abrahamſſon.* Paratas habent vniones ex matre perlarum, quinque aut ſex, filo traiecto iunctas, nodis autem fili ſeiunctas. Eas inſerunt *Mytilo* dum ſub initium aeſtatis, ad aquae ſuperficiem patens apricatur; *Mytilus*, cum illis ſe demergit et anno ſequente ex aqua tollitur. p. 93.

Tunc factas illas vniones, ſuperinduxit membrana, qua veris vnionibus omnino ſimiles redduntur. Exhibuit Noſter Academiae exemplar, quod in Siena obtinere potuit vnicum, ex fluuio, aliquot ab vrbe *Canton* milliaria deſumti *Mytili cygnei*, qui etiam in Suecia reperitur. Vnionum vna adhuc adhaerebat teſtae, conſpicua etiam erant loca, vnde aliae vniones, quae ſimul oſtendebantur, eſſent ſublatae. Eas ait pro veris vnionibus venditari poſſe, niſi eo in loco, vbi conchae adhaeſerant, cutis illa deficeret, qua re eo melius diſtinguitur vnio factitia a membrana, qua obducitur. Suadet, vt fluviorum accolae, quibus haec experiundi occaſio eſt, tentamina inſtituant. p. 94.

Trimeſtre ſecundum.

1) IO. CAR. WILKE, *de frigore glaciei liqueſcentis.* Compertum eſt experimentis RICHMANNI, quae etiam Noſter repetiit, ſi commiſceantur duae maſſae aqueae, diuerſis gradibus thermometri calentes, mixti calorem eum eſſe, qui computatur, multiplicando quamuis maſſam per ſuum calorem, productorum vero ſummam diuidendo per ſummam maſſarum. (Comm. Nou. Petrop. T. I. p. 168.) Idem etiam locum habet, cum altera maſſarum, quae calorem habet aquae in glaciem abiturae, qui plerumque o thermometrorum dicitur. Itaque cum nix ſit aqua conglaciata, p. 97.

ex-

exſpectari poterat, idem euenturum, ſi loco aquae, in qua thermometrum conſiſtit ad o, adhibeatur nix. Alia vero omnia, docuerunt Noſtrum, experimenta plurima, ſollicite inſtituta cum aqua diverſimode calente variis proportionibus niui commixta.

p. 105. Summa rei huc redit: Nix aliquid caloris aquae, antequam fundatur, velut deſtruit. Reſiduum inter niuem liquatam, et aquam hoc reſiduo calentem, ita diſtribuit, vt inter aquam hoc gradu calentem, et calentem gradu o. Calorem vero, quem nix dicto modo deſtruit, ſatis probabili conſenſu, experimenta Noſtri ſtatuunt, 72 thermometri Suecici, quod inde a puncto glaciali ad aquam ebullientem numerat 100. Itaque, ſi v. c. aquae gradibus 72 calenti, aequale pondus niuis admiſceatur, deſtruitur calor omnis, et mixti calor eſt o. Si caleat aqua gradibus 98; adiecto aequali pondere niuis, deſtruuntur gradus 72; reſidui 26 diſtribuuntur inter duas aquae maſſas, alteram, quae ab initio adfuerat, alteram, quae ex niue orta eſt, itaque ex his duabus coniunctum mixtum, calebit gradibus 13. Denique tribus partibus aquae calentibus gradus 40 adiiciatur vna niuis. Hic, habita ratione maſſarum, conſiderat Noſter, tres maſſas aquae ſingulas calore 40 praeditas, in quibus nix deſtruit 72 hoc eſt calorem integrum vnius maſſae, et adhuc gradus 32 in alia. Reſtant igitur gradus 40 + 8. Siue vt Noſter exprimit 120 - 72; diſtribuendi, inter tres maſſas aquae, quae adfuerant, et quartam, ortam ex niue; hoc igitur mixtum calebit 12. Hinc facile conditur formula pro computando calore mixturae oriundae ex aqua, dato gradu calentis, adiecta data quantitate niuis. Sit aquae pondus $= m$, calor $= c$, niuis pondus $= n$; eſt calor mixti $= (m.c - 72n) : (m + n)$. Qui calor

lor euaneſcit cum m. c = 72. n; tum mixtum habet calorem puncti glacialis. Hinc varia notatu digna deducuntur, inter alia hoc: Non poteſt c ſuperare calorem aquae ebullientis, qui ſtatuitur = 100. Quo numero loco c poſito reperitur n = $\frac{100}{72}$ m = m. 1 $\frac{7}{18}$. Hoc eſt: aqua bulliente, ſoluitur niuis pondus paulo maius, quam eſt pondus aquae, circiter pondus aquae adiecta tertia parte eius ponderis; mixtura vero eſt aqua glaciei calorem habens. Igitur parum prodeſt aqua calida ad liquefaciendam niuem. (In tranſitu monere liceat gradum 72 Suecicum reſpondere 42 de l'Iſleano, hoc autem calent thermae Carolinae, vbi calidiſſimae ſunt: vid. tabulam HEINSII, editam a WINKLERO (*Anfangsgr. der Phyſik* Lipſ. 1754.) §. 126. Igitur hae thermae, vix ſaltem ſufficerent aequali quantitati adiectae niui liquandae.) Iam phaenomena haec explicat, adſumta materia ſubtili, quam ignem vocare liceat, eademque ad alia experimenta paſſim nota, ſed explicatu difficilia transfert.

2) *Tentaminum, cum terra Puteolana, et Caementis inſtitutorum, partem vltimam* edit BENQVIST *Anderſſon.* Primo materias enarrat et deſcribit, quibus vſus eſt. Ex illis, in pulverem redactis, calce addita, cylindros aequales effecit, quorum poſtquam ſiccati eſſent firmitatem ita explorauit, vt, quanto pondere rumperentur, examinaret. Sed haec, et quae inde deducit, pauca generalia, huc transferri non poſſunt. p. 120.

3) *Machinas, quibus ferrum in laminas tenues extenditur, item in parallelepipeda tenuia ſecatur,* (Walz- und Schneidewerke) deſcribit et emendat SVEN RINMAN, Director officinae regiae ferri, Eques Ord. Reg. a Vaſa nominati. p. 132.

4)

p. 157. 4) *Squalus maximus* L. *quomodo ad Nordlandiam Noruegiae capiatur* narrat NIC. CHRISTIAN. FRIIS Epiſcop. et Adſeſſ. Conſiſt. Vocant animal: *Brygd* vel *Brugd.* Capitur eo fere modo, quo cete capiuntur, hepatis cauſſa, cui librarum 5 pinguedo excoquitur. Communis longitudo piſcis eſt 12 vlnarum, dantur etiam duplo longiores.

p. 164. 5) *Coecitatem, quae poſt cataractam ſanatam redierat, ſublatam* narrat IO. L. ODHELIVS M. D. Adſ. Coll. Reg. Med. Vir annorum 69; ambobus
p. 165. oculis cataracta laborabat. Vtrique anno 1766. adhibita operatio methodo DAVIELIS, ſuperuenit eryſipelas faciei, quo poſt VI ſeptimanas ceſſante, oculo ſiniſtro vidit, licet pupilla eo loco, vbi inciſio facta erat, adnata eſſet corneae. Tribus annis elapſis, circumforanei conſilio, vt melius adhuc videret, emplaſtrum impoſuit; quo facto, viſus omnino periit. Licet pupilla eſſet perſpicua. Dexter oculus, poſtquam ceſſauerat eryſipelas dictum, coecus manſit, pupilla coiuerat, eiusque centrum occupabat materies alba, quae per pupillam ex camera poſteriore profluxerat, effeceratque, vt inciſioni corneae, alba cicatrice accreſceret. Saltim diem a nocte vt coecus diſtingueret, exiguus margo ad terminum ſuperiorem pupillae permittebat. Huic coecitati, vt mederetur Noſter, aeger petiit. Quod licet cum exigua ſpe ita ſuſcepit.

p. 166. Anno 1771; Sept. 25. corneam methodo DAVIELIS incidit, tentauitque pupillam dilatare ope Cyſtotomi per exiguum illum marginem inſerti, quod, cum non ſuccederet, cultro Cl. LA FAYE incidit iridem inde a pupilla ad ligamentum ciliare verſus naſum, paucis ſaltim guttulis ſanguinis profluentibus, aegro autem per nouam hanc iridis aperturam,

turam, ſtatim vidente. Apertura haec erat triangularis, apice verſus ligamentum ciliare ſito. Die 3 Oct. oculus, abſque inflammatione, ſatis bene valebat, lumen diurnum aegrum offendebat. Id vero nullo incommodo tolerabat d. 11. Oct. Pupilla haec artificialis referebat figuram trianguli ſcaleni. Oculum ad videndum melius meliuſque valere d. 19. Octobr. aeger retulit.

6) *Additamentum* diſſertationi praecedenti ſubiicit OLAVS ACREL; vnice ad hiſtoriam litterariam harum operationum pertinens. p. 168.

7) Kien, *alcali minerale natiuum Sinenſe*, exhibet IO. ABR. GRILL *Abrahamſſon*. Accepit illud a Patre *Ioſepho Vitali Kuo*, natione Sinenſe, qui Neapoli litteris operam dedit, Latinam linguam et Gallicam callet, poſt reditum, Miſſionibus in Prou. Xanſi, in confinibus Tatariae Tibetinae vacat. Cum illo litterarum commercium Noſtro intercedit. p. 170.

Adducit vero, quae Sinenſis ipſi ſcripſit, in Regno Hami, Tatariae Tibetinae, plura eſſe loca, vbi terra ſapore prodit nitrum, aut ſal commune, aut boracem, aut Kien, quo nomine ſapo Sinenſibus venit. Itaque fodiendo eruitur id, cuius ſaporem terra oſtenderat, aut ex terra effoſſa coquitur, borace excepto, qui non excoquitur, ſed natiuus reperitur. p. 171.

8) *Kien*, a Cl. GRILL acceptum, chymicis p. 172.
inprimis artibus examinat GVSTAVVS AB ENGESTROEM; Colligit, eſſe verum alcali minerale, cui admixtum ſit pauxillum materiarum peregrinarum, acidi ſalis, phlogiſti, ferri, calcis, argillae; Proxime accedere ad materiam, quam nomine minerae p. 179.

rae boracis ex Tranquebar, accepit POTT Obſ. Chym. Collect. 2. p. 59.

p. 179. 9) *Obſeruanda dum hordeum vere ſeritur*, docet L. Baro IO. BRAVNER, Conſiliar. Camerae. Perit ſaepius, quod ſatum eſt, ob tempeſtatem, iuſto diutius, ſiccam. Itaque ſuadet, vt ſemini aqua ſuperinfundatur, cuius ope, tam leuiora ſemina plantarum inutilium, ſupernatantia, ſeparantur, quam hordeum ipſum liquorem imbibit, et ita madens, germina ad modum malti emittit. Ita ſatum, experimento Noſter edoctus eſt, ſiccitatem aëris et agri ſatis magnam tolerare, et nihilominus, pluuia ingruente, laete prouenire.

p. 183. 10) De *parallaxi ſolis ex Venere in ſole* 1769; agit ANDR. PLANMAN, Prof. Phyſ. Oboenſ.

Trimeſtre tertium.

p. 193. 1) *Hiſtoriam coniunctionum mercurii cum acidis ſalium* concludit, TORBERN BERGMAN *). Agit hic de mercurio dulci, et ſublimato dulci. Praeter ea, quae ex ſcriptoribus adducit, monet,
p. 197. aurum quidem non albeſcere ab adfrictu mercurii dulcis; ſed communem eſſe errorem, et a nemine, quem ſciuerit, notatum, quod hinc diiudicari poſſit gradus dulcificationis. Nam, et mercurium ſublimatum corroſiuum, ſi purus ſit, et recte praeparatus, non mutare colorem auri. Errorem forte inde natum eſſe, quod mercurius ſublimatus cum argento viuo ſuperfluo tractatus, poſt primam operationem interdum adhaerentes habeat globulos mercuria-

*) Eruditae huius diſſertationis partes duae priores leguntur in annis 1770. 1771. v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 289.

mercuriales; ita adfrictus auro, veſtigia alba relinquit, ceterum de gradu dulcificationis hinc nihil iudicari poteſt. Sublimatum dulce, rurſus corroſivum reddere, pauci chymicorum ſuſceperunt. Noſter refert, quae tentarint B. SCHEFFER et PATRICIVS HILSTROEMER a Conſil. Commercior. Fruſtra cum acido ſalis triturauerunt mercurium dulcem et poſt ſublimauerunt, ſed vnam partem ſalis communis, duas vitrioli non calcinati, et vnam mercurii dulcis, commiſcendo, et ſublimando, perfecte corroſiuus obtentus eſt. Qua de re vt eo certius conſtaret, hic mercurius corroſiuus, conſueto more dulcificatus eſt, et rurſus corroſivus redditus. Hinc ſequitur, vt non neceſſarium ſit acidum nitri, ad mercurium corroſiuum. Iam de cauſſis, cur notis operationibus corroſiuus reddatur mercurius, profitetur, non omnino conſtare, plurimum tribuit illis, quas reddidit Cl. MACQVER in *Dictionaire de Chymie.* p. 201. p. 202.

2) *De viribus, quae faciant ad mundum viſibilem in ſtatu ſuo conſeruandum*, ſecundam partem edit DANIEL MELANDER Aſtr. Prof. Vpſal. Oſtendit inprimis, ſi adſumatur lex virium, diuerſa ab ea, quae in natura obtinet, reciprocae duplicatae diſtantiarum, planetas non poſſe circa ſolem reuolui in orbitis in ſe redeuntibus, ſed vel perpetuo ad illum accedere, vel in infinitum digredi. p. 206.

3) *Parochiam* Kuſamo *in parte Lapponiae* Kemi *appellata, deſcribere pergit* M. ELIAS LAGVS. Hic de incolis agitur. Clima valetudini bonae egregie conuenire videtur. Etiam infantum et iuuenum infra 15 annos multo pauciores pro numeri ratione moriuntur, quam alibi, partim eam ob cauſſam, quod ob habitationes familiarum mul- p. 222.

 tum

tum inter ſe diſſitas variolarum contagium non facile late ſerpat.

p. 229. Medicinae parum periti ſunt; remedii domeſtici loco aduerſus mala interna eſt ſpiritus frumenti, herbis amaris infuſus. Caſtoreum, intus adſumtum aut tabaco admixtum, tuſſim et pectoris dolores lenire dicitur; cauda caſtoris, aduerſus mala externa vtuntur; venam ſecant, interdum cultro vulgari; intertriginem, fuligine tegunt, vulnera ab acie ferri aut lignis acutis nata, percae fluuiatilis pinguedine illiniunt. Balneis vtuntur ad valetudinem et voluptatem. Lappones olim magicis artibus praeſtitiſſe traditur, ſed illae iam omnino deperditae ſunt.

p. 236. 4) *Perdicium laeuigatum*, deſcribit PET. ION. BERGIVS. Quarta huius generis ſpecies eſt, addenda tribus, quas habet Ill. A LINNE. Nomen ſpecificum habet; P. (*laeuigatum*) floribus ſubradiatis, caule ſuffruticoſo, foliis lanceolatis acutis integerrimis. Squamae calycinae poſt caſum ſeminum vndique reflectuntur. Habetur etiam icon duorum ramorum plantae naturali magnitudine. Eſt in collectione, quam in America inſtituit CAR. FRID. PIHL, Chirurg. Studioſ. reperta ad Portum bellum (*Portobello.*)

p. 239. 5) *Bulbos calcareos, cryſtallinos, ad Echinos petrificatos* reducit IO. ABR. GYLLENHAHL Auſc. in Coll. reg. metall. Sunt, qui vocantur Aetites marmoreus LINN. *Syſt. N. ed. XII. T. III. p. 179.* Cryſtalli pyramidales concreti CRONSTEDT, *miner. p. 11.* Argumenta quibus haec foſſilia ad petrefacta echinorum reuocat, potiſſimum deſcriptione et figurarum explicatione nituntur, vt breuiter tradi nequeant.

6)

6) *Obſeruationes acu magnetica inclinatoria in itinere maritimo ab vrbe Götheborg ad Sienam et in reditu* inſtitutas recenſet CAROL. GVST. EKEBERG Capitaneus Admiralitatis regiae et Societatis Indicae Orientalis. p. 262.

7) *Secale ſementis cauſſa fumigandum* commendat L. B. IO. BRAVNER. Exiguo calore, ſed fumo maiore, durantibus 24 horis ſiccatur, cum refriguit, ſeritur, atque in ſementem anni ſequentis ſeruatur. Vſus eſt, vt a tempeſtate pluuioſa, quae in ſationis tempus inciderit, non pereat; fructus etiam copioſiores ferre et tutius eſſe ab inſectis grana vaſtantibus, dicitur. p. 276.

8) *Obſeruationes circa axungiam animalium* edit ANDR. IOH. HAGSTROEM, Stud. Med. et Chirurg. Reiiciendas iudicat omnes axungias, quae facile rancidae fiant, difficilius haberi aut ſeruari poſſint, et ipſae nauſeoſae ſint, vt humana. Itaque has ſolas retinendas cenſet; Axungias Canis, Porci, Anſeris, Viperarum; quam in Suecia refert ſumi ab anguibus ibi vulgaribus. Sperma Ceti ad ſeba refert. Axungiis vero recte credit adnumerari butyrum recens, inſalſum. Praecipuus ſcripti ſcopus eſt, commendare axungias, vſui interno, cui adhibentur olea expreſſa. p. 278. p. 279.

Cui ſcopo duas formulas praeſcribit huius tenoris: 1) Rec. Axung. anſer. recent. vnc. II. trituretur cum Gummi Arab. vnc. dimid. vel q. ſ. in aquae fontanae libr. j; D. S. *Solutio cum Gummi.* 2) Rec. Axung. Anſerin. vnc. ij Vitell. ou. No. 2. Aqu. font. libr. I; M. bene tritur. D. S. *Solutio* cum Vitello oui. Vnicum oui vitelli partes pingues non ſatis cum aqua coniunctas tenet. Vitellum oui melius continebat particulas pingues quam gummi, citius p. 281. p. 281.

 vero

vero aceſcebat. Sapor ſolutionis c. vit. ouor. multo amoenior; vt cum emulſione optimi ſaporis comparari poſſit; alterius ſapor nauſeoſus. Camphora in his ſolutionibus ſoluitur, vt in oleis expreſſis, melius tamen, vt videtur, in vitello oui. Eadem ſolutio cum vitello oui, melius cum oleis expreſſis miſcetur.

p. 282. Hae ſolutiones minus adficiuntur ab adfuſo acido vitrioli concentrato, quam olea expreſſa, ob acidum aquoſo dilutum. Haec ſolutio in omnibus illis caſibus vtilis eſt, vbi oleum expreſſum indicatur, itaque in doloribus colicis, teneſmis; cet. Ipſe in ſuo corpore tuſſim rheumaticam, emulſione ex axungia anſeris, vitello oui et pauculo mellis ſanauit.

p. 283. 9) *Ramos Pinus abietis* L. *pecori nutriendo aptare* docet L. Baro E. G. OXENSTIERNA. Rami in partes tenuiſſimas, quam fieri poteſt, ſcinduntur, admiſcentur culmi cerealium ſecti, et foenum. Ita inde ab autumni initio 1771 ad verem 1772 nutrivit Noſter, boues, vaccas, vitulos, auenae pauxillo adiecto etiam equos. Animalia omnia bene valuerunt, neque lac ſaporem reſinoſum prodidit.

p. 285. 10) *Obſeruata circa tritici ariſtas uſtilagine tactas* edit DAN. MELANDER. Ariſtae hoc vitio plerumque humiliores erant ſanis; Ex eadem radice, id quod ſollicite examinauit, adeoque ex eodem grano natis pluribus culmis, ariſtarum, aliae morboſae erant, aliae ſanae, illae ſemper humiliores, et in manipulo 7 aut 8 culmorum, eidem radici inſiſtentium, quo altiores erant culmi, eo minus morboſae, altiſſimae omnino ſanae. In eadem ariſta, alia grana ſana erant alia morbida, rurſus obſeruata lege, vt quo propius culmi altitudo ad ſanorum altitudinem

titudinem accederet, eo minus morboſorum contineret ariſta. Cum pars agri arenoſa eſſet, in illa multo plures ariſtae morboſae repertae ſunt. Ariſtae huius tritici non ortae, niſi ſub initium Iulii, poſt quod tempus nullae fuerunt noctes frigidiores, quae ſolent alias in regionibus borealibus ſementem occidere.

Itaque colligit Noſter morbum illum, non naſci a frigore, aut tempeſtate, cum ſeritur, aut ſpecie tritici, quod ſeritur; His enim poſitis credit ex vno eodemque grano non poſſe naſci ariſtas ſanas et morboſas. Difficultatem etiam hinc naſci iudicat aduerſus eos, qui contendunt morbum eſſe ab inſectis, quae ouula in grana, quae feruntur, depoſuerint, etſi hoc negare nolit, ſed vlteriorem inueſtigationem commendet. p. 287.

Trimeſtre quartum.

1) *Inſtrumenta duo, inclinationi acus magneticae menſurandae idonea* deſcribit, IO. CAR. WILKE. Sunt illa, quibus in itineribus ſuis vſus eſt, Cl. EKEBERG (Trim. III. diſſ. 6.) ex cuius obſeruationibus varia ſimul deducuntur, inprimis ad emendandas lineas, inclinationibus acus indicandis in tabula olim edita deſcriptas (in Actis anni 1768). p. 287.

2) Diſſertationem de *durabilitate mundi viſibilis tertia parte* finit, DAN. MELANDER. Vberius oſtendit, planetas in orbibus conſtantibus circa ſolem reuolui non poſſe, ſi alia fingatur attractionis lex, quam, quae re vera obtinet, in reciproca duplicata diſtantiarum; Fixas vero remotiores eſſe, quam vt vel ipſae ſenſibili modo motus noſtri ſyſtematis turbent, vel a noſtro ſole turbari poſſint. p. 307.

p. 307. 3) *De* Pounxa, *borace natiuo* refert IO. ABR. GRILL, quae habet a Sinenſe nominato Trim. II. diſſ. 7. Effodi in regno Tibeth, profunditate 2 vlnarum. Trium ſpecierum eſſe *Houi Poun* magnitudine granorum Mannae; *My Poun* ſimile fabis paruis albis; *Pin Poun* ex cryſtallis ſemipellucidis, iuglandis magnitudine conſtans. Natiuum reperiri, non coqui; purificari tamen ope aquae ebullientis, fere vt nitrum.

p. 321. 4) *Idem* Pounxa, examinat GVSTAV. AB ENGESTROEM. Verum Boracem eſſe oſtendit, et varia adfert, ad accuratius examen terrae, quae minera boracis appellari poſſit, materiae, quae *Tincal* vocatur, eorum, quae Sinenſes faciant ad purificandum boracem pertinentia, quorum multa, non niſi coniecturae ſunt.

p. 329. 5) *Philine quadripartita*, *nouum genus molluſcorum marinorum* deſcribitur et depingitur a PETR.
p. 330. ASCANIO M. D. et Prof. Charlottenburgi. Character genericus eſt: Corpus ouatum, conſiſtens, hyalinum, plica laterali, longitudinali, clypeo pectorali conchaeformi reperitur in mari Noruegico prope *Arendal*, in ſinubus quietis maris, ad profunditatem 30 aut 40 hexapedarum. Cum mare ſatis longo tractu boream verſus ab eo, quem diximus, loco, inſtrumento, quo ex profundiſſimis locis res attolli poſſunt, examinaret, nunquam alibi idem animal reperit. Viuum ſeruauit plures dies in aqua marina, ſed quietum ſemper iacuit in fundo vitri, vt, cum nullos motus ederet, difficulter tandem pectus et dorſum, os et anus agnoſcerentur. Intus habet quatuor oſſicula, vnum conchiforme, tria altera ſcaphoidea, membranae ope cohaerentia, quae Noſtro videntur dentes in ventriculo. Ceterum de

de oeconomia animalis nihil omnino experiri potuit.

6) *Morbi infantum ſtrangulatorii hiſtorias* quasdam edit E. D. SALOMON; Med. et Chir. Studioſ. Suecis *Strypſjuka* appellatur. De nouo morbo, nec ſatis noto, quae potuit, collegit Equ. A. ROSENSTEIN, in libro de morbis infantum. (Qui hunc librum germanicum reddidit, Cel. MVRRAY, Prof. Bot. Gotting. morbum: die *häutige Bräune* appellauit. Eſt enim cauſſa eius membrana peregrina, in interiore aſperae arteriae cauo nata.) p. 332.

Caſuum, quos prolixiſſime Noſter enarrat, quatuor ſunt, duo priores aegri mortui ſunt, reliqui duo conualuerunt. Generalia morbi phaenomena ſunt, reſpiratio difficillima, tuſſis vehemens, ſonitus, quem cum illa gallinarum voce, quam Germani *pipen* appellant, comparant. In primi aegri, pueri quatuor annorum, cadauere haec inprimis viſa: Muſculi colli anteriores cum tunica celluloſa alte rubentes, ſanguine tumentes. Aſpera arteria intus et extus tota inflammata, vſque ad pulmones. In eius cauo, duas circiter lineas infra glottidem, reperta membrana alba, cum maculis rubris, totam ſuperficiem internam exacte inueſtiens, ea facile ſcabendo ſeparari poterat, vt, quae nuſpiam adhaereret membranae villoſae laryngis, ſed illi ſaltim incumberet, neque membrana villoſa vllibi laeſa erat, aut putrida. Illam membranam peregrinam comparat Noſter papyro tenuiſſimae, quae aquam imbiberit. p. 334.

Continuabatur autem per omnem tracheam, in progreſſu craſſeſcens, vt, ad initium bronchiorum, triplo craſſior eſſet, quam ad laryngem. In ambobus bronchiis apparebat adhuc membrana, ſed tenuior, vbi in pulmones progrediuntur, attamen p. 335.

 veſtigia

veſtigia membranae animaduertebantur vſque ad extrema vaſa aërea. Intus et extra membranam, quibusdam in locis aqua ſpumeſcens, nullibi pus. Pulmonibus nulla inflammatio, erant vero ſangui-ne pleni. Circa vaſa aërea velut glandulae induratae, inprimis vbi bronchia pulmones intrant. Cor ſanguine vacuum, attamen ſanum, vna cum viſceribus abdominis.

p. 337. Non diſſimilia viſa in cadauere altero. Iis, qui conualuerunt, inprimis profuerunt, venae ſectio, hirudines et veſicatoria applicata parti ante-
p. 339. riori colli, emetica. Palmarium, quod ex his hi-
p. 343. ſtoriis colligit, qui eas refert, hoc eſt. Vrinam albidam et muco plenam indicare, quod membrana in arteria aſpera formata ſit, itaque tum prodeſſe emetica, quae, ſi adhibeantur cum inflammata eſt aſpera arteria, membrana autem nondum ab illa ſeparata, ſuffocationem, hic tantopere metuendam, magis promotura ſint, quam impeditura.

p. 344. 7) *Relationi praecedenti* quaedam *addit* ABR. BAECK M. D. Arch. Reg. inprimis ad hiſtoriam primam ſupplementa, cuius aliqua etiam repetit.
p. 346. Membrana arteriam aſperam inueſtiens in aqua natauit more muci firmius inſpiſſati. Pulmones liquido pleni, ſecti oſtendebant ſpumam fuſcam. Morbus infantum ſtrangulatorius, ſub finem Septembris, item fluentibus Octobri et Nouembri, in pluribus familiis infantes adgreſſus erat, et eos occiderat. Ex hoc ſtatu epidemico, collatis, hiſtoria morbi, ex iis, quae in cadauere obſeruata ſunt, colligit Noſter, inchoatam fuiſſe formationem mem-
p. 346. branae in arteria aſpera; quae, ſi continuaſſet adfluxus humorum, ad eam tubi firmitatem et conſiſtentiam creuiſſet, quae in infantibus, morbo ſtrangulatorio defunctis, plerumque reperitur. Geneſin

ſin eiusmodi membranae, concipit ex muco, qui in ſtatu naturali interiora arteriae aſperae obducit; eum cogitat, adfluxu maioris copiae humoris viſcidi, denſari, et inflammatione ac irritatione ſuperficiei interioris arteriae aſperae in tubum firmiorem abire, qualem lineae craſſitudine vidit, nec adeo facile ſeparabilem, is in concauitate velut particulas exiguas quadrangulares, ex quibus compoſitus eſſet, oſtendebat, aequales illis, quae in epidermi- p. 347.
de manus obſeruantur, in conuexo, quod interiorem aſperae arteriae faciem reſpicit, aequabilior erat eius ſtructura, nullis eiuſmodi quadrangulis diſtincta.

Porro ex caſibus enarratis infert Noſter, non ſemper circa membranam peregrinam in arteria aſpera pus reperiri, aut mucum, quibus tandem ab arteria aſpera ſepararetur. Aegros forte vita functos eſſe, antequam craſſior eiuſmodi membrana ſe a ſuperficie interna aſperae arteriae ſeparaverit, et puris copia aliqua nata fuerit. Etſi enim in iis qui morbo ſtrangulatorio perierunt, ſaepius nulla inflammatio reperta eſt, nec pulmonem, nec aſperae arteriae, concipit tamen initio, et cum aegri anguntur, ardore, febre, quam pulſus indicat, coryza, tuſſi, reſpiratione difficili, pulmones eſſe in maiore aut minore gradu peripneumoniae; itaque morbum ſub initium habere ſtadium inflammationis; vbi proſint, venae ſectio, hirudines, lenia et refrigerantia laxantia. Ita leuari inflammatio- p. 348.
nem, quae et ipſa mortalis eſſe queat, et forte multum faciat ad geneſin membranae. Qua inflammatione leuata, ſi non nata ſit craſſior membrana, quam, quae diſſolui et eiici poſſet, a vaporibus ſambuci, aceti cet. inſpiratis, et emeticis, ſpem eſſe ſanandi aegrum. Craſſiorem vero membranam abſque vllo auxilio aegrum ſuffocaturam; id vero

forte

forte etiam facere poſſe membranam, diſſipata, medicamentorum ope, inflammatione, vt nihil eius in cadauere animaduertatur. Id monet contra exterum aliquem celebrem medicum, qui morbum pro febri catarrhali habeat, vbi mucus in membranam condenſetur.

Porro hinc colligit, Noſter, quam diu adſint ſigna inflammationis, periculoſa eſſe emetica. Olim iam morbum, qui nouus videtur, adfuiſſe non dubium eſſe; non obtuliſſe vero ſe membranam,
p. 349. medicis nihil tale cogitantibus, itaque morbum habitum eſſe pro angina gangraenoſa, aut alio colli malo. Multum cum illo commune habere anginam inflammatoriam, quam deſcribit RYSSEL in libro *The oeconomy of Nature* Lond. 1773.

p. 349. 8) *Parochiae Kuſamo deſcriptionem* continuat ELIAS LAGVS. Iam naturae hiſtoria. Parum no-
p. 350. tatu digni de lapidibus et regno minerali. Arbores, nec procerae, nec craſſae, quod ſitui montano tribuit, cum maiores habeant, in regionibus aeque aut magis borealibus, ſed minus montoſis. Plantae multae, quales expectari poſſunt in copio-
p. 352. ſis loci paludibus. Sed et *Vaccinia, Oxycoccus, Vitis Idaea, Myrtillus. Rubi Chamaemori* fructus dolet non diligentius colligi et condi ab incolis; plurimum enim proſunt contra ſcorbutum, itaque deſiderantur a Ruſſis, ad inſulas maris glacialis ad animalia capienda proficiſcentibus, quibus hyems frigida, humida, otioſe inter pericula a feris tranſi-
p. 353. genda eſt. Flora Kuſamenſis, non omnino floribus pulchris orba. Vrtica dioica hic ad plantas rariores pertinet. Auium et piſcium magna, tum
p. 357. copia, tum varietas. *Salmo Salar* et *S. Eſox*, in quibusdam fluuiis aeſtate deſcendit, cum alias eius mos ſit adſcendere, forte quod habitatione ſua ſuperiores

periores

periores fluuios non reperiat. In fundis flumi- p. 358. num habitat *myas margaritifera*, ſaepius vniones immaturos continens, rariſſime maturos.

9) *Diſſertationi de Parallaxi ſolis* Trim. II. edi- p. 358. tae quaedam addit ANDR. PLANMAN.

10) *Structuram granis ſiccandis* item *polentae* p. 368. *idoneam* edit PETR. WASSTROEM. Grana imponuntur tabulae ferreae minimis foraminulis pertuſae. Ea fundo prope furnum aliquem impoſita, calefit ope tuborum ex lateribus ſtructorum, per quos calor circumducitur.

11) *Conos truncatos computare* docet ZACH. Z. p. 370. PLAVTIN, Menſurarum et ponderum inſpector eum in finem, vt, quantum ferri infuſi pondus eiuſmodi capiat coni cauitas, conſtet, quo poſſint formae conſtrui, ponderibus ex ferro faciendis idoneae.

X.

A Treatiſe on the Kinkcough. With an Appendix, containing an Account of Hemlock, and its Praeparations. By WILLIAM BVTTER, M. D. Fellow of the Royal College of Phyſicians, Edimburgh. — London: Printed for T. Cadell. MDCCLXXIII. 8. mai. pagg. 206. praef. pagg. 5.

i. e.

Tractatus de tuſſi conuulſiua, cum appendice de cicuta eiuſque praeparatis, auctore GVILIELMO BVTTER.

In

In praefatione primum in Cl. FOTHERGILL methodum huic morbo medendi *) inuehitur Noſter, poſteaque teſtimonium Cl. ELIOT adiungit, cicutam in tuſſi ſine febre, adeoque in maraſmo, modo haec abſit, fruſtra prius in vſum vocato lacte aſinino ipſoque humano, ſummum remedium exſtitiſſe.

Opus ipſum in ſeptem capita diuiſum eſt, quorum primum ſynonyma, definitionem, deſcriptionem et prognoſin morbi noſtri; ſecundum eius naturam; tertium eius ſedem; quartum cauſſas; quintum hiſtoriam cicutae, quatenus vt remedium aduerſus eum conſideratur; ſextum curationem morbi huius ſimplicis aeque ac cum aliis complicati; ſeptimum denique corollaria complectitur.

p. 3. Inſpirationem ſtridulam plerumque in morbo noſtro adeſſe monet Auctor, huncque, ſi ſymptoma hoc abſit, tuſſim conuulſiuam imperfectam nominat. Viuidam et exactam morbi huius deſcriptionem exhibet, qui in principio catarrhi ſpeciem mentitur, ſed poſt aliquot dies, interdum poſt tres demum ſeptimanas exaſperatur; paroxyſmi periodici quidem ſunt, ſed aliis ſubiectis crebrius, in aliis tardius recurrunt: ſub iiſdem ſymptomata adeo ingraueſcunt, vt ſuffocationis metum portendant, donec expectoratio aut vomitus pituitoſus accedat; interdum paroxyſmus eo intenditur, vt totum corpus rigeſcat, lipothymia accedat, et aeger mortuus videatur, gradatim demum ſuſpiriis ac ſingultu redeunte reſpiratione. Sanguis ex oculis, naſo, pulmonibus aut ventriculo exiens paroxyſmum leuat, aeque ac vrina feceſque inuoluntarie emiſſae. Paro-

*) Vid. Medical Obſervations and Inquiries by a Society of Phyſicians in London. Vol. III. p. 319. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 149.

Paroxyſmi noctu grauiores ſunt: excitantur protinus a paſtu nimio, potu frigido, refrigerio, motu celeriore, aut quocumque vehementiore animi affectu. Praenunciantur ſignis quibusdam, quae nonnumquam quatuor ante horis accedunt, ex quibus frequentiſſimum eſt peculiaris titillationis ſenſus aut in ſcrobiculo cordis, aut in pectore, aut in larynge. Infantes adeo, his ſignis praemoniti, obſtinate cibum potumque repudiant, variiſque modis paroxyſmum praeuertere tentant. Morbus hic plerumque tres circa menſes durat, quamquam tuſſis ſimplex ſaepe diu remanet. Facile idem reuertitur, tunc autem breuioris durationis eſt. In euentu fauſto paroxyſmi ſenſim mitiores fiunt et tardius accedunt, vomitus ceſſant, ſputa magis cocta redduntur, artus calorem naturalem, cutis perſpirabilitatem, corpus totum robur ſucceſſiue auctum acquirunt, aluo libera et interdum laxa. Infelix exitus vel violentiae paroxyſmorum, vel nimis longae durationi morbi adſcribendus eſt: terminatur vel ſuffocatione aut conuulſione in paroxyſmo, vel apoplexia, vel phrenitide; producit etiam hydropem, memoriae abolitionem, hernias, prolapſum inteſtini recti, abortus, inflammationes et exulcerationes pulmonum, ſimilesque morbos. Haemorrhagiae, quamquam paroxyſmos leuant, frequentiores tamen morbum protrahunt et vires exhauriunt. In epilepticis vel ſimili morbo affectis, iis quibus pulmones debiles ſunt, qui alio morbo vel laborarunt, vel actu laborant, ſpeciatim verminoſis, dyſentericis, varioloſis et morbilloſis, vel vbi peripneumoniae ſymptomata morbo Noſtro ſe iungunt, periculum maximum eſt.

Morbus hic epidemius eſt, praeſertim inter infantes, potiſſimum eos infeſtans, qui numquam eo labora- p. 13.

laborarunt, communiſſimus vere et auctumno, contagioſus, imo aeque ac alii morbi huius claſſis in alias familias, vrbes, imo trans mare propagandus: minoris tamen efficaciae, quam variolae ac morbilli in aggrediendis iis, qui ex eodem in teneriore aetate euaſerunt. Febris eidem eſſentialis non eſt: quare ad inflammatorios non pertinet. Ex morbi igitur deſcriptione, nocentibus ac iuuantibus ſimul perpenſis, patet, eum morbis neruoſis ſpaſticis annumerari debere; et morboſam irritabilitatem glandularum mucoſarum primariam horum ſpaſmorum cauſſam exiſtere.

p. 20. Iam accedimus ad ſententiam Noſtri de ſede ſpeciali huius morbi, quae eo reddit: continuam eam membranam, quae aeque totum canalem inteſtinorum ac pulmones interius inueſtit, in genere ſuſcipere particulas contagioſas morborum epidemicorum, ſed ſingulas eius partes ſpecifica ratione ſingularibus morbis fauere: anginam membranam faucium; morbillos, pulmonum; variolas, ventriculi; febres intermittentes, duodeni, afficere cet. inde membranam inteſtinorum morbi noſtri ſedem conſtituere. Argumenta ad confirmandam hanc ſententiam depromit ex ſubiectis huic morbo maxime obnoxiis, infantibus, quorum plerique morbi ex primis viis oriuntur; ex remediis, quae huic morbo accommodatiſſima ſint; ex morbis, quae ex hoc originem ducant, ſi pertinacior fuerit, ſcrophulis nempe et rhachitide, quos ex deprauato viſcerum abdominalium ſtatu oriri nemo ignorat; tandem ex analogia inter noſtrum et alios periodicos morbos, quorum ſedes indubia ſit in inteſtinis: qua occaſione hiſtoriam colicae verminoſae, definita hora ſingulis noctibus recurrentis, largae excretionis vrinae, itidem ſingula nocte redeuntis,

tis, a deprauatis primis viis ortae et purgantibus cardiacisque curatae, ac denique ophthalmiae periodicae, quam ophthalmiam choroideae quotidianam intermittentem dicit, et quae, praemiſſis et ſubiunctis ſolitis remediis aduerſus ophthalmias praeſcriptis, pilulis aloeticis cum opio, ſucceſſiue quantitate aucta, purgantibus, ac denique roborantibus, inprimis Peruuiano cortice, curata fuit, addit. Denique paucis argumenta eorum refutat, qui aut in pulmonibus, aut in ventriculo ſedem mali quaeſiuerunt.

Inter cauſſas praediſponentes primum locum tribuit ſingulari irritabilitati ſyſtematis neruoſi, quae infantibus propria eſt: neque tamen aliae negligendae ſunt, nimirum diſpoſitio haereditaria ad morbos ſpaſticos; hi ipſi actu praeſentes; ſaburra copioſa primis viis inhaerens; vermes; dentitio; refrigerium; ac denique morbi acuti in genere. Occaſionales cauſſas ad vnicam reducit, nimirum miaſma ſpecificum, neruis inimicum (aeque ac in aliis morbis contagioſis), et potiſſimum in mucum agens. Vti reliqui morbi iſtius claſſis calidiorum regionum ſoboles dici merentur, ſic noſter Europae endemius habendus eſt. Sicut dyſenteria ſponte gignitur in corpore, ad eam diſpoſito, et inde demum contagio propagatur: ſic idem in noſtro morbo fieri Noſter exiſtimat; aëri atmoſphaerico nihil hic tribui poſſe, vel inde concludas, quod eiuſdem mutatio ad curandum morbum inutilis ſit, ſi ab eo emolumento receſſeris, quod ab hac mutatione in alios quoque morbos, praeſertim neruoſos, proficiſcitur. Cauſſam, cur morbus raro plus vna vice hominem aggrediatur, in eo ponit, quod per eum ipſum, et multo magis per auctum incrementum corporis, p. 49.

 conſti-

conſtitutio huius ita mutetur, vt ad ſuſcipiendum denuo contagium ineptum euadat.

p. 60. Recenſet poſtea viginti hiſtorias morbi huius, quem partim ipſe, partim amici quidam tractauerunt, in quibus cicutae vſus ſalutaris inuentus eſt: neque morbus in omnibus ſimplex erat, ſed ſaepe complicatus cum variolis, dentitione, vermibus, febre intermittente, graui hanc excipiente diarrhoea, quae laudani vſum poſcebat. Ex omnibus aegrotis vna femina grauida adultioris aetatis erat, reliqui omnes infantes, et ex his quidam adhuc lactantes: vnicus puer ex pauperiori hominum claſſe (ex quibus ſi non omnes, ſaltem plerique, fuiſſe videntur) febre lenta iam detentus, poſtquam tuſſis conuulſiua per aliquot dies plane diſparuerat, moriebatur;
p. 116. aliud exemplum legimus in caſu decimo ſeptimo puellae, quam in hiſtoria morbi Noſter dicit con-
p. 159. valuiſſe, in epicriſi vero horum caſuum ex neglectu auxiliorum aduerſus febrem intermittentem praeſcriptorum in tuſſim lethalem, inflammatis ac poſtea exulceratis pulmonibus, incidiſſe refert.

Reliquas mutationes iam miſſas facimus, quo ad praecepta de curatione morbi noſtri progredi
p. 164. queamus. In morbo ſimplici extractum cicutae in aqua ſolutum propinandum eſt, paruis, ſed crebro repetitis doſibus, ita, vt medicamentum ſingulis viginti quatuor horis recens paretur; doſis vel ſingulis, vel alternis diebus augenda, donec vires exſerat. Doſis autem huius extracti pro infante nondum ſex menſes nato ſit in principio grani dimidii in vncia vna aquae fontanae, ſufficienter edulcoratae; a ſex menſibus ad duos annos grani vnius in ſeſquiuncia aquae; a duobus ad quatuor annos granorum duorum in totidem vnciis aquae, et ſic ad

ſingulum

ſingulum annum augmento grani dimidii: aetas viginti annorum grana decem in principio fert. Vehiculi vero diſpar ratio eſſe poteſt: minima doſis vnius, maxima octo vnciarum. Poteſt etiam exhiberi in forma pulueris, boli aut pilularum. Si alvus non rite reſpondet, addetur mixturae conueniens portio magneſiae aut ſalis polychreſti: adultis datur infuſum ſennae, aut ſal polychreſtus, aut pilulae aloeticae. Victus animalis parciſſimus ſit vel nullus, exulet etiam potus fermentatus. Si vermes ſimul adſunt, maior adhuc cura haberi debet alui apertae ſeruandae. Morbi noſtri cum dyſenteria ſociati exemplum olim vidit Noſter, quae ſolo largo vſu ſyrupi papaueris albi tandem, vincebatur: neque vero tunc cicutam alienam fore arbitratur. In dentitione multum commendat ſcariſationem gingiuarum. Si febris intermittens, cum morbo noſtro coniuncta eſt, cicutae vſus vtrumque morbum vna debellat. Eamdem in variolis ſimplicibus prodeſſe, ſub ipſum principium febris eruptionis exhibitam, purgatis primis viis, duobus exemplis vidit Noſter, et ex inoculatoribus quibuſdam audiuit, tuſſim conuulſiuam non eſſe timendam in inoculatione ſuſcipienda, eaque ipſa quodammodo mitigari. Periculoſior complicatio eſt morbi noſtri cum morbillis, cuius tamen Noſtro exempla nulla obuenere. Tandem etiam graviditatem, cui ille ſuperueniens omnino mali ominis cenſendus eſt, cicutae vſum ferre primo ſtatim ſupra allegatorum caſuum pateſcit. Haec demum p. 178.
omnia in corollariis ſubiunctis colliguntur, exque his concluditur, cicutam curare morbum noſtrum facile certe, cito et iucunde.

In appendice primo cicutae ſynonyma deſcri- p. 187.
ptioque botanica ampliſſima et exactiſſima exhibentur,

tur, et poſtea de praeparatis eiuſdem agitur. Melius eſt plantam prope ignem viuidiorem ſiccare, quam lente, quoniam inſignis eidem ineſt diſpoſitio ad fermentationem: ſi ſufficienter friabilis eſt, in puluerem reducatur ſubtilem, qui bene in lagenis clauſis ſeruatus per plures menſes efficacitatem ſuam retinet. Ad parandum extractum planta veſperi colligenda eſt, vt ſummo mane operatio incipi et non interrupto ordine continuari poſſit, et eo quidem tempore anni, vbi primum floreſcere incipit. Tota planta, excepta radice, concidenda et ligneo vel marmoreo mortario conquaſſanda eſt, ac demum pondere 5 vel 6 librarum ſingula vice exprimenda. Qui primum exprimitur ſuccus opacus eſt et profunde viridis, parci odoris; ſenſim vero vti colorem dilutiorem, ſic odorem fortiorem acquirit. Expreſſus ita ſuccus, quieti relictus, ſedimentum flaueſcens deponit, quod vero remouendum non eſt, quum ad euaporationem proceditur, quae optime fit in patina ampla vitrata, carbonibus imponenda. Antequam ſuccus calorem maiorem acquirit, pellicula viridis generatur, quae continua agitatione cum ramulo cicutae diſſipanda eſt, cauendumque, ne ebullitio oriatur, donec extractum mediae conſiſtentiae paratum ſit, cuius libra vna plerumque ex libris (*pints*) ſex ſucci obtinetur. Hoc extractum cum quinta parte pulueris commiſtum et per aliquot dies ſepoſitum, vt puluis aquoſas particulas extracti eo melius imbibat, maſſam pilularem praebet, quae in vaſis conuenientibus, qualia ſunt, quae in noſtra Germania *Steingut* dici ſolent, ad duos annos integris viribus ſeruari poteſt. Haec maſſa, ſi aegri in forma boli vel pilularum eam repudiant, ab octo ad octoginta grana et vltra commiſceri poteſt cum aquae fontanae vnciis octo, ſpiritus vini et ſacchari albi ſingulorum

vncia

vncia dimidia, quam mixturam quotidie renouari oportet. Infuſionem herbae recentis nonniſi ſemel tentauit Noſter, nimisque flatulentam inuenit. Ad emplaſtrum inde parandum praeſcribit gummi ammoniaci vncias octo, cum aceti communis libra anglica in mortario marmoreo vel ſupra lenem ignem ſoluendas, deinde colaturam cum vnciis quatuor maſſae pilularis coniungendam, et maſſam hanc leniſſimo caloris gradu ad conſiſtentiam emplaſtri euaporandam: ex aequalibus partibus maſſae pilularis et mellis, ſine calore mixtis, vnguentum: ex his varia proportione ceratum, linimentum, et addita aqua, clyſma, gargariſma cet. paratur. Duae partes pulueris, et vna farinae auenaceae, cum aqua parum ebullientes, addita ſub finem duodecima parte mellis; vel ſufficiens quantitas foliorum recentium cum eadem proportione mellis et ſufficiente copia farinae, cataplaſma; herbae recentis contuſae octo, vel celeriter ſiccatae tres vnciae, per quinque minuta in menſuris quatuor (*gallon*) aquae coctae, poſt refrigerationem colatae et tunc ſufficienter calidae redditae, quum vſus requirit, fomentationem largiuntur. Denique in vſum eorum, qui botanicam non callent, characteres accidentales, ex quibus plantam colligendam dignoſcere queant, recenſentur.

XI.

Animadverſions on a late Treatiſe on the Kink-cough. To which is annexed, an Eſſay on that Diſorder. — London, Printed for R. Baldwin, and I. Bew. MDCCLXXIV. 8. mai. pagg. 55. praef. pagg. 8.

i. e.

Animaduerſiones in nuperum tractatum de tuſſi conuulſiua. Accedit tentamen ſuper eodem morbo.

Vel ex ſolo titulo, cui ſubiunctum eſt lemma. *Nil praeter gelidas auſus conferre cicutas*, finis huius libelli patet, eo nimirum tendens, vt tractatum Cl. BVTTER refellat: quod quidem ſatis acri calamo perfecit ignotus auctor; num ſatis decenter, imo ſatis iuſte, penes eos eſto iudicium, qui propius Cl. BVTTER norunt. Nobis certe reprehen-
p. 4. ſio monopolii, quod is quaerat in extracto cicutae per totum regnum vendendo; eum olim ſibi tri-
p. 24. buiſſe methodum curandi calculum per iniectiones, quam poſtea Cl. WHYTT ſibi vindicauerit, cet. paullo durior viſa eſt. Sed ad ſingula momenta progrediamur. In praefatione Auctor querelas Cl. DE HAEN de dubio effectu cicutae ambiguoque euentu experimentorum cum ea captorum recoquit, et poſtmodum in tractatione ipſa primum Cl.
p. 1. FOTHERGILL defendit, deinde agyrtae in modum eum agere pronunciat, qui tuſſi conuulſiuae remedio ſpecifico, variis licet morbi cauſſis, conſtitutionibus, periodis, coniunctionibus cum aliis morbis cet. mederi intendat. Simili modo Cl. BVTTER nullo modo vtilitatem cicutae in variolis demonſtrare, caſusque adductos morbi adeo mitem gradum oſtendere, vt vel ſine cicutae vſu morbum profligandum fuiſſe putandum ſit.

p. 7. Accuratius ſingula ſcriptionis iſtius capita luſtrans monſtrat, ſynonymorum recenſionem admodum eſſe inperfectam, aeque ac deſcriptionem ac prognoſin; naturam morbi noſtri ab aliis iam Auctoribus,

ctoribus, et verius quidem accuratiusque, eſſe definitam; difficile eſſe probatu, inteſtina infantum eſſe irritabiliora reliquis corporis partibus, atque omnes eorum morbos ex primis viis proficiſci; neque ſcrophulas rhachitidemque ſemper effectum tuſſis conuulſiuae pertinacioris dici poſſe, quum iſta mala a vitiato relaxatoque habitu totius corporis pendeant, et Cl. BVTTER ipſe concedat, ſcrophularum ſedem eſſe in glandulis conglobatis, ſimul vero tuſſis conuulſiuae ſedem in inteſtinis quaerendam eſſe largiatur; falſum eſſe, omnes morbos periodicos ex abdomine ortum ducere, quum morbi topici periodici, ipſumque adeo adductum exemplum ophthalmiae, contrarium euincant; non omnia miaſmata morboſa in canali alimentorum primo éuolui, ſed venenum viperarum ſine noxa deglutiri, quod in vulnere lethale fiat, contagiumque varioloſum vero ſimilius per reſpirationem aliasque reſorptionis vias in corpus ingeri, inque inoculatione, priusquam febris oriatur, enecatione vermium pateſieri, ipſum in inteſtina agere; multiplicem eſſe confuſionem contradictionemque in ſcrutinio cauſſarum a Cl. BVTTER ſuſcepto; non in ſola Europa endemium, neque adeo recentem morbum eſſe, quum iam HIPPOCRATES et AVICENNA eiuſdem meminerint, et Cl. HILLARY eum in inſula Barbara (*Barbados*), non quidem aliunde huc delatum, viderit; glandulas mucoſas ventriculi atque inteſtinorum vnius eiuſdemque eſſe indolis, neque inde aerem, vere morbi fomitem continentem, per ventriculum tranſire poſſe, vt in inteſtinis demum morbum producat; errores denique in formanda indicatione ex falſa idea de morbo ipſo, iterumque, quid requiratur, ſi remedium quoddam ſpecificum dicere velis. p. 14.

p. 23. Deinde exempla curationum a Cl. BVTTER addita ſigillatim contemplatur, oſtenditque, ea omnia fidem, qua opus erat, non mereri; in aliis auxilia alia potiorem partem curationis abſoluiſſe, in aliis morbum non eſſe curatum, in aliis mortem potius, neglectis auxiliis magis accommodatis, inductam; abſonum eſſe, ſi dicat, nihil referre, ſub qua forma cicuta vtantur aegri, quum tamen mixtura praeſcripta nimis facile fermentationem ſubeat, et inde prorſus mutetur; denique ſi quid vtilitatis a cicuta exſpectandum foret, aegrorum ſaluti ipſa a Cl. BVTTER praeſcripta praeparatione conſuli, qua nonniſi quinta pars actiui, ſed noxii, medicamenti in vſum ducatur, meliuſque ideo ab eodem prorſus abſtineri, quum omnino tutiora ſuppetant.

p. 39. In ſubiuncto tentamine de hoc morbo prius Lectores, quid ab aliis auctoribus de eodem proditum ſit, ſcire cupientes, ad Cl. MILLAR *) amandantur, ac poſtmodum epidemice 1749 Londini et in adiacentibus locis graſſatus morbus deſcribitur. Sub initium veris, tempore humido et magnopere frigido, complures infantes vna aggrediebatur tuſſicula ſicca, qualis a refrigerio eſſe ſolet, ſed ſtatim ſubſequebatur excretio pituitae viſcidae; pulmones ventriculuſque indies magis aucta quantitate eiuſdem aggrauabantur, qua tuſſi et vomitu reiecta leuamen accedebat; donec rurſus cumulata pituita nouus paroxyſmus excitaretur, ſub quo infantes robuſti frequenter ſanguinem ex naribus fundebant, quemadmodum etiam interdum pituita excreta ſanguine

*) Obſeruations on the aſthma and on the hooping wugh. London 1769. 8. mai. cuius operis breuem recenſionem vid. in comm. noſtr. Dec. II. Suppl. IV. p. 695. ſeqq.

guine remixta erat; breui tamen corporis habitus leucophlegmaticus reddebatur. Morbus, ſi mitiſſimus erat, ſex hebdomadas, grauior vero duos, vel tres menſes, imo longius durabat. Infantes iuniores, qui pituitam excernendam deglutiebant, colica, diarrhoea, excoriatione circa anum vexabantur; accedebant ſiccitas cutis, pulſus celer et paruus, oedemata, et ceſſante ſenſim tuſſi, infantes peripneumonia ſpuria exſtinguebantur. Epidemia haec, per aliquot dies ſaepe pacata viſa, tamen recrudeſcebat, nec niſi verſus finem aeſtatis prorſus euaneſcebat. Morbi huius cauſſam ponendam eſſe in quadam diſpoſitione aëris, planum eſt et confectum, ſiue is repletus fuerit miaſmate quodam, quo humores ſeroſolymphatici acriores redditi largiorem ſecretionem irritatione vaſorum effecerint, ſiue is vi relaxandi ac debilitandi ſolida, fluidaque inſpiſſandi, praeditus fuerit; neque ergo miaſma iſtud glandulas mucoſas ſolas irritare, quae eſt ſententia Cl. BVTTER, vel exinde apparet, quia non mucus, ſed lympha ſpiſſior excernitur. Inde ſedem primam mali non in inteſtinis eſſe, docet neglecta euacuatio per vomitum, ex qua noua ſymptomata proficiſcuntur. Porro diſſeritur de irritatione nervorum, quatenus ea, vt cauſſa tuſſis, conſiderari debet, moneturque, ſi vna cum tuſſi neruoſa adſit viſcidum accumulatum, hanc nonniſi parciſſima doſi opiatorum, v. c. ab vna ad tres guttas laudani per diem, mitigandam, minime ſupprimendam eſſe: vbi igitur copioſa materies ſit aduerſus cicutae opio analogas vires diſputandi, duoque exempla adducuntur cicutae aduerſus ſcirrhoſos tumores mammarum ſiniſtro cum euentu vſurpatae, ita, vt aegre ſanitati reſtitui potuerint aegrotae. Ad prorſus debellandum morbum, tonumque ſolidis reſtituendum, purgatis ſufficienti modo primis viis,

tinctura cantharidum, aut camphora, aut cortice Peruuiano, aut antimonialibus, aut his vario modo inter ſe iunctis, vtendum et parciſſima doſis laudani per interualla interponenda eſt. Venaeſectio in plethoricis et ſub haemorrhagia narium, aut ſi ſanguis pituitae immixtus eſt, ſed nonniſi ſumma cum cautione adminiſtrari debet. Ad vomitum ciendum antimonialia reliquis praeſtant, quibus quotidie conueniens doſis rhei et ſalis polychreſti ſubiungatur, adhibitis ſimul tonicis et lenientibus ſupra dictis. Sin autem primae viae non ſatis purgatae fuerint (quod periodum ſecundam morbi dicit Noſter), triſtior morbi facies eſt, id tamen commodi adiunctum habens, quod ſimul vermes, ſi qui adſint, certiſſime expellantur: purulenta enim materia, in inteſtina delata et diarrhoeam ſdyſenteriam producens, potentiſſimum eſt vermifugum. Ad eliminandam autem hanc cauſſam rheum, ſpermate ceti remixtum, et poſtea glutinoſa et incraſſantia exhiberi deberent; maximi autem tunc vſus ſunt veſicatoria, quibus ſaepe tuſſis ac expectoratio reſtituuntur: tandem roborantibus corporis vigor reuocandus et confirmandus eſt.

XII.

IO. ERN. GVNNERI flora Noruegica obſeruationibus praeſertim oeconomicis panosque Noruegici locupletata. Pars poſterior, cum iconibus. Hafniae. A. MDCCLXXII. Fol. 2. Alph. 6 plagg. tab. aen. 9.

Eadem omnino ratione, qua in priore huius florae parte *) plantae Noruegicae ab Ill. Auctore,

*) v. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 513. vbi inſtituti ratio eſt indicata, vt ad hanc nos referamus.

re iam pie defunцto hic enumerantur, exhibenturque numero DCCXCVIII, quae cum prioris tomi plantis MCXII efficiunt. In determinatione plantarum multa opera adhibita eſt, praeter ſynonyma ſelecta, nouae etiam icones plantarum ſunt commemoratae, quae A LINNAEO ſaepe non indicantur, nomina Noruegica, Lapponica, et Suecica, cum exoticis recenſita, et in praefatione latitudo quorundam locorum eſt indicata.

Atque adeo ſollicite omnia loca perveſtigata ſunt, vt confirmet Auctor Cel. paucas omnino fore plantas, quibus augeri queat flora Noruegiae. Facile patet contineri hic plures Noruegiae proprias, etiam nonnullas nouas plantas, de quibus vti quoque de obſeruationibus et deſcriptionibus nonnullis Cl. Auctoris nunc ſigillatim agamus.

Nouas plantas, vel quae nondum ſatis eſſent determinatae, vel minus bene depictae, et deſcriptionibus et iconibus illuſtrat. Inter priores ſunt plures ex Algarum ordine, ad *Fucum* et *Vluam* relatae. Putat nimirum Cl. Auctor omnes Fucos membranaceos RAII, et *Fucum palmatum* LINNAEI cum ſimilibus eſſe ad *Vluae* genus referendos. Hinc Vluae ſpecies nouas has conſtituit:

Vluam ſoboliferam, quae eſt *Fucus ramentaceus* LINN. vid. OED. fl. Dan. t. 356. p. 105.

Vluam caprinam, acaulem membranaceam, pellucidam coloratam, foliis lineari lanceolatis margine proliferis: eſt *Fucus prolifer* STROEM. Act. Hafn. X. t. 2. depingitur hic tab. VI. f. 4. p. 127.

Vluam maximam, folio ſolitario, indiuiſo, margine late vndulato, ſubſinuato, latitudine longitudinem ſuperante: Tab. VII. f. 5. cum vero p. 127.

ro iuniorem tantum vidit Cl. Auctor ipſe dubitat, an potius ad *Fucum* ſit referenda.

p. 128. *Vluam longiſſimam*, oblongam membranaceam, margine late vndulato, coſta longitudinali coriacea poroſa. *Tab. VII. f.* 2. Orgyam longa, pedem lata eſt. Forte varietatem *Fuci ſaccharini* eſſe coniicit.

p. 134. *Vluam delicatulam;* membranaceam, planam, coloratam, ſubdichotomam, laciniis dilatatis; faſtigiatam, ſummitatibus hinc fiſſis, illinc denticulatis paſſim prolifera: Tab. VIII. f. 2. *Fuci criſpi* LINN. eſſe varietatem addit.

Fuci noui et depicti ſunt,

p. 122. *Fucus Noruegicus*, fronde plana, ſublineari, dichotoma, apicibus obtuſis, hinc incuruis; dichotoma purpurea. *Tab. III. f.* 4. *Fuco diuaricato* LINN. propinquus: iuniorem deſcripſit Auctor, vt ipſi non ſatis liqueat, an ſit ſpecies ab omnibus notioribus diſtincta, nec ne?

Fucus pectinatus, frondibus compreſſis, ſupra decompoſitis: ramulis vltimis ſimpliciter pinnatis: pinnulis integris, linearibus acutis, hinc lanceolatis. Tab. II. f. 8. videtur *Fucus ſericeus* GMEL. *fuc.* 149. t. 15. f. 3.

p. 123. *Fuci cartilaginei* LINN. noua varietas, Tab. III. f. 5. quam KNIPHOF. orig. cent. I. ad *Gorgoniam* referre videtur.

p. 135. *Fucus ptilotus*, qui eſt var. *plumoſi* LINN., differt tamen ab eo frondibus plerumque linearibus, caule diuiſo, ramis non ſemper pinnatim poſitis, ſed ſparſis: Tab. II. f. 15.

p. 143. *Fucus laciniatus*, frondibus ramoſis membranaceis, ramis dilatatis. HVDS. Angl. p. 475. n. 44. GMEL. *fuc.* 182. t. 22. f. 2.

Varieta-

Varietates reliquas Fucorum, nominibus nouis minus recte inſignitas, omittimus.

Lichen normoericus, ſurculoſo filamentoſus, ater, ſubnitidus; ramulis hinc obtuſis, illinc acutis, filamentis ſubcapillaceis, fragilibus, ramoſiſſimis implexis. *Tab. II. f. 9-14.* Scutella concoloria, partim terminalia, partim axillaria. p. 123.

Agaricus echinatus, ſtipitatus, atro purpureus, ſquamatus, ſquamis confertis, recuruis, hinc aculeiformibus. Tab. VII. f. 6. 9. 10. p. 125.

Agaricus citrinus, ſtipitatus, citrinus; pileo ſinuato, lamellis alternis minoribus. *Tab. VII. f. 7.* Agaricus hic quidem *Agarico equeſtri* LINN. ſimilis; differt tamen lamellis, et coloris diſtributione. p. 126.

Agaricus ſtellaris, cinereus, pileo orbiculari, ſtriato, ſtriis binis baſi contiguis; lamellis albidis; ſtipite laeui fiſtuloſo: Tab. VII. f. 8.

Arenaria Noruegica, caulibus ſubteretibus, procumbentibus; floribus binis terminalibus, foliis ouato lanceolatis, eneruiis, nudis. Tab. IX. f. 7-9. Antherae huic ſunt didymae, capſula longitudinaliter indeterminate dehiſcit. Propinqua eſt A. *ciliatae*, et *multicauli* LINN. cuius alterutrius varietas forſan, iterata diſquiſitione, habenda Cl. Auctori videtur. p. 144.

Stellaria ceraſtoides Tab. VI. f. 2. depicta, cum dubia planta ſit, vberiore deſcriptione cum Linnaeana planta comparatur. Planta eſt ſubpubeſcens, calyces et pedunculi ſimplices, folia oppoſita, ouato acuta, corollae albae, petalis calyce duplo maioribus, vix ſemibifidis; foliola calycina deſtituta membrana nitida marginali, quam habent *Ceraſtia*. p. 119.

Reliquae

Reliquae plantae in tabulis depictae, ſunt *Veratrum album* tab. I. *Potentilla niuea.* tab. III. f. 1. *Gentiana ciliata*, varietas, corolla quadrifida tab. II. f. 3 - 5. *Ribes alpinum.* tab. II. f. 1. 2. *Conferua rupeſtris* tab. III. f. 3. *Ophrys cordata.* tab. III. f. 6. *O. inſectifera myodes.* tab. V. f. 1. 2. *O. corallorhiza.* tab. VI. f. 3. *Serapias latifolia.* tab. V. f. 3 - 6. *Pinguicula alpina.* tab. IV. f. 4. *Scrophularia nodoſa* tab. IV. f. 1. 2. 3. *Satyrium repens.* tab. VI. f. 1. *Saxifraga ceſpitoſa* et varietates, vt *Groenlandica*, quae vera eſt *ceſpitoſae* varietas tab. VII. f. 1. 3. 4. Indicauit hanc obſeruationem iam LINNAEVS in *Mantiſſ. II. p. 383.* et S. N. ed. XIII. p. 345. *S. cernua* tab. VIII. et *petraea* tab. IX. f. 1 - 3. *Vlua pruniformis.* tab. II. f. 6. 7. Plurimarum ex his Cl. Auctor vberiores addit deſcriptiones laudandas.

Ad plantas Noruegiae proprias eas tantum numeramus, quae neque a LINNAEO in flora Suecica, neque a MVELLERO in flora Friedrichsdalenſi, deſcripta, ſunt. Huc pertinent *Fucus hirſutus, ſpermophorus, criſpatus, vittatus, diſcors, ſpiralis, abrotanifolius, foeniculaceus, lanoſus, fungiformis*, ab OEDERO *Dan.* t. 420. depictus, et plures huius
p. 62. generis. *Cochlearia Groenlandica. Axyris proſtrata*, ſemel inuenta, foliis ſuperioribus lanceolatis, calyce floris feminei perſiſtente, triphyllo. Flores maſculos non vidit Cl. Auctor. *Iuncus ſtygius.*
p. 105. *Gnaphalium Noruegicum*, quod ex Noruegia deſumſit OEDERVS in *flora Dan.* t. 254. *Saxifraga tricuſpidata* a STROEMIO in *act. Hafn.* X. p. 446. deſcripta et depicta. *Lichen pyroſus.* OED. *Dan.* t. 463.

Ad

Ad deſcriptiones plantarum paſſim quaedam ad- p. 2.
didit, ſic de *Veratro albo* notat racemos eſſe in vna
planta compoſitos, decompoſitos et ſimplices. *Li-* p. 29.
chen Iſlandicus colore eſt ater, purpureus, rufus,
flaueſcens, pro diuerſitate aetatis, et loci natalis,
et differt laciniis latioribus et anguſtioribus. In p. 46.
Eryſimo hieracifolio ſtigma didymum obſeruauit.
Saxifraga tridactylites et *petraea* affines ſunt. *S. pe-* p. 53.
traea eſt planta viſcida, radix fibroſa, folia radicalia
congeſta, quinquefida vel trifida, aut dentata, caly-
ce pilis globuliferis adſperſo.

Cheiranthus eryſimoides ſtylo breuiſſimo bifi- p. 61.
do inſtruitur, plantaque eſt, praeſertim caulis in-
ferne et margo foliorum maiorum ſubtomentoſa.
Ad *Fucum rubentem* putat referendum eſſe *Fucum* p. 69.
STROEMII in act. ſoc. Hafn. X. p. 254. t. I. f. 4. deſcri-
ptum. De *Vlua pruniformi* notat, eam figura variare, p. 89.
ſaepe eſſe proliferam, vel liberam in ſumma aqua
fluitare, vel conferuis aut corallinis adhaerere; in-
tus cauam, pilis vel in centro, vel ad latus colle-
ctis, recente pulpa viſcida farctam, in quae granu-
la vix conſpicua: cutem eius exteriorem fuſcam vel
nigram, coriaceam, eſſe, eamque propter has qua-
litates potius ad *Fucos*, quam *Vluas* referri de-
bere.

De *Ornithogalo minimo*, dubitat, an vera ſit ſpe- p. 147.
cies, an varietas *lutei*.

De dubiis plantis, vel quae a LINNAEO nondum
receptae ab aliis vero iam deſcriptae ſunt botanicis,
vel quas Auctor ad aliud genus, aut aliam ſpeciem
retulit, haec deligere placet: *Rumicem dubium* di- p. 26.
cit, quem Cl. BOEHMERVS in flora Lipſienſi no.
576. floribus hermaphroditis, ad alas foliorum con-
glomeratis, foliis lanceolatis, integerrimis definit,
et a Cl. SCHREBERO in ſpicilegio Florae Lipſ.

iure

iure *glomeratus* dicitur: qui character florum conglomeratorum ſemper conſtans et a nobis obſeruatus plantam hanc extra omne dubium ponere videtur. Ad *Gentianam ciliatam* tanquam varietates
p. 88. refert Noſter, quae margine ſerratae ſunt, alteram-
p. 101. que corolla quadrifida depictam tradit; altera eſt *ſerrata* corolla quinquefida, infundibuliformi, foliis oblongis, OED. *fl. Dan.* VI. t. 317. Atque monet, rationem, cur hae varietates cilia marginalia corolla vel nulla vel adeo parua et mutata habeant, a frigidiore climate petendam eſſe. *Vluam ſoboliferam*
p. 105. OED. *fl. Dan.* VI. t. 356. ad *Fucum ramentaceum* LINN: *Conferuam ſquarroſam* OED. ib. t. 357. ad
p. 106. *Fucum lycopodioidem* LINN. pertinere putat. *Draba Noruegica* OED. *fl. Dan. t.* 143. vel noua eſt ſpecies, vel *Drabae hirtae* LINN. varietas. *Fucus*
p. 104. *pinnatifidus* HVDSONI *angl.* 473. et OED. *fl. Dan.* VI. *t.* 354. non differt ſpecie a *F. dentato* LINN.

Ex obſeruationibus medicis, oeconomicisque, has referamus, omiſſis, quae Cl. Auctor ex aliis
p. 3. ſcriptoribus commemorat. *Zoſtera marina* ad ſal parandum inſeruit, eiusque ſalſugine piſces con-
p. 5. diuntur. *Boletum fomentarium* moxae inſtar partibus corporis laborantibus, ſtomacho et pectore ex-
p. 10. ceptis, applicant Lappones. *Fucus filum* bobus gratiſſimum et ſalutare praebet pabulum. Decocto *Verbaſci Thapſi* Dali Nidroſienſes in phthiſi ho-
p. 28. minum boumque vtuntur. Folia *Betulae nanae* a Noruegis ad colore luteo tingendum adhibentur.
p. 55. *Lichen vulpinus* luteo tingit. *Peziza auricula* ad anginas et ophthalmias laudatur, macerata, et lin-
p. 130. teo inuoluta, oculis inflammatis imponitur. *Aphanes aruenſis* vi diuretica inſigni inſtructa dicitur.

XIII.

XIII.

Faſciculus obſeruationum botanicarum, Auctore ANDERS IOHANN RETZIO Phil. Mag. Hiſt. Nat. Adjunct. et Bot. Demonſtr. Reſp. *Magno Guſtaf Stahlſtedt,* Holmienſi Stipendiato regio, Lundini d. XXIII. Mart. 1774. 4 3½. plag.

In introitu Cl. Auctor de vſu obſeruationum in re herbaria breuiter diſſerit, laudatque ſtudia virorum, qui, ad augendum botanicae ambitum, itinera ſaepe moleſtiſſima inſtituerunt. Quibus praemiſſis obſeruationes LXIX. tradidit, quarum plurimae locos natales plantarum rariorum in Scania indicant, vt Pulmonariae officinalis folio maculato, maritimae, Chenopodii ambroſioides, Bupleuri tenuiſſimi, Aliſmatis ranunculoidis, Ranunculi reptantis hederaceique, Cardamines paruiflorae, Geranii phaei et paluſtris, Geniſtae germanicae, Viciae caſſubicae, et aliarum multarum, quarum notitiam Scanico praeſertim botanico vtilem iudicamus, vt, vbi colligere poſſit, ſciat.

Reperiuntur vero hoc in faſciculo non paucae obſeruationes exteris quoque botanicis vtiles ac praeſtantes: quarum nonnullas exempli loco afferamus.

1. *Circaeam Lutetianam*, caulibus nonnunquam pilosis, calyce viridi apice rufo, racemo ſaepe ſolitario praeditam deſcribit, at 2. *alpinam* caulibus glabris, geniculis rubris, calycibus albis apicibus rubris praeditis, petalis anguſtis, racemisque incertis numero definit. Etiamſi Lutetianam racemis plurimis deſcribat LINNAEVS, alpinamque ſolitario, qualem etiam noſtris in regionibus inuenimus. p. 7.

p. 9. 6. *Bromum giganteum* in horto academico cultum differre dicit a deſcriptione Scheuchzeriana, praeditumque eſſe glumis glaberrimis etiamſi Cl. WEIGELIVS glumas ſubhirſutas ipſi tribuerit, quales et nos in noſtrate reperimus. 7. Vnicam differentiam ſpecificam inter *Bromum ſterilem* ac *tectorum* in glumis quaerendam eſſe contendit: in *ſterili* enim glumas ſcabras, in *tectorum* vero piloſas ſemper ſe obſeruaſſe, profitetur.

p. 11. 16. Ill. HALLERVM in *Hiſt. ſtirp. Helv.* ex tribus iunci articulati varietatibus diuerſas effeciſſe ſpecies Cl. Auctor exiſtimat.

p. 12. 21. *Pyrolas* in Suecia ſtigmatibus diuerſis inſtructas eſſe docet, *rotundifoliae* enim incraſſatum, quinquedentatum, dentibus erectis acutis, *vniflorae*, idem eſſe, excepta magnitudine et figura: eſt enim peltatum, h. e. coroniforme; *minoris* rurſus eſſe peltatum, porro conuexum et quinquelobum; *ſecundae* inſuper poris 5. pertuſum, *vmbellatae* denique ſubſeſſile, magnum, orbiculatum, et in medio excavatum.

22. et 23. *Saxifragam hirculum*, ſe olim, ob folia piloſa, pro ciliatis habita et figuram Breynianam, cum S. *autumnali* confudiſſe tradit. Accuratior vero obſeruatio et ſecundae Mantiſſae p. 383. inſpectio ipſum vera docuerunt. Tomentum in ſummitate pedunculi et ipſe obſeruauit et BREYNIVS, ROSENBLATTVS, OEDERVSque ante ipſum; quo vero non ſemper induci HALLERVS et GMELINVS obſeruarunt, qui plane tomenti mentionem fecerunt nullam. Ill. HALLERVS eam caule vnifloro praeditam eſſe tradit; quem tamen characterem admodum variare Noſter teſtatur. Characterem vnicum S. *hirculi* in foliis ciliatis, radicalibus lanceolatis,

tis, caulinis lineari lanceolatis, poſitum eſſe contendit. Characteres vero *S. autumnalis*, quos SCOPOLI adducit, omnes in *S. hirculi* foliis reperiri dicit. In *S. aizoidis* foliis deſcribendis nullam mentionem ciliorum ſeu potius aculeorum fecit LINNAEVS, ſed ea nuda atque inermia deſcribit; quos tamen vidit Cl. Auctor. Subſcribit ſententiae HALLERI, IACQVINI et WILLICHII, qui has tres ſpecies pro varietatibus habent.

28. *Spergulam ſaginoidem a Stellaria biflora* ſtylis 5. abunde differre Cl. Auctor refert. Iconem OEDERI, de quo Cl. GOVAN dubitat, ad vtram referat plantam, auctoritatem LINNAEI ſecutus ad *Spergulam bifloram* refert. p. 17.

30. *Roſam* deſcribit cum *ſemperuirente* quibusdam in characteribus conuenientem, cui tamen figura ac deſcriptio DILLENII non reſpondit. In loco pingui, ſi colitur, fructus fert glaberrimos, in minus pinguem vero ſi transplantata fuerit, fructus hiſpidos protrudit. p. 18.

40. Plantam deſcribit, quam neſcit vtrum *Moluccellae*, an *Praſii* an *Meliſſae* ſpecies ſit. Stamina enim et piſtilla conueniunt cum *Meliſſae*, calyx cum *Moluccellae*, facies tota cum *Praſii*, odor cum eo, quem *Dracocephalum Moldauica* ſpargit, ſimilitudinem habet. p. 20.

55. Monet, ne varietas *Bidentis tripartitae*, quam *pumilam* dicit, pro *Bidente minima* habeatur, quarum prior radice ſimplici, foliis ſerratis, calycibus folioſis, foliolis plurimis praedita ſit, altera vero radice repente, foliis aut integris aut crenatis, foliisque calicis ſolum duobus gaudeat. p. 25.

56. 57. *Tuſſilaginem albam* et *ſpuriam* deſcribit, quarum poſterior nuſpiam deſcripta ſit.

XIV.

Compendium Botanices, ſyſtematis Linnaeani conſpectum eiuſdemque applicationem ad ſelectiora plantarum Germaniae indigenarum vſu medico et oeconomico inſignium Genera eorumque Species continens. Auctore CHRIST. FRID. REVSS. Med. Doct. et Prof. Publ. in Alma Eberhardino-Carolina. Vlmae. ſumtu Stettiniano: 1774. pagg. 445. praeter praef. et indices. Tabb. aeneae X.

Etſi liber, cuius mentionem breuem facere propoſuimus, noui nihil contineat, quod partim ex libri ipſius cum aliis comparatione, partim ex tertia praefationis plagula diſci poteſt, niſi forſan exemplorum plurimorum accuratiſſimorumque ad ſingulos terminos commemorationem, terminorumque Linnaeanorum Germanicam verſionem, pro nouis in eiusmodi libro habere volueris: tamen cum terminos fere omnes paſſim diſperſos hic in vnum collectos reperias, non plane negligendum exiſtimamus. Cum enim plurimos inſtitutionum botanicarum libros conſuluerit, mirandum nullo videtur modo, quod et LIPPII et ELMGREENII *) de ſimili re conatus multum ſuperauerit Cl. Auctoris ſtudium.

Cum ſtatim in libri initio ſyſtematis aliorumque generaliorum terminorum explicuerit notiones, breuem conciſamque botanicorum exponit hiſtoriam, quam, cum exſpectationi noſtrae non omni ex parte ſatisfaciat, non enim omnium hic leguntur virorum, in botanica clarorum, nomina, vix multam praeſtituram fore vtilitatem cenſemus. Huic deinde ſyſtematum quorundam ſubiungit accuratiorem diſquiſi-

*) in Amoen. acad. Vol. VI. v. comm. noſtr. dec. II. ſuppl. I. p. 13.

quiſitionem, vt ipſe putat ſcitu maxime neceſſario-
rum RAII, ROYENI, HALLERI, LINNAEI ERXLE-
BENII, TOVRNEFORTIIque. Accurate quidem ex-
poſuiſſe Noſtrum, pauca, quae commemorauimus,
virorum ſyſtemata, concedimus lubentiſſime.

Tum ad delineationem plantae ſeu ad termi- p. 27.
nos in ſyſtematicam tabulam redactos, LIPPIVM
ducem ſecutus, progreditur. Qua finita termino- p. 38.
rum ipſorum explicationem ſuſcipit. In qua tra-
denda ita verſatur Cl. Auctor, vti, ante ipſum, LIP-
PIVM verſatum eſſe ſcimus. In eo tamen LIPPII ſu-
perare videtur diligentiam, vt partim plurimorum
terminorum Germanicas addiderit verſiones, ſi qui-
dem his opus eſt, partim plures collegerit termi-
nos, plantarumque adſcripſerit nomina, in quibus
characteres reperire poterit tyro. Verſiones termi-
norum fere omnes nobis placent, non omnes vero
vertit Cl. Auctor. Quod ad figuras attinet, in qui-
bus terminorum in re herbaria vſitatorum exempla
videre licet, eae quidem cum Linnaeanis Lippianis-
que conueniunt, ſunt vero partim compendioſiores,
duarum enim tabularum figuras in vnicam vt pluri-
mum congeſſit tabulam, partim quoque auctiores,
tribus enim poſterioribus tabulis, praeter corolla-
rum figuras florumque praecipuas partes, planta-
rum cryptantherarum quaedam genera exhibuit.

Poſt terminorum hiſtoriam, deſcriptionem ea- p. 163.
rum plantarum, quae vel in re medica adhibentur
vel indigenae ſunt et genericam et ſpecificam non
a ſe quidem inuentam, ſed a LINNAEO petitam, tra-
dit. Cuius rei vero vſum, cum neque certae cuiuſdam
regionis hic legantur herbarum nomina, neque de-
ſcriptiones LINNAEI ſint emendatae, omnino exi-
guum eſſe arbitramur. Has plantarum definitiones p. 431.
ſpecialiora quaedam botanophilo obſeruanda exci-
piunt; quae quidem ex Phil. Botan. LINNAEI ſunt
depromta.

XV.

D. IOHANN ERHARD TRAMPEL *Beſchreibung der Meinberger Mineralquelle in der Graffſchaft Lippe nebſt einem Sendſchreiben des Herrn* D. IOHANN FRIDERICH ZÜCKERT *vom Meinberger Mineralwaſſer zum innerlichen und äuſſerlichen Gebrauch. Zweite vermehrte Auflage mit Kupfern. Lemgo. In der Meyerſchen Buchhandlung* 1775. 8. *Seit.* 160.

i. e.

IOANNIS ERHARDI TRAMPEL deſcriptio aquarum mineralium Meinbergenſium in comitatu Lippenſi. Accedit IOANNIS FRIDERICI ZÜCKERT epiſtola de iiſdem aquis earumque interno et externo vſu.

In prooemio Cl. Auctor hiſtoriam fontis, ſimul eius dimenſionem et quantitatem aquae contentae, tam fontis illius, qui balneis, quam qui potui deſtinatus eſt, tradit. Praepoſita eſt libro epiſtola Cl. ZÜCKERT, ad Cl. Auct. in qua experimenta narrantur, quae cum aqua fontana Meinbergenſi inſtituit, ex quibus probat huic aquae immixta eſſe terram calcaream, ſelenitem, natrum, martem et ſulphur. Priorum quantitas ita ſe habet, vt in menſura aquae ſint natri et ſelenitae ana gr. IV. terrae calcareae gr. IX. et martis gr. VI.

p. 32. Secundum claſſificationem hanc aquam profitetur ſalino ſulphureo ferrugineam. Inprimis per hanc epiſtolam Cl. ZÜCKERT demonſtrat, quod huic aquae verum et ſubſtantiale ſulphur immixtum ſit: quod haec aqua, partim ob copioſum vaporem, partim ob ſulphur, tanquam aqua mineralis frigida, ſui generis vnica ſit in Germania, omnesque

que poſſideat virtutes, quas aqua ſulphureo ferruginea habere poſſit.

Cl. TRAMPEL in initio ſui ipſius opuſculi obſeruationes nonnullas communicat. Nempe in fodiendo fonte ingentem obſeruauit copiam granulorum, argenti inſtar ſplendentium, qui omnibus in lapidibus et terris argillaceis inuenti ſunt. Qui, ſi pluuiae caderent, incaluerunt, odorem ſulphuris ſparſerunt, et in minores ſeſe disiunxerunt. In fundo fontis motum tremulum et murmurantem, et ex rimis et aperturis calorem partim per ſe, partim cum aere et aqua ſimul prouenientem ſenſit. Volatilis euaporatio antea non viſa, ex fonte animaduertitur: haec vltra tertium pedem ſupra aquam aſcendit et primo gratum et oleo vini ſimilem, ſed mox poſtea non tolerandum odorem ſpargit, lacrymas elicit, effectusque ſpiritus ſalis ammoniaci ſimiles prodit. p. 45.

Vapor, ſi ipſi iuſto propius appropinques, ſuffocat. Si quis fonti prope accedit, calorem ſentit, qui et in ſummo frigore ſudores elicit ſenſumque in partibus inprimis genitalibus efficit. Quicquid argentei feras, ſaepius fonti accedendo nigreſcit. Vaſa vitrea, ſi ex iis per aliquot dies bibitur, colorem flauum induunt. Ferrum vapori expoſitum rubiginoſum euadit. Flamma vapore extinguitur. Puluis tormentarius ad fontem in ſolum ſparſus et a candente ferro non mox accenditur. Si fumus nicotianae ibi attrahitur guſtum, vapor primum in dulcem ſuauemque, poſtea ſenſim in amarum et exſiccantem mutat, et nicotiana iam exſtincta fumus editur. In ſepimento fontis multos pruinae inſtar floccos, tactu lubricantes, videas. Color aquae ad fontem ipſum clarus pellucidusque eſt, neque ipſa congelationem admittit. Si bibas, odorem ſpirituoſum et ſenſus obnubilantem ſenties. Si p. 52.

balneis vtaris, aquae ſaponaceae ineſſe putes, et vapor ex balneis aſcendens, aues, ſi in hypocauſto ſunt, ſuffocare valet.

p. 55. Multa etiam experimenta cum aqua hac inſtituit Cl. Auctor. In libra eam ponderauit eiuſque pondus aquae pluuiali aequale fuit. Si autem cum hydrometro experimentum inſtituas, pondere aliam ſuperat aquam, hic enim in aqua Meinbergenſi aſcendit, in ſimplici ſubmergit. Si hanc aquam coelo exponas aperto, in vaſe plano cuticula ſupra naſcitur verſicolor, tactu pinguis, quae a metallicis recrementum ferri (*Sinder*) dicitur: Aqua haec, quoad colorem, lacti ſenſim ſimilis fit et flauum quoddam ex eo ſecedens firmiter vaſi adhaeret; in calore haec ſeceſſio acceleratur, ſed contra in frigore. Quo maior caloris gradus, eo copioſior aër ex aqua aſcendit: Poſt ſeceſſionem iſtam aqua communi ſimillima eſt. Cuticula iſta pinguis collecta in nitrum fluidum ſparſa multas producit ſcintillas. Granula ſupra commemorata argenti inſtar ſplendentia odorem ſulphuris ſimulque flammam igni expoſiti edunt.

p. 57. Flocci iſti, qui ſepimento fontis ſe apponunt, ſimilem odorem igni aperto traditi ſpargunt, flammamque oſtendunt et per ſublimationem veros flores ſulphuris ex iis obtineas. Hi flores, ſi cum ſale tartari funduntur, hepar ſulphuris relinquunt, ex quo in aqua ſoluto, affuſo aceto, puluis albus praecipitatur, lac ſulphuris dictus.

p. 58. Vaſa ſupra memorata vitrea, quae colorem flauum induerant, carbonibus impoſita odorem ſulphureum ſpargunt et poſtea pellucida iterum euadunt. Linteum, quod, vel in ipſam aquam, vel ſupra eam

eam ſuſpendeas, odorem ſulphureum accipit, qui combuſtione augetur. In vaſe clauſo haec aqua ſi deſtillatur deſtillatione finita rancida euadit, et inter hanc color mutatur in lacteum, flauum quoddam ſecedit, eaſdemque oſtendit mutationes, quas ſi coelo aperto exponas. Si aquam in vaſe aperto euapores, remanet materia fuſca ex flauo rubicunda, intermixta albicante et quaſi nitente. Librae quindecim aquae poſt euaporationem centum et octoginta grana terreni relinquunt, quibus grana quadraginta puri ſalis immixta ſunt. Si acidi vitrioli nonnullas guttulas in illam ex flauo rubicundam materiam ſtillas, efferueſcentia naſcitur, fundi poteſt, attrahiturque a magnete. Coquendo ſpuma ſupra aquam naſcitur alba, quae, ſi exſiccatur, magneſiae ſimilis eſt et oleo vitrioli inſtillato efferueſcit. Sal, lenta et adhibitis cautelis inſtituta euaporatione, obtentum, tartaro vitriolato minus amarum eſt et a Cl. ZÜCKERT pro natro ſiue ſale amaro habetur. Color aquae, quae vel in lagenis aſſeruata vel aëri fuit expoſita, a nonnullis acidi ſulphuris vel vitrioli guttulis inſtillatis iterum clarus pellucidus atque naturalis euadit. Spiritus minerales p. 61. acidi, vti ſulphuris et vitrioli, quaſi fermentationem in aqua efficiunt; nihil autem mineralis praecipitant, ſed aquam, vti modo dictum eſt, claram conſeruant. Salia autem alcalia v. c. cineres clauellati, cet. aquam mox ſubnubilam minuſque pellucidam reddunt. Sacharo ſaturni illato, aqua mox albeſcit et lacti ſimillima fit, ſimulque inſpiſſatur et ſenſim praecipitatur, praecipitatum colorem glaucum aſſumit. Gallarum puluere admixto, aqua colorem in purpureum tandemque nigreſcentem mutat. Syrupo violarum admixto color ferrugineus huius, viridis et per ſolutionem Laccae (*Lakmus*) ruber euadit. Lac aquae infuſum non in

in coagulum abit Extra fontem argentum aquae impoſitum nunquam nigreſcit.

p. 62. Horum phaenomenorum nonnullas declarationes Auctor addit. Motum tremulum, calorem, vaporem odorum a ſulphure in alto fontis contento deriuat. Aër enim, inquit, per ſe facultate gaudet pyrites intrandi eorumque nexum diſiungendi; hoc ab aqua illos humectante iuvatur: particulae martiales ſulphureaeque tunc alternatim in ſe agunt, triturant ſe atque calorem et fermentationem ſubterraneam producunt, quae pedibus tremulum et auribus murmurantem motum imprimit. His multae particulae ſulphureae volatiles redduntur auolantque: quum autem in auolatione impediuntur colliguntur que, vaporem ſiſtunt. Vapores ſulphurei valent aſperam arteriam ſpaſtice contrahere, ſuffocationem efficere et aërem attenuare. Spiritus ſulphuris volatilis et aëreum quoddam ſolum faciunt vinculum partes minerales huius aquae arcte coniungens, valentque omnem corruptionem ſimulque congelationem ab aqua amouere. Quoniam acidum vnicum eſt remedium omnem materiam pyritum, qui ex ſulphure ferro et lapidea materia conſtant, ſoluendi, clarum eſt aquae noſtrae acidum ineſſe. Alcali copia ſua acidum antecellit, quod ex experimentis cum ſyrupo violarum cet. probatum eſt: igitur ſal medium Glauberiano ſimile oriri debet, ſi volatili acido minerali tempus ſat longum eſt cum alcali in aqua contento coniunctionem ineundi. Puluere gallarum color aquae purpureus euadit et tandem atramenti inſtar niger: et terra ſine addidamento fuſa magnetem ſequitur, ergo ferruginea et iure ſpirituoſo ſulphureo ſalino martialis aqua noſtra dicenda erit.

De

De effectibus aquae Cl. Auctor ſequentia verba facit. Alcali, quod aquae ineſt, vim abſorbentem, viſcidum diſſipantem habet, quae ſe tam in primis, quam ſecundis viis exſerit. Eandem virtutem terra, aquae immixta alcalina habet, quae, ſi acidum in ventriculo reperit, in ſal medium tranſit, et vim laxantem accipit. Alia, quae ſali alcalino in genere propria ſunt, et ab Auctore commemorantur, omittimus. Sal medium etiam huic aquae ineſt, inde diſſipans, aperiens, irritans, leniter laxans atque euacuans eius vis. In cachexia, ictero, aliisque morbis a bile male affecta ortis medicamentum efficax eſt: porro in ſuſurro aurium et cum hoc haud raro coniuncto graui auditu. In omnibus morbis, qui acidum et viſcidum copioſum in primis viis et glandulis meſaraicis pro cauſa agnoſcunt efficax eſt, v. c. anorexia, atrophia. p. 75.

Imprimis efficax eſt in ſpaſticis et aliis multo dolore coniunctis morbis, qui a viſcido tenace, ab acrimonia ſanguinis vel obſtructione minimorum vaſculorum praeſertim ſanguiferorum orti ſunt, e. g. in arthritide, hyſterica paſſione, fluore albo, obſtructis haemorrhoidibus, hypochondriaco malo etc. Haec vis antiſpaſmodica augetur, ſi aquam paululum tepidam bibas. Tanquam aqua martialis corpori robur ſimul cum elaſticitate reddit. Morbum non modo tollit, ſed etiam recidiuum impedit. Tanquam aqua ſulphurea et igitur ſaponacea emolliens eſt, quae vis praecipue ſe exſerit, ſi balneis vtimur. Euaporatio vim ſanguinem reſoluentem eiusque motum accelerantem habet. Prodeſt ſubiectis, ſanguinis ſpiſſitudine, impedito naturali ſanguinis effluuio, colica, vitio incognito vterino, vlceribus et ſic porro laborantibus. Nocet imbecillibus ad haemorrhagias procliuis, et iis, qui morbo quodam pectoris laborant. p. 80.

Vbi

Vbi haec euaporatio per ſe intrare nequit, ea modo clyſmatis duci poteſt.

P. 97. Effectus enarratos per experientiam Clar. Auctor probat, cuius varia ſpecimina nobiſcum communicat.

Puella quaedam vlcere phagedaenico laborans per vſum tam externum, quam internum aquae ſana euaſit.

Ruſticus vlcere in calcaneo affectus, ex quo iam oſſium ſedecim fragmenta prodiere, intra octo hebdomades eodem aquae vſu ſanatus eſt.

Praefectus quidam militum, ob gonorrhaeam male curatam, per multos annos aegrotans, tam balneis, quam potu et euaporatione vtebatur: breui bubones prodierunt, quibus ad ſuppurationem deductis conualuit. Alius, qui mercurio abuſus fuerat, valde aegrotabat: cuius, poſtquam per aliquod tempus aqua vſus fuerat, annulus aureus in digito quoad colorem argenteus euadebat; etiam conualuit.

Femina diu innormi menſium profluxu laborauerat; huic, omni medicina fruſtra adhibita, haec aqua ſalubris fuit. Alii ſimili malo affectae aqua cum optimo ſucceſſu in ipſum vterum iniecta eſt. A gutta roſacea alia vſu huius aquae liberata eſt. Femina quaedam pertinaci narium obſtructione et cephalalgia conflictata, in attractione vaporis et vſu aquae medicamen inuenit. Surdus quidam vſu tam euaporationis, quam ipſius aquae in priſtinam valetudinem rediit. Pedum vſu quidam ſimul et tactu priuatus intumeſcebat: ita ad fontem noſtrum confugiens ſaluberrimmum in eo inuenit remedium. Nobilis quidam elephantiaſi laborans ſanus euaſit.

Femina

Femina quaedam robuſta, ſana atque in optimo aetatis flore; iam quatuordecim annorum maritum duxerat, nunquam autem grauida fuerat; haec, cum per duos annos fonte vtebatur, concepit atque deinceps plures infantes peperit. Virgo fluxu menſium amiſſo cachexia laborabat; vterque morbus vſu aquae ceſſit.

De modo bibendi aquam, Cl. Auctor loquens haec praeprimis monet: quod nemo ſine medici conſilio aqua vti debeat. Et prae reliquis hoc de iis valet, quibus vitium in viſceribus qualecunque eſt. Mane et verſus veſperam bibendum eſt: nocet verſus tempus meridiei. Aqua frigida quoad effectum antecellit tepefactae. Quantitas aquae bibendae a libris duabus ad ſex et vltra accumulatur pro corporis diuerſo habitu. Cum lacte ſi vtaris aqua, eius vires augeri videas. Quoad medicamenta, quibus durante cura vtendum ſit, haec circiter Cl. Auctor ſuadet. Exemplo nempe WERLLHOFII et BRENDELII vſum rhabarbari commendat. Carminatiua diſſuadet, item reſinoſa et gummoſa purgantia. Potiſſimum laudat medicamenta huic curationi adaptata a Viris Cll. GONDELA et DUNTZE, quae nomine pilularum aperientium Bremenſium et elixirio amaro Bremenſ. in officinis Meinbergenſibus et Pyrmontanis venduntur. p. 111.

Balnea haud raro in cute quoddam purpurae ſimile producunt, quod bonum cenſendum. Aqua balneo deſtinata temperata eſſe debet. Gelida caute vſurpanda eſt. Iis imbecillibus, quibus balneo vtentibus animi deliquium imminet, nonnihil Theae calidae ſeu vini praeberi licet. De balnei vaporoſi effectu omne id valet, quod de balnei calidi. Per vſum balnei aquoſi praeparatio ad vaporoſum p. 131.

fieri

fieri poteſt: quadrans horae ſufficit ad huius vſum. Balneum vaporoſum ſiccum, optime mane et veſperi adhibendum, quoniam hoc tempore fons inprimis vaporem mittit. Euaporatio vltra quartum pedem nunquam aſcendit, igitur illuc, vbi malum abſconditum eſt, per Syringam ducitur.

p. 143. Diaeta, quam praeſcribit Cl. Auctor ea eſt, quae a Cl. ZÜCKERT in ſyſtemate omnium fontium Germaniae commendata eſt.

p. 155. Subnectit tandem Cl. Auctor libello ſuo deſcriptionem regionis Meinbergenſis et aedificiorum ad fontem ſitorum.

XVI.

Beſchäftigungen der Berliniſchen Geſellſchaft Naturforſchender Freunde. Erſter Band. Mit Kupfern. Berlin, bey Ioachim Pauli. 1775. 8. 1 *Alph.* 10 *Bog.* 9 *Kupfertaf.*

i. e.

Acta Societatis Berolinenſis naturam ſcrutantium amicorum. Volumen I.

Maximopere laudando inſtituto Phyſicorum celebrium Berolinenſium, nuperiori congreſſu, cuius rationem non diu abhinc dedimus *), obſeruata plurima naturae cognitionem illuſtrantia, tribuenda ſunt, quae hoc volumine eduntur. In quo praeterea a Cl. MARTINI, qui, vt iam ſupra dictum, ſocietati eſt a ſecretis, vberius origo, inſtituti finis, numerus nominaque ſociorum et Berolinenſium, et exterorum Phyſicorum

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 142.

rum omni laude celebrium et feſta oratio, coram ſociis die, quo annuum inſtitutum celebrabatur, habita, traduntur. Tractatus vero ipſi ſunt hi:

1. *Deſcriptio inſtrumenti, apti ad metiendas viſibiles diſtantias in coelo*, Auctore IOANNE ELERT BODE; vtilis aſtronomis, illuſtrata iconibus. p. 1.

2. *De vi electricitatis comparata cum grauitatis vi*, Auctore FRANCISCO CAROLO ACHARD. Omnibus hactenus inſtitutis experimentis tres tantum proprietates corporum electricorum eſſe demonſtratas, ait, nempe 1) attractionem, quae inter corpus electricum et non electricum, vel inter corpora, diuerſo gradu electrica locum habet: 2) repulſionem corporum, pari gradu electricorum; 3) lumenque, quod appropinquatione duorum corporum, excitatur, ſi alterum magis eſt altero electricum: Ex his proprietatibus, ſi addatur modus, quo corpus electriſetur, et mutatio, quodam caloris gradu in corporibus primitiue electricis facto, cauſa electricitatis declarari poterit. Sed ad vim electricitatis recte conſiderandam opus eſt electrometro, quod ſimplex ſit, atmoſphaerae mutationibus non obnoxium, gradus et perparuos, et permagnos electricitatis indicet, neque certae menſurae ſit adſtrictum, atque vim electricam denotet per aliam iam cognitam, e. g. vim grauitatis. Iam oſtendit omnia hactenus inuenta et fabricata electrometra carere vna vel altera harum proprietatum atque ideo illud, quo Cl. GRAY, DU FAY, et NOLLET vſi ſunt, tamquam optimum ex reliquis emendare conatur. Correctiones eo redeunt, vt loco fili linei, filum ex orichalco paratum adhibeatur, eique globus leuiſſimus ex terra ſigillata Weſtphalica, tamquam huic fini conuenientiſſima, paratus

p. 53. p. 62.

ratus

ratus adiungatur, ſicque *pendulum electricum* fiat, quod aeneo aſſeri per hamulum appendatur: atque ita fiet, vt electriſatus aſſer pendulum repellat, ex cuius repulſionis gradu vis electrica aeſtimatur. Plura, quae ad obiectiones refellendas proponit, per breuitatem omittere cogimur, et notamus tantum ad metiendum angulum eleuationis etiam inveniſſe Cl. Auctorem inſtrumentum, quod *chordo-*
p. 77. *metrum* hic depictum et deſcriptum tradit. Vim electricam nihil aliud eſſe dicit niſi differentiam elaſticitatis fluidi electrici, quod corpus electricum continet, et quo etiam alia corpora circumdat. Atque, ſi electrica materia elaſticae naturae eſſe adſumatur, ſententias EVLERI et FRANKLINI combinari poſſe putat.

p. 112. 3) EIVSDEM *de calore et frigore, per euaporationem variorum fluidorum excitatis, tractatio.* Cum hactenus experimentis quibuſdam probatum eſſet, quaedam fluida vel calorem vel frigus producere, non tamen vel gradus eorum, vel plura fluida, hunc in finem diſquiſita eſſent: Noſter ſatis magnam diuerſorum fluidorum copiam curate diſquiſiuit, atque hic prius recenſet modum, quo inſtituerit et inſtituenda ſint haec tentamina, quam euenta eorum exponat. Sumſit vero ad ducenta fluida, vt aquas deſtillatas, et ſpiritus et eſſentias ſpirituoſas, vina, ſalia ſoluta varii generis, oleaque, eaque hic in tabula, ſimulque thermometri rationem, ante experimentum, deinde mutationem poſt illud in ſingulo curate indicat.

p. 116. Ex his experimentis patet ſolum oleum vitrioli, et ſpiritum nitri fumantem euaporatione calorem in thermometro, reliqua omnia frigus excitaſſe. Quod ex cognatione, quae haec concentrata acida et aquam intercedit, quae mixta ſecum calida fiunt explica-

explicari dicit. Eſſe enim in aëre vapores aqueos, qui cum acido iuncti hunc calorem producant. Ex reliquis fluidis ea maiorem frigoris gradum excita- p. 130.
runt, quae citius euaporarent, quae tardius, minorem: ſic aether vitrioli omnium citiſſime auolans, ſummum frigus produxit; oleum oliuarum, quod vix ſenſibili modo auolat, vix quidquam mutauit thermometrum. Cauſſam huius phaenomeni, quod nihil ſit niſi commixtio particularum volatilium cum vaporibus aqueis, in aëre diſperſis, ignotam eſſe fatetur: non vult enim materiam quandam frigefacientem ſtatuere, neque FRANKLINI hypotheſin, ſecundum quam nonnulla corpora facilius, alia difficilius ducant ignem, certam, etſi forte aliquando probabilem eſſe ait.

Denique vſum, qui in eo conſiſtit, vt, pro lubitu, p. 133.
corpora calefieri et refrigerari poſſint, breuiter commemorat. Similem fere tractationem, ſimilesque cogitationes Auctore Cl. BRAVN, cum iam tradita eſſet ſocietati haec diatribe, deprehendit Cl Auctor, in tomo X. commentariorum Academiae Petropolitanae *).

4. *De epidemica maligna febre inflammatoria* p. 138
equorum, Auctore Cl. ZÜCKERT. Primo de ſymptomatis, deinde de cauſſis huius morbi agit. Menſe Auguſto anni 1775 morbus paſſim in circulo *Teltowiano* ortus eſt, qui in quibuſdam equis incipiens tandem in epidemicum mutabatur, multosque equos interimebat. Symptomata illico, absque praegreſſis indiciis morbi apparebant: ſtatim inſanire incipiebant equi, conuulſiones illos atrociter conuellebant, ita, vt hinc inde iactarentur, reſpi-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 142.

reſpiratio eorum ſtertoroſa et anxia, halitus foetens, os conſtrictum, vt nihil vel pabuli, vel potus admitteretur. Vrina copioſe, ſed colore ſolito, neque foetens excernebatur. Foeces, plerumque naturales, in nonnullis erant mucoſae. Sudor profuſus, praeſertim, ſi morbus in mortem finiebatur: atque tum palpitatio cordis tanta, vt etiam eminus audiretur. Plerumque poſt 24 dies, interdum altero, vel tertio die moriebantur equi; qui autem iterum ſaneſcebant, octo aut quatuordecim dies aegrotabant.

p. 141. Apertis cadaueribus, inueniebantur: trachaea ſicca et muco tenaci, in membranam coalito obſeſſa; pulmones, hepar et lien, nigra, putrida, pureque plena; ſanguis, vel viuis equis ex venis miſſus, vel poſt mortem in venis ſtagnabat, niger, tenax, piceus; cor congrumato nigro ſanguine, pericardium foetente ſero repleta; ventriculus et inteſtina fere vacua; cerebrum molle, ſubputridum et ſinus capitis ſanguine putrido pleni.

p. 143. Cauſſam huius morbi in pabulum, putrida aqua madidum, vel rore noxio, vel muco, vel limo tectum ponendam eſſe demonſtrat Cl. Auctor.

p. 147. Addit oleum vitrioli in hoc morbo egregie iuuaſſe, et potiorem curam in praeſeruatione, ceu correctione pabuli, quaerendam eſſe.

p. 152. 5. *Obſeruatio ſingularis cuiuſdam exploſionis in nonnullis Clauariae ſpeciebus, facta a* Cl. OTHONE FRIDERICO MÜLLER. Eam intelligit Cl. Auctor hic proprietatem, qua proprio elaſtico motu, absque cauſſa externa, nonnulli fungi minores particulas ſeu puluerem ex ſuperficie explodant. Differt haec exploſio ab ea, quam MICHELI, HALLERVS, GLEDITSCHIVS in Agaricis obſeruauerunt, etſi cum ea quaedam ſimilia habet, potiſſimum in

eo,

eo, quod haec a Cl. Auctore primum in *Clauariis* obſeruata exploſio, per pulſus, fere continuo fiat. Refert Cl. Auctor quaedam exempla prioris, atque deinde confirmat obſeruationem MICHELI, in *Lycoperdone Carpobolo* factam, quod pluuioſo tempore globulum per parabolam proiiciat et dein claudatur.

Obſeruauit vero hanc exploſionem primo in *Clauaria militari*, quae ſolis putridis inſectis innaſcitur*), et cuius elegantem iconem dedit in Florae Danicae faſciculo vndecimo, quem cum reliquis proxime indicabimus. Altera eſt *Clauaria ſpatula* Cl. Auctoris, ibidem quoque depicta, quam ſolus SCHAEFFERVS nomine *Eluelae clauatae* **), commemorauit. Tertia eſt *Cl. Ophioglosſoides* LINN.

In *Clauaria militari*, ſi ad longitudinem diſſecatur, tota ſuperficies ex minoribus cellulis apparet compoſita, quas corpus conicum, papillas ſuperficiei formans implet. Ope ſimplicis lentis microſcopicae vidit ex his papillis filiformia corpuſcula exire, quae ſerpentino modo libere mouerentur, et partim in fungum iterum reciderent, ita, vt idem, aliquo temporis ſpatio praegreſſo, mucore vel lanugine obtectus videretur; alia in orificiis papillarum haerebant alia iterato motu egredi nitebantur; atque cuncta, dum exeunt, ad pollicem vſque a claua diſſiliunt. Cum has fibrillas, curatioris diſquiſitionis inſtituendae cauſſa, vitro plano imponeret Cl. Auctor: eaedem coibant in fila, atque telam, goſſypio ſimilem, conſtituebant. p. 159.

Ex *Clauaria ſpatula* ſimilia corpuſcula, punctulis albis ſimilia, prodeunt, quae vero microſcopii p. 163.

 ope

*) vid. Nou. Act. acad. natur. curioſ. Tom. IV. comm. noſtr. Vol. XX. p. 444.

**) vid. EIVSD. hiſtor. fung. tab. 159.

p. 164. ope fibrillis *Cl. militaris* ſunt ſimilia. In *Cl. ophioglosſoide* tota ſuperficies tubulis minimis obſeſſa eſt, ex quibus quoque corpuſcula, bacillos truncatos ſub microſcopio repraeſentantia prodeunt, quae, cum egrediuntur et ſolis radiis exponuntur, ſcintillis nitentibus ſeſe circa fungum volutantibus et in eum recidentibus ſimilia ſunt. Haec non coeunt in telam, vti priorum ſpecierum fibrillae.

p. 166. Hae fibrillae et bacilli ſepoſita, vel aquae immiſſa, non mutabantur, neque vitae ſigna prodebant. Fibrillae, euaporata aqua, quoque diſparebant et aqua ſuperfuſa in moleculas variae magnitudinis cryſtalliſabatur; bacilli vero non mutati remanebant, et aqua ſine cryſtalliſatione euaporabat.

Multas quaeſtiones de hoc phaenomeno notatu digniſſimo proponit, ad quas vero nihil certi reſponderi poteſt. Similia haec corpuſcula eſſe ait iſtis fibris, quae radices fungorum habitae ſunt, et forſan ex his ſponte ſe mouentibus moleculis naſcuntur. Quicquid ſit, hoc tamen phaenomenon, vti etiam obſeruatio liberi Baronis DE MÜNCHHAVSEN *), aliam de fungorum generatione poſtulare theoriam Cl. Auctori videntur.

p. 170. 6. *Additamentum ad hiſtoriam naturalem Mergi ſerratoris*, LINN. Auctore IOANNE BECKMANN. Correctior datur eiuſdem deſcriptio. Roſtrum fuit rubrum, nares lineares, in ſingula ala tantum vna ſtria nigra, tranſuerſa, pectus et tectrices alarum alba, pedes rubri. Praeterea vitia iconum de hac aue datarum corriguntur.

p. 177. 7. *Termes fatale* LINN. curatius definit I. C. FABRICIVS. Iam ſupra **) indicauimus Cl. Auctorem

*) Quam propoſuit in libri vtiliſſimi, *der Hausvater* inſcripti. Tomo II. p. 134.

**) vid. hui. Volum. P. II. p. 201.

rem proprium genus, medium inter *Apem* et *Formicam*, ex *Termete* conſtituere: eiuſque hic vberiorem, quoad omnes partes, et elegantem dat deſcriptionem.

8. *De terra farinoſa, quae in muco vegetabilium, vt pars conſtituens, reperitur, et ex qua ſeparata amylum paratur*, agit *Ill.* JOANNES GOTTLIEB GLEDITSCH. Expoſitis generatim partibus conſtituentibus vegetabilium, terram duplicem farinoſam, aliam ſubtiliorem, aliam craſſiorem in multis vegetabilium mixtionibus reperiri oſtendit, ipſaque vegetabilia, hanc ob rationem, in duas claſſes diuidit: alia enim ſubtiliorem terram, copioſiori craſſiori oleo latentique acido ſali admixtam, continent, quo fit, vt ea, ſi aqua addatur, iterum lacteſcendo cum iis coeat, indeque difficilius ſeparetur, neque amyli loco adhiberi poſſit; multa vero vegetabilia, pauciore craſſi et pinguis olei copia, copioſiore contra dulci mucoſa, et farinoſa terrea parte inſtruuntur. Ad priorem claſſem omnes plantae, quarum ſemina nuce vel baccis ſunt contenta, palmae, papaueres, LINN. et cucurbitaceae referuntur: quae ideo melius, propter oleum, vel nutrimenti cauſſa, quam ad amylum, in vſum ducuntur. p. 181. p. 188.

Alterius claſſis mucilago praeterea, vti et terrea pars, multum ratione ſubtilitatis variant, atque haec plerumque tertiam partem ſeminis vel radicis plantae efficit, cui tamen acidi et phlogiſti aliqua pars quoque admixta eſt. Noſter tres ſpecies quaſi aſſumit, ſubſtantias 1) terreo mucilagineas, 2) glutinoſo terreas rudiores, 3) aqueo mucilagineas. Mucilago harum plantarum ſaepe adeo tenax eſt, vt ne aqua quidem ſolui poſſit; ideoque preſſione eius ſeparatio eſt adiuuanda; calidam enim aquam adhibere prohibent alia inde orta incommoda. p. 194.

commoda. Tali tenaci ſucco mucilaginoſo praedita ſunt *Symphytum*, *Caſſia lignea*, cortex *Viburni Lantanae*, *Ilicis Aquifolii*, *Vlmi*, *Tiliae* et ipſum *Viſcum*. Subtiliſſimae terreo mucilagineae ſubſtantiae, eaeque vt plurimum adhibitae, ſunt in radicibus *Salep*, *Orchidum*, *Satyrii*, *Erythronii*; ſemine *Cydoniorum*, et *Pſyllii*; et bulbis *Lilii*, vt et radicibus *Maluacearum* plantarum.

p. 201. Iam ad ipſum amylum conſiderandum accedit, atque eius antiquitate et variis nominibus, quibus vel ipſum, vel plantae, ex quibus eliciatur, ab antiquis forſan inſignita ſint, breuiter indicatis, de illius, quod hodie adhiberi ſolet, ratione et diuerſitate exponit, plantasque indicat, ex quibus parari poſſit

p. 206. et debeat. Nomen *amyli* ſtatim indicat, illud absque molendina, ſola per aquam ex plantis eductione parari: et optime quidem ex *Tritico monococco* et *Spelta*. Cl. Auctor vero illud ex pluribus eduxit, vti ex bulbis *Fritillariae imperialis* LINN. quod ſubtile et peralbum erat, ex *Polygono Fagopyro*, ex radicibus recentibus *Calami Acori*, et *Iridis Florentinae*, ex ſeminibus recentibus *Aeſculi hippocaſtani*, ex bulbis *Colchici*, *Ornithogali alexandrini*, *Leucoii verni*, et *Galanthi niualis*. Poſtea de vſu amyli exponens, id de medico vſu addit, ob inſpiſſantem, lenientem, emollientem, lubricantem, temperantem et nutrientem virtutem omnem attentionem mereri; quaſdam vero eiuſdem ſpecies obſtruere et adſtringere: non eſſe autem, vti nonnulli medici opinati ſunt, in eo latentem acrimoniam, neque alia incommoda inducere.

p. 230. 9. *De incremento et coloribus teſtarum in conchyliis, tractatio*, Auctore Ill. IO. ERNESTO IMMANVELE WALCH. Duplici de incremento teſtarum opinione, quam Auctores, hic omnes a Cl. Auctore indicati,

indicati, fouerunt, expoſita, illam veram eſſe putat, qua teſtis fibroſa et celluloſa textura tribuatur, in qua fundamentum incrementi poſitum ſit: nam, cum animalia corpora ſint, organiſata eſſe debent, quod ex determinata eorum ſtructura, et ſimilitudine cum ſcutis aliorum animalium patet; cui accedit, quod microſcopiorum ope, iam fibrae ſeu vaſa in iis detecta ſint. Haec vaſa cum iis, quae in foliis plantarum diſperguntur maxima ex parte conuenire, atque in vnaquaque ſpecie conchyliorum diuerſa eſſe, duritiem eorum a ſucco tenace et indurato pendere, qui, ſi interſtitia repleuerit, lamellas conſtituat. In his vaſis etiam humores, alios atque alios colores nanciſci, vt igitur etiam cauſſa diuerſorum colorum in vaſculari fabrica teſtarum quaerenda ſit.

Iam de modo, quo incrementum teſtae fiat, agit. p. 252. Teſtam iam in ouo ſimul cum animali adeſſe microſcopia docent. Lamellae teſtarum ab exteriori parte apponuntur, quod probant animalia marina, e. g. corallina intra lamellas contenta. Deinde negat teſtarum anfractus numero augeri, ampliores longioresque fieri concedit, atque ipſum animal cum teſta per tendines vel muſculos nexum eſſe confirmat; quaſdam vero cochleas teſtas ſuas deponere precario aſſumtum eſſe.

Rationes denique, cur colores teſtarum a vaſculari ſyſtemate et humoribus in eo ita mutatis oriri exiſtimet, has proponit Ill. Auctor: certam et determinatam colorum delineationem, quae a limitibus vaſculorum pendeat, in quibusdam enim ſi reperiuntur varietates, rupta eſſe vaſa demonſtrant; deinde incrementum figurarum coloratarum cum ipſa teſta aequabile, idque quod colores, ſanis animalibus, pulchriores et multo magis nitentes, iis vero aegrotantibus pallidi ſint; denique ana- p. 260.

 logia

logia cum coloribus plantarum, pennarum in aui- bus et inſectorum.

p. 267. 10. *Experimenta cum ſolutione terrae ſilicinae in acidis, Auctore* I. C. F. MEYERO. Horum experimentorum ſumma haec eſt, vt oſtendant terram ſilicinam atque aluminoſam inter ſe inuicem diſcrepare. Terra enim aluminis inter fundendum a ſale alcalino non aeque bene ſoluitur, atque ſilicina, neque in maſſam eiuſmodi ſpumeſcentem fluit, ſed in multiformem, mollem, quae aqua affuſa cito excudit illam aluminis terram ab acidis egregie ſolubilem. Et quamuis terra ſilicina, cuius diuerſa ſpecimina, ſedulo prius ab admixtis depurata adhibuit Cl. Auctor, vbi antea cum alcalinis fuſa fuerat et in liquorem ſilicum ſoluta, ab admixtis acidis, mineralibus aeque ac vegetabili, ſine vllius praecipitati veſtigio ſolueretur, maxime ſi duae liquoris ſilicum drachmae aquae deſtillatae vnciis ſex diluerentur: ſolutionibus tamen iſtis ad gelatinae prius conſiſtentiam, dein ad ſiccitatem euaporatis obtenta eſt maſſa, ex qua aqua, affuſa elixiuiatis ſalibus mediis, relicta fuit terra ſilicina, prorſus non mutata, atque in acidis penitus inſolubilis. Quapropter quidem, ea tamen, qua decet, modeſtia, dubitat Cl. Auctor de mixtione aluminis, quam BEAVME' et POERNERVS, VV. Cll. propoſuerunt, atque ſi vtrique e ſilice impetrarint verum alumen, aut ſilicinae terrae adhibitae aluminoſam infuiſſe, aut encheireſin ſubeſſe iudicat abſconditam, cuius declarationem pergratam cum Cl. Auctore expectamus. Caeterum vix perſuaderi ſibi poſſe fatetur, *tartarum vitriolatum, acido vitriolico ſuperſaturatum*, qui ex liquore ſilicum acido vitrioli vltra ſaturationem remixto cryſtalliſando vere, vti et aliis modis obtineri poteſt, quamuis

Cl.

Cl. BEAVME; RVELLIO V. Cl. id ſtatuenti omni modo repugnat, habitum forte fuiſſe in Beaumeanis periculis pro alumine. Adiicit ſilicinae terrae calcaream aliquando parua copia mixtam eſſe, quam efferueſcentia non prodat, neque crudam, quum intime mixta ſint, neque vſtulatam, quum et haec cum acidis non ferueat; contrarius hac ex parte. CARTHEVSERO iuniori, V. Cl qui ex cryſtallo montana obtentum cum acido vitriolico ſelenitem agnoſcere non vult, quoniam cryſtallus montana neque cruda neque vſta cum acidis ferveat. Caeterum nec CARTHEVSERO licuit e ſilicina terra parare alumen. Inter ſigna purorum cinerum clauellatorum refert Cl. Auctor, non ſolum ſolutionem facilem in aqua, verum et hoc, vt adfuſa acida nullam terram ſilicinam inde excutiant; ſi quidem ſordidi lucri cauſſa in calcinatione, adiecta ſali huic arena, ita ſe intime vniat ſali, vt, vna ab aqua ſoluatur et per filtrum tranſeat. Coctione tamen inſpiſſato liquore mox, vt terrae craſſae mucilagineae gleba inde rurſus ſecedat. Vnde quoque explicat originem terrae iſtius ſilicinae, quae crebris ſalium alcalinorum ſolutionibus et calcinationibus ex ipſis ſeparatur, atque pro vera ipſorum parte conſtitutiua habetur; Noſtro nimirum ex ipſis crucibulis inter calcinandum in ſal aduentaſſe atque adeo acceſſoria videtur.

II. *Deſcriptio Oniſci Pſorae* LINN. iconibus p. 292. illuſtrata Auctore L. SPENGLER. Hoc animal iam a IACOBAEO *), WORMIO **), et STRÖMIO ***), nota-

*) in muſeo reg. Hafn. 1696. P. I. Sect. 5. tab. I. n. 25. vid. et IO. THOOLEVII deſcript. in act. medic. Hafn. 1677. Vol. 5.
**) vid. EIVSD. muſ. p. 242.
***) EIVSD. Sandmoer. P. I. p. 164. no. 2.

notatum eſt. Multae eiuſdem ſunt varietates, quoad pedum figuram, numerum et magnitudinem antennarum et ratione oculorum. Dorſum eius eſt plano fornicatum, ſeptem ſcutis tectum; cauda eſt rotundato acuminata, ſeu lanceolata. Antennis quatuor, duabus longioribus, duabus breuioribus inſtruitur. Oculi in quolibet latere ex 330 minoribus componuntur, quorum quilibet hexagonam cellulam quaſi conſtituit, materia virideſcente repletam. Quot in dorſo ſcutis, totidem pedibus inſtruitur, qui in ſingulari vagina haerent, et quinque articulis conſtant. Abdomen tenui, ſed tenaci cute eſt tectum, ſub qua ouarium pellucet, cui ab Islandica gente, vires magnae tribuuntur, vnde et animal nomen habet *Oenskebiörn*, i. e. Vrſus optatorius. Quae reliquam huius inſecti hiſtoriam attinent, ea, fatetur Auctor Cl., plurima adhuc obſcura et dubia ſunt.

p. 308. His additur *Oniſci Ceti*, et *Oeſtri* LINN. atque *Chitonis aculeati* LINN. qui a nonnullis perperam cum *Oniſco Pſora* confunditur, plenior et curatior deſcriptio atque icones. Recte *Chitonem* ad *Teſtacea* referri confirmat, cum teſta eius non cornea, ſed lapidea et calcarea ſit, ideoque cum acidis efferueſcat. Plura addit de varietatibus eiuſdem, et monet eas aliis conchyliis et extus, et intus adhaerere, vti lepades.

p. 332. 12. D. PELISSONI *comparatio optimorum microſcopiorum, atque breuis quorundam microſcopicorum tentaminum relatio.* Microſcopia compoſita a *Ruſſio*, *Adamo* Anglo, *Rheinthalero* et *Hofmanno*, Lipſienſibus, fabricata ſecum comparat. Delebarianum nuper in Belgio fabricatum omnium viliſſimum recte iudicatur. Hofmanniano, ratione claritatis et augmento, quod producit, prae reliquis

quis omnibus primatum tribuit; atque, quae de qualitatibus externis monet, ea ita comparata ſunt, vt pro lubitu ab artifice emendari poſſint. Addere etiam id debemus, Cl. Auctorem microſcopium diſquiſiuiſſe, quod e primis eſt; atque nouiſſime facta ab *Hofmanno* microſcopia eam habere praecipuam virtutem, quod lentes facillime et citiſſime transmutari poſſint. Adiicit in tabula rationem lentium vitrearum, ad ſe inuicem et focum eorum.

Varia microſcopica animalia in aquis Berolinenſibus obſeruauit Cl. Auctor, vt *Vorticellas*, *Hydram ſocialem* et *Crepidae* ſimile animalculum a Cl. GOEZE primo detectum, in quo eandem ſpontaneam partitionem vidit, quae in *Naidibus* obſeruatur; *Gonium pectorale* (MÜLLERI *hiſt. verm. p. 60.*) de quo monet, non ſemper ſedecim ſphaerulas coniunctas, ſed interdum quinque aut ſex ſphaerulas reperiri; illudque per quaſdam tantum ſeptimanas vidit, poſtea apparuerunt anguillulae minimae acutae. Quaerit igitur, an hoc *Gonium* animal, an ouula, aut larua inſecti ſit habendum; an vero anguillulae inde natae ſint? p. 338.

13. *De origine margaritarum nouam hypotheſin* proponit I. H. CHEMNITZ. Omnibus opinionibus de ea expoſitis, margaritas ab animalibus concharum ſtrui, tanquam auxilia contra iniurias externas et laeſiones, a *Serpulis* et aliis vermibus marinis teſtis impreſſas. Idque probat ipſis conchis, quae exteriore in lamina teſtae a *terebellis* laeſae ſunt et intus cuilibet foramini praefixam habent margaritam. Perforatas vero teſtas, in quibus multae margaritae reperiuntur, vel animale mortuo perforatas, vel animal a hoſte quoque enecatum eſſe. Atque, ſi haec ſententia vera ſit, ſtatim ab exteriore parte cognoſci poterit, an concha margaritas gerat, p. 351.

nec

nec ne, deinde quoque arte cogi poterunt conchae, vt margaritas componant, ſi perforentur earum teſtae, et iterum aquae immittantur.

p. 370. 14. Cl. I. A. E. GOEZE *deſcriptio animalculi aquatici vel parum noti, vel plane incogniti, icone illuſtrata.* Propenſus eſt Cl. Auctor, vt hoc mirae et ſingularis ſtructurae animalculum laruam inſecti ignoti habeat, qua in re nos ei lubenter aſſentimus, propter ſimilitudinem, quam cum aliis laruis habet. Interim ſingularis et notatu digniſſima eſt eius ſtructura. Corpus eſt elongatum, articulatum, antice craſſius, caput enim vncis duobus anterioribus trifidis, aliisque piloſis proceſſibus, palporum inſtar; et os duabus maxillis quinqueſerratis inſtruitur. Oculus oualis, glaber, conuexis, albis globulis, margaritas aemulantibus cinctus. In thorace duae reniformes maculae conſpiciuntur, quae forſan ſpiraculorum loco inſeruiunt. In cauda ſunt plures ſetae pinnatae retractiles. Reliqua iconum illuſtratione egent.

p. 380. 15. I. CH. E. *de effectu pollinis plantarum experimentum.* Nimirum commixto polline plantarum diuerſarum natae ſunt plantae hybridae, plantis vtrisque ſimiles.

p. 387. 16. LORENTII SPENGLERI *deſcriptio nouae Tellinae ex inſulis Fridericianis, icone ornata.* Rarae huius conchae ſingularis proprietas ea eſt, quod margo vterque poſterior, ſpectans cardinem, vtrinque ſerratus, ſeu mucronibus latis obſeſſus ſit.
p. 395. Teſta alba eſt, longitudinaliter ſulcata. Huic addit nouae *Helicis* ex oceano auſtrali deſcriptionem et iconem: quae magnitudine nucem auellanam aequat et triangulum obtuſum format, eſt tranſuerſim

plicata,

plicata, atque anfractus in parte ſuperiore variee eminente cincti ſunt.

In litteris adnexis dat quoque relationem de *Cono Ammirali cedo nulli*, atque huius varietatem, quae pro ſecundo gradu habetur, depictam et deſcriptam ſiſtit. p. 411.

17. *De morte Hydrae griſeae obſeruata, Auctor* F. W. S. Hydras has poſt quoddam tempus tuberculis obſideri, corpus contorquere, quaſi dolores ſentiant, atque ſenſim ſolis tentaculis moueri, obſeruauit donec et haec cum ipſo corpore motu et vita priuarentur atque in aqua diſſoluerentur. p. 398.

18. OTHONIS FRIDERICI MÜLLERI *deſcriptio mollufci noui*. Hoc inſidet conchis et lignis nauium etc. *Actiniae* proximum eſt, cum vno poro tantum inſtruatur: inſidet pedunculo, qui verſus caput in corpus ouale extenditur; caput rubrum 24 conicis papillis obſeſſum, in quarum media porus, quem pro ore habet Cl. Auctor, reperitur. Motus huius animalis fere inſenſilis, in eo conſiſtit, quod papillae conicae extrahantur et retrahantur. p. 406.

His ſubmittuntur excerpta ex litteris, e quibus notemus, Cl. MEYERVM *Salem ammoniacum* tanquam optimum contra vermes, qui aues factas infeſtant, commendare remedium: nobis tamen aues eo illinitae nihilominus a vermibus exeſae ſunt: Cl. CHEMNITZ referre, naues contra *Teredines* muniri pilis vaccinis intra externum aſſerem denſe immiſſis; Cl. FERBERVM ſcribere *Lauas* ex Vulcano Islandiae eruptas in columnas *Baſaltis* mutari. Denique Cl. TARGIONI Florentinum publicare, Florentiae inſtitui etiam ſocietatem naturae curioſorum, eumque omnes Phyſicos ad hanc inuitare. p. 423. p. 426.

Finem

p. 434. Finem faciunt memoriae Cl. GÜNTHERI, Med. Doct. Sereniſ. Duci Saxon. Coburg. Salfeld. a Conſiliis aulicis: atque GRÜNDLERI, Pictoris et Phyſici Celebris Halenſis.

XVII.

Eſſai de Criſtallographie ou Deſcription des figures géometriques, propres à différens corps du regne minéral, connus vulgairement ſous le nom de Criſtaux, avec figures & développemens, par M. DE ROMÉ DELISLE, de l' Acad. Elect. des Scienc. vtil. de Mayence. à Paris. Chez Didot Knapen et Delaquette. 1772. 1 Alph. 6 pl. tab. aen. X.

h. e.

Cryſtallorum deſcriptio, quoad earum figuram geometricam, Auctore Cl. DE ROMÉ DELISLE.

Cum in colligendis et determinandis cryſtallis Cl. Auctor occupatus eſſet, protinus animaduertit, nondum hactenus ſatis Auctores earum differentias indicaſſe, conſiliumque cepit, ſollicite eas deſcribendi, atque hic pleniorem earum hiſtoriam tradit, in qua deſcriptas cryſtallos cum iis, quas LINNAEVS conſtituit, aliorumque Auctorum nominibus diligenter comparat, deinde ſingularum cryſtallorum vberiorem dat et concinnam deſcriptionem, multasque indicat, quae in LINNAEO non reperiuntur. Omninoque potiſſimum oſtendere annititur affinitatem, quae inter cryſtallos ſalinas, lapideas et metallicas reperiatur: quare etiam omnes cryſtallos, tum quoque earum compoſitionem egregiis et accuratis iconibus illuſtrat. Partitus eſt

liber

liber in quatuor partes, quarum prima cryſtalli ſalinae, altera lapideae, tertia pyritoſae ſ. ſulphuris et arſenici, quarta metallicae enumerantur. Libro praemiſſae ſunt tabulae ſynopticae, in quibus cryſtallorum analogia egregie demonſtratur.

De hac cryſtallorum analogia quoque Cl. Auctor in tractatione, prooemii inſtar praepoſita, eleganter agit. Nullum dubium eſſe, ait, quin ſalia p. 7. partes lapideas, metallicas et ſulphureas, determinauerint ad aſſumendam regularem aliquam figuram. Igitur Ill. LINNAEI ſententia, qua ſalia tanquam baſis lapidearum cryſtallorum aſſumuntur, ex multis obſeruationibus confirmatur. Cryſtallorum figura primitiua ſaepe mutatur, euius mutationis cauſſa, vel ex aliis admixtis particulis ſalinis, vel ex nexu diuerſo figurae, cryſtallo propriae, pendet. Nexus hic mutari ſolet, ſi tempore cryſtalliſationis, fluidum, in quo cryſtalliſandum corpus ſolutum eſt, nimis ſubito ſubtrahitur, vel motu externo cietur. Quod quidem Cl. Auctor ex phaenomenis in cryſtalliſatione quacunque obſeruandis colligit. In eo tantum cryſtalli lapideae, metallicae et ſulphureae a ſalinis differunt, quod careant aqua cryſtalliſationis, quae ſalibus tantum propria ſit. Omne ſal neutrum continet, praeter aquam p. 25. cryſtalliſationis, etiam aquam combinatam cum principio terreo qualicunque, quae non, niſi in vltima ſalium analyſi cognoſcitur. Haec poſterior vero aqua iuncta terreo principio ſub nomine acidi, intrat cryſtallos ſulphureas, lapideas et metallicas. Pluribus deinde experimentis aliorum Auctorum, qui etiam ſalia ad cryſtallorum omnium generationem requiri putarunt, ſimilitudinem omnium cryſtallorum tum ex figura et forma ſimili, tum exinde, quod Chemici cryſtallos conficere

poſſint

poſſint lapideas, ſal continentes probat atque LINNAEI ſententiam reliquis omnibus praeferendam cenſet.

p. 45. Salia conſiderat quoad tria regna, ex quibus ſumuntur. Sal acidum phoſphoreum refert, ad acida mineralia. Acidorum et alcalinorum ſalium cryſtalli parum determinatae ſunt: Noſter aceti,
p. 52. natri, et aphronatri cryſtallos deſcribit. Salium neutrorum cryſtalli facilius obtinentur, quas Noſter cum varietatibus deſcribit; ita vero haec ſalia ordinat, vt acidi ſalis, ex quibus compoſita ſint, maximam rationem habeat. Enumerat igitur ſalia vitriolica, nitroſa, marina ſ. communia, phoſphorea, ſulphurea, tartari, aceti, vegetabilium, empyreumatica tum vegetabilia, tum animalia, boracis arſenicalia, neutra, alcalina et denique eſſentialia. Horum ſalium ſpecies conſtituit varias, prout terrae vel metalla, vel alia ſalibus admixta ſunt. Poſtea ſingularum ſpecierum cryſtallos earumque varietates indicat, et ſollicite oſtendit, eandem ex mutatione figurae primitiuae ſolum pendere, id quod clariſſime exemplis variarum aluminis, tartari vitriolati, et ſalis fontium cryſtallorum demonſtratur; prout enim vel minus anguli aut latera cryſtallorum abſcinduntur, eo etiam ſimilis vel diſſimilis magis oritur cryſtallus. Nos ſingularum cryſtallorum recenſionem hic ſuſcipere non opus exiſtimamus, cum ſpecies ſatis cognitae ſint, et varietatum copia nimis ampla ſit, facileque ad primitivam figuram reducatur. Notemus modo ad animalia empyreumatica ab Auctore referri *ſal ſedatiuum*, quod ex Borace ope acidorum obtineatur, conſtituatque ſal neutrum, ita intime nexum, vt nulla arte adhuc potuerit decomponi, et quibusdam tantum dotibus acidis ſimile ſit. Coniicit, illud

illud ex acido phoſphoreo atque terra quadam componi. Cryſtalli eius ſunt laminae nitentes, tenerae, figurae nondum determinatae. Arſenicum album, ſ. calx metallica arſenici Auctori videtur quoque terra ſingularis, acido cuidam iuncta.

In altera parte de cryſtallis lapideis agens, primum de origine earum per aquae ſolutionem ita diſputat, vt etiam cryſtallos Baſaltis hoc modo natas eſſe opinetur, donec earum origo per ignem firmiſſimis probata ſit argumentis *). Non poſſumus non hic iterum laudare ſingularem et ſummam ſane adhibitam curam in deſcribendis ſingulis cryſtallorum ſpeciebus et varietatibus. HILLII diuiſionem cryſtallorum ſpatoſarum et ſeleniticarum iudicat eſſe vagam, nimisque ſubtilem, cum ſpeciebus male generum nomen dederit ſicque ſpecies nimis auxerit. Sub finem generis addit eas ſpecies cryſtallorum, a WALLERIO propoſitas, quae ipſi contemplari non licuit. In hac parte tanquam genera aſſumit cryſtallos *Spati*, *Gypſi*, *Fluoris mineralis*, *Micae*, *Quarzi*, *Gemmarum*, *Baſaltis*, *et Zeolitis*. p. 106.

Quaſdam nouas cryſtallorum ſpecies commemorare placet. Cryſtallum ſpatoſam deſcribit, priſmaticam, hexaëdram, terminatam pyramidibus duabus hexaëdris, quarum plana reſpondent angulis priſmatis: huius quatuor varietates indicat, cuius prior a LINNAEO *ſyſt. nat. t. III. f. 40.* depicta eſt, non vero Spato tributa. Deinde aliam pyramidalem, ſubhexaëdram, plano triangulari termina- p. 124. p. 130.

*) Forte FERBERI, BORNII, COLLINI, DESMAREST, et aliorum obſeruata ſufficienter hanc hypotheſin probant v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 249. ib. p. 496. ib. p. 680. vid. etiam Cl. BORN epiſt. de vulcano prope vrbem *Eger* reperiundo. comm. noſtr. Vol. hoc p. 373. COLLINI obſeruata reperiuntur in eius itinere, quod a. 1776. prodiit, et proxime a nobis indicabitur.

terminatam, quae in fodinis cinnabari ducatus
p. 153. Bipontini reperta eſt. Monet cryſtallos *Fluoris mineralis* cubicas interdum angulis vel etiam marginibus laterum eſſe truncatas, atque in
p. 158. hac re multum variare. Dubitat Cl. Auctor, an Alumen lapidoſum *quarzeum, extus nigrum* LINN. ad *Quarzum* pertineat, illudque magis Fluori mine-
p. 159. rali adiungendum putat. *Fluorem mineralem* priſmaticum tetraëdrum, duobus tetraëdris breuibus planis inaequalibus, terminatum, a Cl. SAGE iam dictum quoque deſcribit.

p. 161. *Cryſtallos micaceas* Cl. Auctor deſcribit, priſmaticas, hexaëdras vtrinque truncatas, quas ſimiles in *Gypſo Glacie Mariae* vidimus. Obſeruauit Noſter tales cryſtallos inſertas Quarzo, quibus longae et tenues fibrae *Schörli* (*Baſaltis* WALL.) immixtae eſſent, deinde easdem quoque in Granite reperit. Ad cryſtallos micaceas quoque refert Baſaltem, lapidem cruciferum dictum, (CRONSTEDT §. 75), eiusque tres ſpecies facit.

p. 169. *Cryſtallum montanam* quoad figuram, magis ſimilem eſſe tartaro vitriolato, quam nitro affirmat, obſeruationes STENONIS de formatione cryſtallorum hic proponit, atque eius diuerſitates quoad colores, proportionem planorum in priſmate, et pyramidibus, varietates tantum conſtituere recte aſſerit.

p. 194. *Gemmas* in eo a *Cryſtallo montana* differre arbitratur, quod gemmarum particulae interiores in lamellis ſubtiliſſimis diſpoſiti ſint, vnde, ſi inſignis earum durities addatur, ſplendor et nitor earum
p. 199. deriuanda ſint. Indicat errorem, quem WALLERIVS in priore mineralogiae editione circa figuram Adamantis commiſerit, cum *hexagonam* figuram pro *hexaëdra* habuerit: quod quidem nos ideo quoque indicamus, quoniam plures mineralogi in

eundem

eundem errorem, etiam in aliis cryſtallis deſcribendis inciderint. Deinde etiam *Adamantem tabellatum* WALL. non eſſe niſi fragmenta prioris ſpeciei ait. Dubitat quoque de genuino *Adamantum*, quos WALLERIVS in Europa inueniri ait, pretio. Docte et eleganter reliqua de natura, et locis natalibus Adamantis ex aliis collegit Auctor. p. 206.

Gemmas Braſilienſes, vti *Rubinum*, *Saphirum*, *Topaſium*, etc. figuram habere Baſalticam monet. *Saphirum Orientalem* deſcribit cubicum, rhomboidalem, planis inaequalibus. In muſeo regio eſt, *Saphirus Braſilienſis*, priſmaticus polyedrus, planis inaequalibus, ſulcatis pyramide obtuſa terminatus; alia eius varietas eſt hexaëdra, apice diëdro, cuius alterum planum pentagonum, alterum trapezium eſt, finitur. *Topaſius Braſilienſis* eſt tetraëdrus rhomboidalis, planis ſtriatis, terminatus vtrinque pyramide tetraëdra, planis triangulis. *Chryſolitum*, quem *Orientalem* propter duritiem nominat, poſſidet Auctor priſmaticum, hexaëdrum, terminatum vtrinque pyramide tetraëdra cuneiformi. p. 221. p. 224. p. 230.

Praetermittimus plura, quae de Baſalte habet Cl. Auctor, et *Baſaltis Turmalini*, quoad cryſtalli figuram, deſcriptionem commemoremus: cryſtallus eſt priſmatica enneaëdra planis inaequalibus ſtriatis, apice triëdro, obtuſo, planis rhomboidalibus, inaequalibus.

In tertia parte de cryſtallis Pyritaceis et Arſenicalibus agit. Sub Pyrite intelligit, mineram arſenici, cupri, et ſulphuris ſ. Pyritem proprie dictum; ſed diſtincte diuerſitates omnium proponit, vt facile a ſe inuicem dignoſcantur. Poſſidet Cl. Auctor mineram, quae ſucceſſiuam Pyritae originem p. 290.

egregie demonſtrat: galenae enim cubicae ſuper incumbit ſtratum fluoris mineralis cubici, huic inſidet ſtratum pyritae ſulphurei, quod tegitur cryſtallis ſpati calcarei.

p. 295. *Pyritae ſulphurei*, qui in globis aggregatus reperitur, cryſtallos, ſi ſeparatim inueniantur, eſſe octaëdras aut decaëdras, ex duabus oppoſitis pyramidibus apice truncatis compoſitas, quarum inferior ſuperiore longior eſt. Simul monet *Sideriten* SCHEVCHZERI, atque ſic dictos Adamantes Burgo-

p. 310. nienſes *), nihil eſſe, niſi Pyritem martialem. *Pyritem cupreum* obſeruauit etiam icoſaëdrum formatum ex viginti triangulis aequilateris. Conſiderari poteſt haec cryſtalliſatio, tanquam priſma breue pentaëdrum, cuius anguli alternatim vtrinque ſint truncati et quod finitur vtrinque in pyramidem pentaëdram: ſic naſcuntur viginti plana.

p. 316. In parte tertia prius de origine cryſtallorum metallicarum, quam ſimilem aliis eſſe oſtendit, atque cauſam cryſtalliſationis ponit in ſalibus, quae iuxta ſententiam Cl. SAGE, cui Noſter adſen-

p. 325. titur, etiam in metallis reperiuntur. Cinnabaris cryſtallos vidit priſmate triëdro, breui, terminato vtrinque pyramide triëdra, prope a baſi truncata. atque alias decaëdras, duabus pyramidibus baſi iun,

p. 332. ctis, vtrinque truncatis compoſitas. *Pſeudogalenae* cryſtalli ſunt vel octaëdrae vel cubicae: recte dicit Auctor variare Pſeudogalenam colore; nunquam tamen eſt coloris cornei; id enim quod nonnulli Germanorum *Hornblende* dicunt, eſt lapis ad Ba-

p. 334. ſaltem ſ. Schörlum pertinens. *Cobaltum cryſtallinum* cubicum deſcribit, cuius margines et anguli ſint truncati. *Cobaltum rubrum, ſtriatum* (vulgo *flos*

*) Deſcriptae in diario *Mercure de France* 1731. Dec. p. 2719 ſeq.

floſ Cobalti) cryſtallos offert priſmaticas quadrangulas tranſparentes, terminatas vtrinque pyramide diëdra aut tetraëdra, planis rhombeis.

Stanni cryſtalliſati nigri cryſtallus eſt cubica rectangula, cuius margines omnes ſunt truncati: conſtat igitur ex ſex planis rectangulis, et duodecim hexagonis elongatis: huius figuram curate et vberius deſcribit Auctor.

Plumbi cinerei (*Plumbum pellucidum* LINN.) cryſtallos dicit hexaëdras compreſſas, terminatas vtrinque pyramide obtuſa. Huius minerae color aemulatur colorem argenti cornei, ſi tranſparens eſt; datur quoque opacum, griſeum (hoc forte eſt *Plumbum cinereum*): efferueſcit cum acido nitri et molle eſt. Reperitur in fodinis *de la Croix de Sainte Marie aux Mines*. P. 350.

Omittimus plures varietates cryſtallorum nouas, quas Cl. Auctor laudabili ſtudio in *Cupro*, *Ferro*, et *Argento* curate deſcripſit, quum vix fore quemquam putamus mineralogum, qui hoc libro perneceſſario diutius careat. Sub finem addita eſt verſio tabulae de affinitatibus cryſtallorum a LINNAEO datae, et index rerum annectitur.

XVIII.

Index Foſſilium, quae collegit et in Claſſes ac Ordines diſpoſuit IGNATIVS S. R. I. Eques A BORN. Pragae, apud Wolfgangum Gerle. 1772. plag. 12. 8. tabb. aen. 3. Pars altera. ib. 1775. plagg. 10. tab. aen. 3.

Non negandum eſt enumeratione rerum naturalium, ſic et mineralium collectarum, atque diligenti earum deſcriptione, magnum vſum in augmentum totius hiſtoriae naturalis redundare,

praeſertim ſi tam curate et caute omnia commemorentur, quae ad naturam corporis naturalis pertinent, quam bene factum eſt in mineralibus a Perill. Auctore. Collectionem eius certe ad perfectiores et praeſtantiores referendam eſſe et magnus numerus, et curatae de ſingulo indiuiduo relationes et obſeruationes demonſtrant. Praecipua vtilitas huius indicis in indicata ſinguli mineralis patria atque in pluribus mineris minus cognitis poſita eſt. In ordinandis omnibus CRONSTEDTII ſyſtema praecipue aſſumſit, in mineris denominandis LINNAEVM, in nonnullis alios Scriptores ſecutus eſt Perill. Auctor. In plerisque foſſilibus matrices adnotauit, atque addidit quoque ſaxa, e quibus montes metalliferi conſtant. Vnde patet non merum indicem nominum, ſed obſeruatis plurimis lectu digniſſimis plenum librum eſſe habendum.

Primum igitur terras et lapides, phlogiſta mineralia et metalla enarrat, e quibus nos quaedam tantum, noua praeſertim, delibabimus.

p. 3. *Lapis calcareus albus*, particulis ſpatoſis, ſtratum horizontale ad Derbyshire Angliae efficiens, petrefacta continet, quo CRONSTEDTII obſeruatio ad §. 9. qui veſtigia petrefactorum ei denegat, debilitatur.

p. 5. Plures deſcribit *Spati calcarii cryſtalliſati* formas, e. g. cryſtallis trigonis (forte *triëdrae* melius dicerentur), vtrinque pyramidatis, priſmate nullo intermedio; columnis tetraëdris et truncatis, planis vel aequalibus, vel alternis anguſtioribus, et apice diëdro; orbiculis hexaëdris, in apicem triquetrum deſinentibus. Diſtinguit a *cryſtalliſato*

p. 8. *Spato* Cl. Auctor *figuratum*, vel lamelloſum, vel

p. 9. cylindricum, vel globoſum. Notabile eſt *Spatum flaueſcens*, cylindris tenuiſſimis longioribus in conum

num defluentibus, e *Siglisberg* Schemnizii Hungariae inferioris; aliudque globis ſolitariis flaueſcentibus, ſuperficie cylindris ſpatoſis diſtinctis ad centrum tendentibus echinata, e *fodina Chriſtinae* ibidem: vtrumque eſt depictum.

Quaſdam tantum *Gypſi cryſtalliſati* ſpecies, hic depictas, nominemus: aliam cryſtallis pyramidatis, pyramide trigona, apice truncata; aliam tetraëdram, columna erecta tetraëdra truncata, lateribus aequalibus; aliam tetraëdram columnarem, lateribus alternis anguſtioribus ſerratis, pyramide trigona truncata. p. 15.

Quarzum cryſtalliſatum cubicum pellucidum, cubis ſolitariis inanibus, cauitate cubica, ſuperficie cryſtallis acaulibus tecta; e fodina *Annae Cremnizii Hung:* et parallelopipedum, parallelopipedis inanibus ſolitaribus, cryſtallis minimis acaulibus tectis, e *Siglisberg Schemnizii Hung. inf:* hexaëdrum clauatum ſ. vbi pyramis craſſior columnae tenuiori impoſita eſt: et quoque hexaëdrum clauatum, pyramide minore columnae craſſiori adnata: denique hexaëdrum, pyramide ſuperiore clauata inferiore acuminata, ex fodina Chriſtinae Schemnizii, memorandae videntur nobis cryſtalliſationes. p. 21.

Inter *Calcedonios* eſt quidam ſtillatitius, qui includat vegetabilia, Ericam, Iuncos, etc. e *Lebotka* prope *Chremnitz Hung. inf.* p. 25.

Cum, quae de *Auro laruato*, atque *mineraliſato* enumerat varietates et matrices, ex litteris Cl. Auctoris *) iam cognita ſint, mentionem tantum faciamus, *Auri natiui ſolidi bracteati* lamellis ſuperficie cryſtalliſata, cryſtallis trigonis, oculo non armato probe dignoſcendis, ex Abrubanya in Transſyluania. p. 64.

 Argen-

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 500.

p. 70. *Argentum natiuum dendroides*, ramulis Quarzo pellucido obductis, ad *Ratieboriz Bohemiae;* et petroſilice flaueſcente ſtillatitio obductis, ex *Aberdam ad Ioachimſthal Boh:*

p. 73. *Argentum vitreum capillare*, longioribus articulatis capillis, antennis *Cerambycum* ſimillimis, e *Moderſtolln ad Schemniz Hung. inf:* — cryſtalliſatum, cubicum, et cryſtallis decaëdris et polyë-
p. 76. dris. *Argentum rubrum* cryſtallis tetraëdris, elongatis, ex *Hof ad Schemnitz Hung. inf. Argentum mineraliſatum album* cryſtallis pyramidatis trigonis baſi hexaëdra, e *Kapnik Tranſſylv.* et cryſtallis polyedris.

p. 87. *Minerae ſtanni vitreae* cryſtalliſationem deſcribit; eſt cryſtallus maior dodecaëdra e planis quatuor tetraëdris, et octo trigonis, quam vnicam et diſtinctam, planis regularibus inter cryſtallos innumeras polyëdras Cl. Auctor reperit. Etiam
p. 89. *Stanni ſpatoſi*, et quidem cryſtalliſati tetraëdri, et octaëdri, ex *Simonis* et *Iudae fodina* ad *Schönfeld*
p. 107. *Bohemiae*, mentionem fecit. *Cuprum vitratum* cryſtalliſatum, cryſtallis decaëdris, e planis tetraëdris, et cryſtallis minimis polyedris indicat. Omittimus plures de reliquis metallis cryſtallos vel alias ſpecies indicare, quae potiſſimum copioſae ſunt ex Tranſſyluania atque Vngaria, in litteris Cl. Auctoris iam paſſim deſcriptae.

p. 149. In Claſſe quinta Petras ſ. Saxa enumerat, atque hic primum partes ſimpliciores, ex quibus compoſitae ſunt; deinde eorum locum natalem accurate indicat, quod omnino magni vſus eſt ad geographiam mineralogicam emendandam.

P. II. In Parte altera Petrificata et producta Vulcanorum, vti quoque acceſſiones lapidum minerarumque indicantur. Petrificata methodo Linnaeana ordinauit, obſeruauitque, quae ad vberiorem naturae cogni-

cognitionem faciant, commemorauit quoque icones a Lithologis datas, inprimis eas, quas Ill. WALCHIVS curis Knorrianis edidit. Quaſdam nouas aeri incidi curauit, vti ſunt:

Entomolithus incognitus, trilobus, lobo medio eleuato, ſtriis duabus tranſuerſis verſus baſin ſtriato, lobis lateralibus depreſſis, laeuibus. In argilla indurata cinerea fiſſili. E *Ginez circuli Beraunenſis Bohemiae.* p. 6.

Helmintholithus aculei echini, longiſſimus ſtriatus, ſtriis ſimplicibus, baſi aculei obouata et petiolata; in lapide calcario nigro ſuillo. E *Koſorz prope Pragam Bohemiae.* p. 9.

- - *Oſtreae rudis;* teſta lamelloſa lamellis vndulatis: de quo quaeritur, an ſit Oſtreae foſſilis, quam Cl. MONTI in commentariis Bonon. Tom. III. P. II. pag. 339. f. 4. deſcribit, fragmentum, atque conuenire fere dicitur cum figura, quam SCHEVCHZERVS hiſtor. natur. Heluet. Tab. III. f. 119. et BOVRQVET *des Petrif.* Tab. III. f. 117. dederunt. Albus, calcarius. *E ſtrato oſtrearum foſſilium, ad Valiabanya Bannatus Temeſienſis.* p. 18.

- - *Nautili* orthocerae, teſta conica laeui dimidiata, cameris latioribus, ſiphunculo medio cameras arcuatas ſecante. Albus, in lapide calcario nigro. E *Koſorz Bohemiae.* p. 32.

- - *Madreporae porpitae* orbicularis, parte altera plana, ſtriis concentricis eleuatis, altera conuexa, in medio longitudinaliter profundius ſulcata, ſtriis a ſulco verſus marginem tendentibus. Calcarius cinereus maximus, magnitudine volae; ad ſalinas *Auſtriae ſuperioris.* p. 45.

- - *Madreporae compoſitae,* corporibus hexaëdris ſolidis parallelis erectis contiguis: cellulis ſtella repletis; marmoreus flauo fuſcus; ad ſalinas Auſtriae ſuperioris. Iam ſimile ſpecimen LINNAEVS in amoenit. academ. Tom. I. fig. 27. depictum dedit, dubitat tamen Noſter, an idem ſit. p. 49.

Helmintholithus Corallinae, ramulis dichotomis, articulis bicornibus; in lapide calcario nigro; e *Koſorz* prope Pragam Bohemiae.

p. 58. Numeroſa quoque ſunt Petrificata vegetabilia, in quibus ſaepe plantarum, vti quoque lignorum genera Cl. Auctor definire tentauit.

p. 67. et 70. Sequuntur lapides heteromorphi, atque producta vulcanorum tum propria, ſ. ſcoriae, pumices, aliaeque montium igniuomorum ſoboles; tum ſpuria ſ. lapides aut minerae, vi ignis e vulcanis eiectae, nec igne mutatae: in quorum recenſione praeſertim ad FERBERI epiſtolas *) reſpexit, easque commemorauit.

His ſubiunguntur additamenta ad indicem foſſilium eorum, quae prima parte enumerata ſunt, vbi multae variarum cryſtallorum formae, e diuerſis locis atque aliae minerae reperiuntur. Inter alia ſingularia ſunt

p. 81. *Spatum calcarium* criſtalliſatum, dodecaëdrum album opacum, et lamellis quatuor erectis, oblique truncatis, ita adunatis, vt prisma angulatum, apice tetraëdro efficiant, tab. I. fig. 1. depictum: e *Zellerfeld Hercyniae*.

p. 84. *Alabaſtrum rubrum pellucidum*, quod a metallicolis ad *Hallſtadt Auſtriae ſuperioris*, vbi reperitur, Achates dicitur, cum ſit fractura ſilicina, atque in ſalinis dum inſtrumentis chalybeis metallicolarum effringitur, ſcintillat.

p. 89. *Quarzum* cryſtalliſatum, columna hexaëdra oblique truncata, tab. I. fig. 4 depictum.

p. 108. *Aurum* laruatum, in galena plumbi, quod tantum rariſſime Nagyaii occurrit.

Haec

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 244.

Haec pauca ex numeroſiſſima hac mineralium collectione indicaſſe ſufficiat; caeterum non dubitamus fore, vt liber hic certe vtiliſſimus a mineralogis ipſe diligenter legatur, qui ſane propter accuratam ſpeciminum definitionem, exempli inſtar ſeruire poterit.

XIX.

Noua phyſico medica.

Diuionenſis ſcientiarum artium et literarum elegantiorum Academia quaeſtionem, ab Eadem ad praemium 1774 reportandum iam propoſitam *) repetiit, nec ante 1 Aprilis 1777 illius commentarios exſpectat.

Haec vero erat ita comparata: *In quibuſnam morbis medico mox agendum eſt, in quibus vero exſpectandum et in quibus hoc vel illud praeferendum, quaenam ſunt ſigna, ex quibus medicus intelligat, vel agendum eſſe ſibi, vel quieſcendum, vſque dum tempus opportunius medicamenta applicandi appareat?*

Eadem Academia iterum iterumque quaeſtionem attinentem mutationem et mixtionem acidorum in oleis **) cum viris eruditis communicat.

Academiae regiae ſcientiarum *Burdegalenſis* quaeſtiones nonnullas reiteratas fuiſſe ſupra ***) indicauimus. Inter eas et haec eſt: *quaenam eſt cauſa bullarum ſtriarumque, in omnibus fere vitris opticis conſpicuarum, quibus modis iis poſſit caueri et vitra experimentis, quae cum iis inſtituantur, aptiora reddi* †).

Duplum

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 151. it. Vol. XX. p. 144.
**) v. ib. Vol. h. p. 543.
***) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 147.
†) v. ib. Vol. XIX. p. 549.

Duplum pollicetur Academia praemium et exſpectat quaeſtionis elaborationes anno 1777.

Porro *Eadem* quaerit: *ſitne poſſibile urbi Burdegalenſi procurare maiorem aquae copiam et quaenam ſint remedia eam illuc ducendi et ibi diſtribuendi optima minuſque ſumtuoſa? (S'il ne ſeroit pas poſſible de procurer à la ville de Bourdeaux une plus grande abondance de bonnes eaux & quels ſeroient les moyens de les y conduire & de les y diſtribuer les plus ſolides, les moins ſujèts à inconveniens & en même tems les moins diſpendieux?)*

Pertinet et haec quaeſtio pariter ad ſupra memoratum annum, vti et ea, quae concernit virtutes medicas regni animalis, ac potiſſimum viperae, cancri fluuiatilis, teſtudinis cet.*).

Cautiones caeteroquin ab iis, quibus has in res inquirere placet, notandas in locis ſupra laudatis narrauimus.

Iam ſupra indicauimus, Academiam Regiam ſcientiarum *Pariſienſem* **) inſolita praemia nonnullis quaeſtionibus conſtituiſſe. Nos autem hic repetimus inprimis hanc: *Inueniantur remedia maxime prompta et maxime oeconomica ad procurandam in Gallia productionem et culturam nitri, quae ſit copioſior ea, quae nunc obtinetur et quae inprimis tollat inquiſitiones, quas nitrarii in domibus priuatis inſtituere ſolent.*

(De trouver les moyens les plus prompts & les plus économiques de procurer en France une production & une recolte de Salpêtre plus abondante, que celle, qu' on obtient préſentement & ſur tout, qui puiſſent diſpenſer des recherches que les ſalpetriers ont le droit de faire dans les maiſons des particuliers.)

Poſtulat

*) v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 715.

**) v. ſupra p. 343.

Poſtulat Academia, vt, qui tractatus mittant, eos clare et appoſite elaborent. Praemium 4000 librarum Gallicarum ei diſtribuetur, qui methodum optimam et quae facillime exerceri poſſit, propoſuerit, etiamſi vel haec methodus oriretur ex felici applicatione obſeruationum et experimentorum iam cognitorum.

Regiae ſcientiarum Academiae *Mantuanae* quaeſtioni *) de morbo in oryza, quae vulgo dicitur *Carolo*, praecauendo et curando, ſupra memoratae hoc addamus; quemcunque, qui hac de re optimum tractatum miſerit Academiae, nummis aureis duobus, quorum ſingulus quinquaginta florenos aequat, donatum iri. Tractationes vero ante I. diem Nouembris 1776. Latina vel Italica lingua ſcriptae ſolutis vectigalibus Cl. GIOVANNI GIROLOMO CARELI, perpetuo Academiae ſecretario, tradi debent. Quaeſtionem de cortice Peruuiano vide ſuperius **).

Academia ſcientiarum et artium elegantiorum *Berolinenſis* optat, vt palam fiat arcanum: *Sabulum ad lapidis duritiem compingendi, vnde columnae et ſtatuae fingi poſſint.* Praemium eſt ſexaginta numorum aureorum Fridericianorum. Elaborationes calend. Mai. 1777. ab Ill. FORMEY more conſueto ***) exſpectabuntur. Exemplar lapidis libello addi oportet.

Lugdunenſis ſcientiarum, elegantiorum litterarum et artium Academia Cl. CAMPERO praemium ſexcentarum librarum Gallicarum a Cl. POUTEAU ſuppe-

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 147.
**) v. comm. noſtr. Vol. h. p. 167.
***) v. ſupra p. 344.

ſuppeditatum pro *theoria atque methodo morbis chronicis pulmonum medendi*, adiuncta diſquiſitione hiſtorica critica, ſupra praecipua remedia adhibita aduerſus hos morbos cum a veteribus, tum a recentioribus, etiam ab empyricis *) diſtribuit. Commentario Cl. CAMPER praepoſuerat CELSI illud: *in omnibus cogitationibus in vtramque partem diſſeri poteſt.*

Acceſſit decretum eſt Experientiſſimi BINNINGERI tractatui, qui hoc dicto inſcriptus erat ex MARTIALI: *non nobis licet eſſe tam diſertos, qui muſas colimus ſeueriores.*

Iaſſii in Moldauia vniuerſitatem ab Ill. GREGORIO GKIKA fundatam eſſe audiuimus.

XX.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1773. prodierunt.

Abhandlung von der beſten Art, die Weine theils zum gemeinen Gebrauch, theils zum verſenden zu machen und zu behandeln. Von dem Abt ROZIER. *Zerbſt 8.* (Eſt tractatio Germanica e Gallica lingua de cultura et tranſportatione vini. Attinet quidem Prouinciam, poſſunt tamen et aliis regionibus vtilia hic reperiri. Laudatur haec verſio quoque ob annotationes additas, quae differentiam culturae vini inter Gallos et Germanos in ſe continent. Tabulae aeneae autem in verſione ſunt omiſſae.)

Théorie de la figure humaine. Traduit du Latin de PIERRE PAVL RVBENS. à Paris 4. c. f.

Kurze Abhandlung von dem jetzt herumgehenden Fiebern von CHRIST. GOTTL. RVDELSTAEDTER. *Rudelſtadt und Jena. 8.*

IO. HENR. RVMPEL theſes med. de opio. Duisburg. 4.

BERNH.

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 144.

BERNH. RVST diſſ. inaug. de limitanda laude virtutis ſtypticae balſami vulnerarii rubri DIPPELII et olei martis per deliquium. Gotting. 4.

A chronological hiſtory of the weather, ſeaſons and diſeaſes in Dublin from the year 1725 to 1765. By JOHN RUTTY being a proſecution of this ſubjects according to the ſpecimens publiſhed by HUXHAM and WINTRINGHAM. Lond. 8.

Neue alchymiſtiſche Bibliotheck für den Naturkundiger unſers Jahrhunderts ausgeſucht und herausgegeben von S. 2ten Bandes erſte Sammlung Frankf. und Leipz. 8. Auctor eſt Cl. SCHROEDER.

I. B. SAGAR hiſtoria morbi epidemici *v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 56.*

Eiuſd. diſſ. de variolis Iglauienſibus anni 1766. Lipſ. 8.

Obſeruationes de antimonio i. e. obſervations on antimony and its uſes in the cure of diſeaſes. By WILLIAM SAUNDERS. Lond. printed for *John Whiſton* 8. p. 113.

Breui hoc, ſed egregio libello Cl. Auctor hiſtoriam antimonii naturalem, chemicam pharmaceuticam et medicam ita exponit, vt lectio eius omnibus certe commendanda ſit. Ipſe varia experimenta chemica inſtituit: ſic alcali vola- p. 16. *tile vix quidquam in antimonium agere experimentis ſuis Noſter cognouit. Tabulam exhibet* p. 47. *omnium praeparatorum ex antimonio, quae in officinis aſſeruantur, aut a medicis commendantur atque de viribus deinde ſingulorum praeparatorum exponit.* Puluis IACOBI dictus febrifugus (*Iames's* p. 64. *Powder*) *cuius frequentiſſime in Anglorum medicorum ſcriptis mentio fit, obtinetur, ſi nitri partes duae cum antimonii parte vna calcinantur et itaque antimonium diaphoreticum non perfecte calcinatum ſiſtit. Vitrum antimonii ceratum vt infidum et in-* p. 63. *certum*

p. 87. *certum reiicit. Quod ad vires antimonii medicas attinet Cl. Auctor probare annititur, illud nullos in fluida effectus primarios edere. Hinc in ſolida tantum ſtimulo ſuo agit, et effectus, quos in ceteris corporis partibus praeſtat, ex conſenſu harum partium cum ventriculo et inteſtinis pendent.*

p. 92. *Diaphoreticam eius vim etiam ex conſenſu cutis cum ventriculo explicandam eſſe, probat Cl. Auctor, ex eo, quod ſudor, tunc potiſſimum fluat, quando ventriculus manifeſte ſtimulatur; quod effectus citius pateant, quam antimonium per corpus diffundi poteſt, et quod minima antimonii copia etiam iam ſudorem moueat. Vrinam ſtibium fere tunc demum mouet, quando cum ſalinis combinatur.*
p. 94. *De expectorante vero eius vi dubie Noſter loquitur.*
p. 98. *Antifebrilis antimonii virtus non ex euacuationibus per illud productis explicari poteſt, cum ſine euacuatione manifeſta ſaepe hoc praeſtet, in inflammatoriis et rheumaticis morbis. Hinc forte in diaphoretica eius vi quaerenda eſt. In febribus intermittentibus tartarus emeticus ante paroxyſmum datus, nauſeam et ſudorem concitat, et plerumque proximum paroxyſmum differt atque mitigat: imo nonnunquam febres anomalas et quas neque ſudor, neque apyrexia conſequitur, in ordinem redigit, vel totum morbum fugat. In dyſenteria antimonium etiam diaphoretica ſua vi potiſſimum iuuat.*
p. 104. *Vtile quoque eſt, ſi in refracta doſi exhibetur, in haemorrhagiis inprimis vterinis, ex eadem cauſſa. Addito opio efficacia eius in his morbis augetur. In cutis adfectionibus etiam diaphoreſis tantum antimonio excitata opem*
p. 112. *praeſtat. In lue venerea mercurio quoque bono cum effectu ob vim ſuam ſudorificam iungitur.*

Verzeichnis der Arzneymittel zur allgemeinen Curmethode von D. AVGVST SCHAARSCHMIDT *v.* comm. noſtr. Vol. XX. p. 263.

SALA-

SALAMON SCHINZ *Sendſchreiben an den Herrn* ANTON VON STÖRCK *über die Einpfropfung der Kinderblattern. Zürch 8.*

IO. LEBRECHT SCHMVCKERS *chirurgiſche Wahrnehmungen. Erſter Theil Berlin 8.* vid. ſupra p. 472.

CHPH. HEINR. SCHOBELTS *Beſchreibung der Epidemie in der Altmarck im Jahr 1772.* ib. 8.

CHRIST. DANIEL SCHREBERS *Beſchreibung der Gräſer 2ten Bandes 2te Ausgabe.* (Primam huius operis partem recenſuimus comm. noſtr. Vol. XVI. p. 216. et ſimul atque altera pars finita erit, quae iamdiu optatur et exſpectatur, eam quoque indicabimus.)

FRID. JOSEPH. WILL. SCHROEDER *die völlig eröffnete Alchimie oder höhere Naturwiſſenſchaft in einer deutlichen Anweiſung, als ein Anhang zur neuen alchymiſtiſchen Bibliotheck Caſſel 8.*

Eiuſd. diſſ. inaug. de modo, quo venena, vt ſalutaria medicamenta agunt. Auctore et Reſp. *Phil. Iacob. Piderit.* Marburg. 4.

Eiuſd. medicina flatuum morborumque exin pullulantium, in ſpecie trium, quorum cauſſa adhuc a medicis praeteruiſa fuit, lumbaginis ſic dictae haemorrhoidalis, aſthmatis conuulſiui et ſtranguriae ib. 4.

IO. SAMVEL SCHROETER *Journal für die Liebhaber des Steinreichs und der Conchyliologie des erſten Bandes zweytes Stück Weimar 8.*

IACOB. LVDOVIC. SCHVRER theſes phyſicae de grauitate corporum. Reſp. *Franciſco Henrico Vierling.* Argentor. 4.

Eiuſd. theſes phyſicae circa materiam de attractione corporum Reſp. et Auct. *Io. Frideric. Curi* ib. 4.

IO. GOTTL. SEGERI diſſ. inaug. de apibus. Auct. et Reſp. *Chriſt. Gottl. Biener* Lipſ. 4.

PHILIPP. FRIDERIC. WILHELM SEIP diſſ. inaug. de phthiſi neruoſa Gotting. 4.

C. G. SELLE rudimenta pyretologiae methodicae. *v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 77.*

